This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

49. 133.



Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBRI QUI SUPERSUNT OCTO.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBRI QUI SUPERSUNT OCTO.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBRI QUI SUPERSUNT OCTO.

AD FIDEM

CODICUM MANUSCRIPTORUM ET OLIM ADHIBITORUM ET RECENS COLLATORUM FLORENTINORUM ET BERNENSIUM

RECENSUIT

ET COMMENTARIO INSTRUXIT

CAR. TIMOTH. ZUMPTIUS.

ACCEDIT

TABULA GEOGRAPHICA EXPEDITIONUM REGIS ALEXANDRI.

BRUNSVIGAE,

APUD FR. VIEWEG ET FILIUM.

1849.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

FRATRIBUS

EX QUATTUOR EHEU DUOBUS SUPERSTITIBUS

CELSISSIMIS PRINCIPIBUS DE RADZIWILL

WILHELMO

LEGATO REGIO VI. DIVISIONIS IN EXERCITU BORUSSICO ET URBIS ARCISQUE TORGAVIENSIS SUMMO PRAEFECTO

ET

BOGUSLAO

TRIBUNO MILITUM IN EODEM EXERCITU

QUAM EDITIONEM

OLIM ADOLESCENTIBUS SUMMAE SPEI DEDICARAT

EANDEM

RECOGNITAM ET LOCUPLETATAM

VIRIS PACE BELLOQUE DE COMMUNI PATRIA MERITISSIMIS

SACRAM ESSE VOLUIT

CLARISSIMAE GENTIS AC DOMUS

OBSERVANTISSIMUS CULTOR

CAR. TIMOTH. ZUMPTIUS.

PRAEFATIO.

Q. Curtii Rufi libros de gestis Alexandri Magni primum recensui recensitosque edidi a. 1826 Berolini sumptibus Duemmleri bibliopolae. In praefatione eius editionis pluribus verbis exposui quae me causae ad hunc laborem impulerint, quibusque rationibus ductus foedam corruptionem indagaverim, quam elegantissimus scriptor in vulgaribus editionibus perpessus est. Accidit enim ut, cum principes editiones ex corruptis manuscriptis ductae essent, homines docti, qui postea ad Curtium emendandum accederent, subsidia codicum mss. aut nulla aut non idonea haberent, aut si qua haberent idonea, non uterentur, aut quibus utrumque contigerat, ut et bonis libris instructi essent et iis ad emendandum textum uti auderent, non tamen fructum ferrent industriae, quod vulgo eis fides non est habita. In prima classe eorum, qui rem efficere non possent, vetustos emendatores et scripturae vulgatae repetitores ponebam; in altera eorum, qui bonis oblatis non uterentur, praecipue Henricum Snakenburgium; in tertia denique imprimis Franciscum Modium, quem prospere in emendando Curtio versatum, sed a nullo ob id ipsum quod praestitit probatum esse intelligebam. Sed totam rationem, qua historiae Curtianae emendatio et tractata esset olim et porro tractari deberet, cum ex veteribus copiis a Sna-

kenburgio congestis iam aliquatenus perspicere mihi visus essem, tum demum accuratius cognovi, postquam a Francisco de Furia, meritissimo bibliothecae Laurentianae praefecto, accurata novem codicum Florentinorum mss. collatione instructus sum. Quo subsidio rei gerendae confisus cum impigre me ad recensendum veterem scriptorem contulissem, ipsam editionem sic institui, ut expositis in praefatione critices factitandae rationibus, cum professus essem nihil me de coniectura aut mea aut aliorum, nisi quod indicassem, positurum, adiecta simul bonorum codicum scriptura, satis iam tuto de fide recensionis meae iudicari posse videretur. Neque tamen non commentarios quoque in publicum edere constitueram, quos inter recensendum textum de singulis locis et emendandis et interpretandis conscripseram plenissimos, si prius praesenti necessitati, ut elegantissimus Latinitatis auctor in scholis recte legi posset, satis fecissem. Id vero consilium diu morata sunt cum alia tum praecipue bibliopolae, honestissimi hominis, sed, ut par est, in suo negotio gerendo cautissimi, lentitudo: qui cum novam editionem suam minus cupide expeti videret, non tam quod recensio nostra a vetere quodam artifice acriter reprehensa, quam quod ab alio quodam nostrarum partium defensore illico et aliquantum viliore pretio repetita esset, Curtium Rufum non eum esse scriptorem opinabatur, in quo exornando hominibusque commendando sumtus faceret. Neque ego is eram, cui cum alia multa agenda essent, laboriosum opus obtrudere lectoribus placeret: et tempus videbatur dandum esse hominibus, si a praeiudicatis opinionibus ad meliorem veteris auctoris aestimationem devenire mallent.

Interim dum cessat opus et commentarii in scriniis continentur, nova quaedam subsidia critica accesserunt,

quibus ea ratio, quam in recensendo textu secutus eram, non leviter confirmata est. Nam editionem Hadr. Iunii Antverpiensem a. 1546, in qua prima non levia sed expressa melioris familiae codicum vestigia apparent, cel. Bardilii prompto de litteris merendi studio nactus sum, et duorum codicum mss. bibliothecae publicae Bernensis accuratam cum editione Bipontina a. 1782 collationem a me rogatus instituit cel. Adalbertus Iahnius, ph. Dr. et illius bibliothecae subpraefectus. Eorum codicum alter antiquior idem est, qui in libello variantium lectionum apud Freinshemium Petri Danielis ex nomine veteris possessoris appellatur et *D.* sive *Dan.* notatur, estque unus ex praecipuis melioris familiae libris; alter, quem Bernensem B vocamus, ad classem deterrimam corruptorum librorum pertinet, proximeque ad nostrum Florentinum H accedit: uterque non tam novarum lectionum copiam, quam ex Florentinis libris haustam habemus, auxit, quam illustre documentum discriminis, quod inter codices Curtianos esset, repraesentavit. Ex eadem bibliotheca Bernensi benevole nobiscum communicata sunt duo exemplaria typis descripta: Parisinum apud Simonem Colinaeum 1543 et Lugdunense apud Antonium Vincentium 1546, ad quorum margines partim Petri Danielis partim Iacobi Bongarsii manibus aliquot variantes lectiones adscriptae sunt: verum iis lectionibus, propterea quod prorsus incertae sunt auctoritatis, uti non potuimus. Magis profuisset Aldinum exemplar a Iacobo Bongarsio variis lectionibus duorum codicum instructum, unde notae *Bong.* 1. 2 in collectionem Freinshemianam videntur fluxisse, sed illud exemplar dudum disparuit (vide Io. Casp. Orellii commentatiunculam de nostra editione Berol. 1826 in Seebod. et Iahn. nov. annal. philolog. et paedagog. a. 1831 vol. II pag. 45 sqq.): quamquam ne his quidem le-

ctionibus Bongarsianis opus erat in ea, qua fruebamur, certorum fontium ubertate, et facile verendum erat, ne bis terque eundem codicem ms. citaremus. Eadem causa est, cur Theocreniani codicis lectiones in marginibus Gryphianarum edd. a. 1588 et 1597 enotatas et a Schmiedero passim adhibitas neglexerimus. Liber ille, quem Benedictus Theocrenus Italus, praeceptor filiorum regis Francisci I, possederat, et Italicus est et unus ex deteriore familia nihilque habet proprium, quod annotatione dignum sit. Item duo codd. Oxonienses, alter Coll. Corp. Christi, alter Bodleianus, quorum varians scriptura excerpta est in Musei Oxoniensis litterarii conspectu Oxoniae 1792. 8, et deterrimi sunt generis et negligenter collati. Neque codex membranaceus formae oct. Vitebergensis, qui praeter alia excerptas e Curtiana historia orationes continet, nisi suis vitiis a deteriorum secta recedit: cuius scripturam a textu prioris editionis nostrae Berol. 1826 discrepantem collegit Wenschius in Zimmermanniano libro menstruo, „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft“ a. 1841 mensis Ianuarii pag. 60 sqq. Parisinorum trium codicum mss. numeris 5716, 5717, 5718 signatorum variantes scripturas ad vetera capp. V et VI libri septimi iam olim a familiarissimo meo Michaële Beerio tum Parisiis commorante acceptas habui, et integram eorum librorum collationem non difficulter mihi comparare potuissem, ni satis ex illa operis particula intellexissem, nihil in iis libris deterioris familiae contineri, de quo non abunde ex Florentinorum accuratissima collatione constaret. Sed fragmentum codicis membranacei Darmstadiense e libri IV cap. vet. 2 ipse curiosis oculis inspexi et varietates scripturae enotavi, non sine dolore praestans olim exemplar tam foede perisse.

His igitur subsidiis interim comparatis cum subinde

de continuando opere publice privatimque admonerer, iamque mihi verendum esset, ne fidem datam viderer fefellisse, ad telam pertexendam reversus alium redemptorem quaesivi et commentarios iam dudum perscriptos nova cura locupletatos nunc in publicum emitto. Textum quidem ipsum fere repetivi, qualem in priore editione constitueram, atque gavisus sum totam emendandi rationem non modo non infractam, sed tempore usuque subsidiorum criticorum etiam confirmatam esse. Sed inventi sunt haud pauci loci, in quibus aut eandem rationem propter auctam testimoniorum copiam acrius servandam existimarem, aut aliam corrigendi explicandique viam ineundam arbitrarer. Recentiorum criticorum inventis raro usus sum, non quod ea spernerem, aut non utendum existimarem quicquid utile ad perpurgandum elegantissimum opus offerretur, sed quod ea condicio codicum mss. est, ut, nisi exploratis integrorum et corruptorum librorum lectionibus, ad veram scriptoris manum perveniri non possit. Commentariorum autem hanc rationem tenui, ut primum singula quaeque, in quibus a vulgata scriptura discessissem, notarem et causas quare id fecissem persequerer, librorumque veterum auctoritates examinarem; qua in re perpetua integrorum ac fidelium et correctorum corruptorumque codicum diversitas apparet. Neque in iudicandis lectionibus non hoc mihi faciendum erat, ut linguae Latinae usum et sermonis Curtiani proprietatem exequerer, quo facilius inveterata multorum opinio de scribendi genere, quo Curtium usum esse imbiberunt, malo et aurea Latinitatis aetate indigno refelleretur: quo eodem in genere nuper Iul. Muetzellium, quem honoris causa nomino, non infructuosam operam posuisse laetor. Eas autem codicum mss. lectiones, quibus in commentario critico uti non potui, propterea quod ad summam quasi

rem non pertinent, sed infinitam veterum librariorum licentiam demonstrant, in appendicem reieci. Videntur enim ad plenitudinem operis necessariae esse, habentque eum usum, ut et cognationes codicum certius distinguas et librariorum ingenia solitasque scribendi aberrationes cognoscas, rem in exercenda Latinorum librorum critice minime inutilem. Neque tamen hoc a me obtinere potui, ut omnia omnino codicum mss. et nunc primum et olim collatorum scribendi ludibria proponerem: immo omnem hanc diligentiam in Florentinis Bernensibusque et qui a Snakenburgio collati sunt libris continui ab iis libris, de quorum accurata collatione parum constat, abstinui ideoque Freinshemianum illum thesaurum incertissimae auctoritatis non expilavi, tantum quod Palatini 1 ceteris diligentius collati cum aliquot Florentinis cognationem lectionibus annotandis sedulo persecutus sum.

Sed quoniam verborum critice et grammatica interpretatio sine rerum exploratione minime procedit, commentariorum non exigua pars in rebus historicis et geographicis et auctorum veterum, qui de rebus Alexandri scripserunt, comparatione versatur. Quamquam in eo genere omnem verbositatem ac de rebus incertis nec ad liquidum perducendis disputandi libidinem compressi, dum adiuvare Q. Curtii lectionem, non ipsam historiam enarrare cupio. Quod quo magis assequerer, tabulam geographicam designandam libroque adiiciendam curavi, maximo quo fieri potuit studio secundum recentissimorum auctorum observationes compositam, nec tamen a coniectandi periculis liberam. Satis enim constat, illas terras hac aetate minus esse cognitas, quam fuerunt veteribus, et in describendis regis Alexandri itineribus quaedam ob auctorum dissensionem nostramque locorum ignorationem pro incertis dere-

linquenda esse. Verum audendum erat et patet hac in re, quod in plerisque aliis, si aliquid efficiatur, multum effici, et praestare vel errare quam nihil agere. Haec hactenus, nec aliud adiiciam nisi hoc, absolutum esse opus, quod ad me quidem pertinet, aestate anni 1846, absolutumque redemptori traditum esse typis describendum.

Sed de fontibus emendationis Curtianae, id est de codicibus mss. et editionibus veteribus, quae usum habent criticum, hoc loco peculiariter agendum est. Fundamentum igitur recensionis nostrae fuerunt novem codices bibliothecae Laurentianae hi, qui in commentariis appellantur:

Flor. A. Cod. 35 plut. 64 saec. XI ineuntis. in 4 quadrato. membran. Incipit a verbis lib. III cap. (nostri) 25 §. 6 *Vix gladio futurum opus.*

Flor. B. Cod. 391. olim conventus patrum Dominicanorum vulgo dicti Sanctae Mariae Novellae. nuper in biblioth. Laurentianam translatus. saec. XIV. in fol. membran. verbis perquam compendiosis exaratus.

Flor. C. Cod. 34 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

Flor. D. Cod. 33 plut. 64 saec. XV in 4 chartaceus.

Flor. E. Cod. 32 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

Flor. F. Cod. 31 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

Flor. G. Cod. 30 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

Flor. H. Cod. 29 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

Flor. I. Cod. 28 plut. 64 saec. XV in 4 membran.

et duo Bernenses:

Bern. A. biblioth. publ. Bern. cod. N. 451 saec. X quadrat. membran.

Bern. B. eiusdem biblioth. cod. N. 282 saec. XV membran. formae quae fol. minor dicitur.

Praeter hos magno nobis usui fuerunt trium librorum mss. in bibliotheca Academiae Leidensis asservatorum col-

lationes ab Henr. Snakenburgio in locupletissimam editionem Batavam a. 1724 receptae, unius Leidensis, duorum Vossianorum, qui a nobis solitis notis appellantur et eodem Snakenburgio auctore describuntur sic:

Leid. cod. formae quadratae antiquissimus. charactere paulum obsolescente. ex Biblioth. Veteris thesauro.

Voss. 1. antiquus sane et minime negligendus.

Voss. 2. recentiore manu. sine indicibus. tum siglis etiam et syllabis contractis aetatem suam non multum remotam prodens.

Horum quattuordecim et reliquorum, quos cognitos habemus, codicum Curtianorum inveni duas esse familias, ex uno libro antiquo mutilo nec satis emendate scripto ortas. Nam lacunae et una magna in principio operis et altera in fine libri quinti sextique principio et complures breviores versus finem sunt eaedem in omnibus. Sed is codex principalis in una classe librorum, qui extant, descriptus est fideliter atque ita propagatus a librariis, ut, praeter solita scribendi vitia, nihil ad veterem scripturam additum, nihil consulto mutatum, nihil de coniectura correctum sit. Ex hac classe de nostris libris sunt *Flor. AB Bern. A* et de Snakenburgianis *Leid. Voss.* 1, suis quisque mendis levioribus illis quidem diversi, Voss. 1 vitiosior ceteris, sed tamen omnes inter se perquam similes. Florentinum A etiam Nic. Heinsius olim contulit eaque collatio silvam variantium lectionum apud Snakenburgium auxit, sed hominem doctum, qui eum librum meum in usum contulit, ex multis documentis apparet aliquanto diligentiorem fuisse Heinsio, itaque non potuimus non nostram sequi collationem, nisi ubi intererat, quod ab utroque diversa ratione lectum esset, annotare. Itidem res sese habet cum Bern. A, cuius supra commemoravimus variantem scriptu-

ram sub nomine Petr. Danielis excerptam legi in editione Freinshemiana. Altera classis est librorum correctorum et corruptorum, quos in universum deteriores libros appello. Sed ea interpolatio hos quasi gradus habet, ut alteri partim minus saepe discedant ab integris, partim ubi discedunt, haud raro bene ac prudenter corrigant, alteri nulla quasi religione obstricti saepius ac sine causa ab integris abeant, verbaque commutent, transponant, omittant. Cuius interpolationis quis primus auctor fuerit, difficile est divinare. Equidem putavi in prioris editionis praefatione fuisse doctum quendam Italum ex priore parte saeculi xv, nullus enim liber huius familiae vetustior est ea aetate: nec redarguit hanc coniecturam meam Muetzellius, dum probare studet, interpolatum textum iam circa a. 1200 aerae Christianae tractatum et expressum esse a Philippo Gualtero in Alexandreide. Nam quibus locis id demonstrare voluit, non effecit ut persuaderet: unum hoc dubitari possit, an doctus ille Italus libro aliquo antiquiore emendatius scripto usus sit, quandoquidem non paucae correctiones praesertim in posterioribus libris tam commodae sunt, vix ut ab recentiore critico excogitari potuisse videantur. Verumtamen magis adducor ut illum emendatorem suo usum esse ingenio existimem callido et exercitato, quali tum haud pauci litterarum restauratores Itali valebant. Duarum igitur classium deteriorum, quos appello, librorum una est paulo praestantior, in quam refero *Flor. DFGI.* Iis accensendi sunt et *Palatinus* 1 apud Freinshemium, quem proxime ad *Flor. D* accedere cognovi, et *Fauchetianus* item apud Freinshemium, et *tres Parisini* supra a nobis commemorati, quorum unum (n. 5718) esse *Pithoeanum* in variantium lectionum libello Freinshemiano cognovisse nobis videmur. Additamentis ex Iustini historia desumptis, quibus

reliqui omnes libri deteriores in libr. IV cap. 44 et 46 onerati sunt, prorsus carent, sicuti par est, Pal. 1 Flor. D, partim etiam Flor. FGI, unde non levis coniectura de genere interpolandi duci potest. In Flor. G correctoris illius ingenium manifestius quam in reliquis libris elucet: tanta audacia, sed saepe etiam dexteritate, loci, qui aut propter veteres mendas aut propter aliam obscuritatis causam minus facile intelligi possent, fulti et correcti sunt, ut ex hoc ipso libro vel alio eius simili plurimum vulgata scriptura, quae in editionibus circumfertur, ad intelligendi facultatem profecerit. Altera classis librorum deteriorum, et cui minime fides habenda est, *Florentinis EH Bernensi B Vossiano* 2 constituitur, cum ad generalem, de qua diximus, interpolationem in singulis libris alia temeritatis et negligentiae vitia accedant, ita ut qui in hos vel similes libros inciderint editores in universum multum praestare vulgatam lectionem facile senserint. Artam imprimis inter Flor. H et Bern. B intercedere cognationem cognovimus, Flor. E non raro cum melioribus sui generis concordat, Vossianus 2 suis vitiis ita abundat, ut ubi solus incedit, repetere eius scripturam nisi exempli gratia animum non potuerim inducere. Florentinus denique C singulari quadam ratione inter optimos et deterrimos libros, neutri parti constanter addictus, fluctuat, et eius librarium patet ex utriusque classis codicibus temere elegisse quae placerent.

Constituere textum maxime debuimus codicum mss. auctoritate, sed aliquid ad hanc rem subsidii etiam editiones typis descriptae attulerunt. Principem editionem *Vindelini Spirensis* Venetiis 1471, quam ex bibliotheca publica Guelpherbytana nactus sum, cognovi e codice ms. classis deterrimae simpliciter ac fideliter ductam esse. Nec *Bartholomaeus Merula* cum Curtium ederet Mediolani a. 1491,

quamquam in dedicatione se gloriatur et vetus exemplar contulisse et multos locos suo Marte castigasse, quicquam laude dignum praestitit, qui cum aliquot vulgaria menda sustulisset, multo plura relinqueret, certe ex libris mss. non proficeret. Primus qui vere emendandi viam iniit, fuit *Franciscus Asulanus*. Nam is cum Aldinam editionem Venetiis 1510 curaret, non modo sollerter nonnulla de coniectura correxit, sed etiam complura ex libro aliquo ms. deteriore illo quidem familiae, sed tamen accuratius scripto et prudentius correcto, tali omnino, qualis de nostris est Flor. G, expulsis veteribus sordibus in textum recepit. Atque sic Aldina lectio facta est vulgata, quam mox reliqui editores magis de coniectura, ubi quid displiceret, quam antiquorum codicum collatione emaculandam putarunt. Anno demum 1546 *Hadrianus Iunius*, medicus philologus, emendationem Curtii integrioris libri lectionibus in lucem proferendis adiuvare conatus est. Nam cum Brugis in Flandria apud Schoenhovium Canonicum D. Donatiani codicem ms. invenisset, eius diversitate a vulgari scriptura motus editionem curavit Antverpiae a. 1546, in cuius textu non admodum multa secundum librum illum antiquum correxit, sed margines editionis novis praeclarisque lectionibus ex eodem fonte haustis complevit. Qua de re in praefatione ad Petrum Nannium sese vulgari timidorum criticorum excusatione tuetur, quod iudicii libertatem nemini praecludere aut extorquere voluerit. Longe fortius intermissam scriptoris emendationem aliquanto post aggressus est *Franciscus Modius*, dum Curtium edit Coloniae 1579. Nam usus *membranis*, uti appellat, *Coloniensibus* et *Sigebergensibus* et tertio libro quodam suo (vide eius annotationem ad VIII, 4 (16), 30) cum satis sibi de corruptione scripturae vulgatae persuasisset, integriorem, in quam inciderat, admodum

constanter in ipso textu secutus est, sed annotationem non fere conscripsit, nisi ubi aut dubitavit ipse aut contra codices corrigendum putavit. Itaque raro codicum suorum lectiones accurate commemorat, adeo ut ne satis quidem tuto de similitudine aut discrimine ipsorum, quibus usus est, codicum iudicare possis. In praefatione principatum tribuit libro, quem ex bibliotheca ecclesiae cathedralis Coloniensis acceperat, eique alterum, quem bibliotheca abbatiae Sigebergensis praestiterat, postponit, verum ex annotatione ad VIII, 5 (17), 10 et ad VIII, 6 (22), 18 Sigebergensis cum optimis nostris facit, Coloniensis paulum discrepat, cf. ad IV, 5 (22), 9 et ad IV, 6 (28), 26. Textum Modianum quippe ex libro melioris familiae, forsitan eodem, qui nunc Leidensis aut Vossianus prior appellatur, ductum vulgato longe praestare et utique talem esse, qualis si inde a principe editione propagatus esset, melius de Curtio esset iudicatum, neminem hodie esse puto quin intelligat, postquam emendandi fontes aperti sunt. Sed illa aetate non intellectum est: certe qui postea ad edendum Curtium accesserunt parum intellexerunt. Eius rei causa in ipso Modio sita est. Admiscuit enim praeclaris integerrimi codicis lectionibus multa inventa sua temere excogitata iisque, ut fere fit, magis laetatur ac gloriatur in annotatione, quam quae feliciter ex libris mss. restituere contigit. Qui cum de coniecturis suis magnifice sentiat et conviciis proscindat quicunque aliter sentire audeant, fungosque ac stipites appellet, de vera singulorum locorum emendatione ex libris mss. ducta fere silet, nec inique laturus videtur, si etiam haec operis pars ipsius ingenio adscribatur. Itaque vanitatis atque importunitatis non prorsus immerito hanc poenam consecutus est, ut cum pleraeque eius coniecturae, quas exposuerat in annotatione, et ab aliis impro-

barentur et a *Valente Acidalio* in singulari libello notarum in Q. Curtium (Francofurti 1594) acerbe castigatae essent, anceps de ingenio eius iudicium etiam ad alteram, de qua iusto parcius dixit, operis partem transferretur, ubi maxime de fide et constantia editoris agitur. Certe non id laboris sui tulit praemium, quod unum expetendum est critico editori, ut qualem conformasset textum, insequens aetas sequeretur et retineret. Etenim posthabita, quippe de cuius fide dubitaretur, Modii recensione, vulgata, quae dicitur, lectio iniustam possessionem recuperavit eamque usque ad hanc aetatem obtinuit, tantum quod hic illic graviora quaedam vitia, quae intelligendi facultatem nimis impediebant, plerumque coniecturis, rarius integriorum librorum lectionibus recipiendis sublata sunt. Quod ceteris quidem minus vitio vertendum est quam *Ioanni Freinshemio*, qui Petri Danielis libro de puriore emendationis fonte admoneri potuit, et magis etiam *Henr. Snakenburgio*, qui in editione sua cum varias veterum librorum lectiones congereret, etiam praestantissimos duos libros, Leidensem et Vossianum 1, accuratius, quam adhuc fere fieri solebat, excerpsit, nec tamen ad Modium, sicut aequum erat, attendit, aut omnino intellexit, ut in proverbio est, quid distarent aera lupinis. Verumtamen uterque a critica ratione paulum alienior fuit, et Freinshemius quidem totus in historica interpretatione pro more illius saeculi et in concinnandis laboriosissimis supplementis occupatus, Snakenburgius congregandis magis quam educendis in aciem committendisque doctrinae copiis intentus. Recentiorum editorum primus *Frid. Schmiederus* in editione Gottingensi a. 1803 a Freinshemiano textu recipiendis maxime Florentini et Leidensis Vossianique prioris ex thesauro Snakenburgiano lectionibus discedere ausus est, cui gratia habenda est in eo, quod de

iure vetustae possessionis dubitare coepit, venia danda, quod aliis subsidiis destitutus novam emendandi viam, quam feliciter invenerat, non secutus est constanter. Nam in hac litterarum parte cum nihil tanti sit quam via ac ratione procedere, saepe fit ut deverticulis circumduci nos patiamur, nec nisi post multos errores rectam viam consequamur.

Superest ut de ipso scriptore, quis fuerit, qua aetate vixerit, quale opus condiderit, dicendum esse videatur. Sed de ea re non adducor ut repetam quae ante hos viginti fere annos in praefatione prioris editionis exposui. Nec mutavi sententiam, quamquam studiose, ut aequum est, aliorum hominum doctorum rationes interim prolatas expendi: nec tamen hae fere magnopere a nobis discrepant. Habebunt igitur Latinarum litterarum studiosi opus a librariorum sordibus et audacium, non raro etiam imperitorum criticorum licentia perpurgatum, aureo Latinitatis saeculo non indignum, et historiae veteris discendae cupidi Clitarchi, Graeci scriptoris olim celebrati, quasi simulacrum, unde vitam moresque et res gestas maximi regis non sine fructu et delectatione cognoscant.

Prooemium hoc cum, absoluta propemodum reliqui libri descriptione, quae typis facta esset, ante decem fere menses dictassem, certoque sperarem integrum librum, qui nimis diu intra privatos parietes latuisset, propediem in publicum proditurum, ecce nova et insperata in ipso fine mora est obiecta. Accidit enim ut, cum novarum rerum minae, inter quas librum absolveramus, in apertam seditionem erumperent, eaque velut tabes per omnem Germaniam

propagata etiam Brunsvigae, ubi liber describebatur, hominum mentes a pacis negotiis ad discordiam bellicosque tumultus rerumque suarum diffidentiam avocaret. Nunc igitur, quiete aliquatenus restituta, cum denuo quasi umbilicus huic operi imponendus est, infaustam hanc opportunitatem praetermittere non possum quin aliquot locorum emendationes hoc loco subiungam, quas vir doctus, qui gymnasio Guelpherbytano praeest, *Justus Jeepius* in Annalibus scholasticis ab Heydemanno et Muetzellio Berolini editis anni 1848 pag. 416 sqq. sub idem illud tempus proposuit.

Lib. IV cap. 7 §. 6 bene coniicit pro eo quod edidi *dimissos monere* [*amici*] *coeperunt* abiecto spurio verbo scribendum esse *dimissi suos monere coeperunt.*

lib. IV cap. 21 §. 1 pro codicum scriptura *dotem fore* corrigendum putat *dotem offerre*, quocum Accusativus *contentum* sine supplemento Modiano *se fore* recte coit. Sed quod eodem capite §. 3 *affectu* putat careri posse, quoniam neutrum genus adiectivorum *inane ac puerile mentis* pro nomine substantivo dicatur, difficilius probatur.

lib. VI cap. 21 §. 10 pro Aldina scriptura *tantae morae pretium* proxime libros veteres manuscriptos *quo tandem ore* legendum recte coniecit.

lib. VII cap. 21 §. 16 illud ipsum quod expectari eo loco dixi *qui agmen claudebant* inesse in codicum nonnullorum scriptura *ducebant*, si scribatur *cludebant* prudenter existimat.

lib. VII cap. 31 §. 28 in loco dubitationis pleno scribendum proposuit *Rex iussit eum confidere felicitati suae: fatalia sibi ad gloriam concedere deos*, et *fatalia* de tristibus extis paulo ante commemoratis intelligit.

lib. IX cap. 2 §. 1 pro nomine *Poro* adverbium *porro* reddendum auctori censet.

Has Jeepii emendationes, quae prae ceteris probabiles essent et pertinerent ad supplendum commentarium nostrum, lectoribus vel post absolutum opus non invidendas putavi: reliquas eiusdem hominis docti coniecturas minus verisimiles ratus omisi, quia nec disputandi hic est locus et desinere cupio manumque de tabula mihimet ipse inclamo.

Scripsi Berolini a. d. IV Cal. Jan. 1849.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER III*).

ARGUMENTUM.

(1) Alexander, postquam plerasque urbes Graecas, in ora maritima Mysiae, Lydiae, Cariae sitas, partim condicionibus, partim vi in potestatem suam redegit, anno a. Chr. nat. 333 ineunte ex Caria in Phrygiam movet exercitum, urbem arcemque Celaenarum capit. (2) Iam vere omnes copias ad bellum persequendum contrahit: Gordium, caput olim Phrygiae, venit, et celebris vehiculi nodum fatalem gladio solvit. (3) Hinc navalibus copiis adversus Memnonem classis Persicae praefectum (interea demortuum) parari iussis, ipse Ancyram petit, Paphlagones in deditionem accipit, Cappadociam intrat.

(4) Contra Darius, cum ipse proelio decernere statuisset, castris ad Babylonem positis, numerum copiarum iniit. (Recenset Curtius 309200 armatos.) (5) Charidemus, exul Atheniensis, regem, certa victoriae spe elatum, linguae consiliique libertate offendit et capite poenam luit. (6) Somnia tamen illum curis distrahunt, quorum terrore a vatibus prudenti interpretatione sublato, castra moveri iubet. (7) (8) Agminis ordo describitur, longe diversa facie Macedonici exercitus.

(9) Alexander Cappadocia, quae cis Halyn est, in dicionem accepta, ad angustias montis Tauri, quibus Cilicia aditur, pervenit, Persis retro concedentibus. (10) Ciliciae situs ac natura describitur. (11) Pylas Ciliciae caute intrat, Tar-

*) Vulgo *de rebus gestis*, quod in nullo cod. ms. est. Nos inscriptionem sumpsimus ex Flor. B et Bern. A. *De gestis* etiam Flor. G et H. Nepos in Datame in. *quod et obscuriora sunt eius gesta pleraque.* Verum Flor. B et Bern. A cum Flor. I librum *secundum* numerant, eamque numerandi rationem usque ad finem operis persequuntur, adeo ut integrum opus novem libris constiterit. Sed *tertium* hunc esse librum, et decem universos, cum reliquis codicibus, tum Flor. A omnium optimo credo, qui ab initio mutilus incipit demum a verbis *vix gladio futurum opus* cap. 25 med. (x, 6) huiusce libri.

son a Persis incendi coeptam propero adventu servat. (12) In Cydno frigidissimo amne lavans gravi morbo corripitur, quae res Macedonum animos ingenti terrore percellit. (13) Ipse rex celere remedium poscit, quamvis periculosum, frustra dehortantibus amicis. (14) Philippo Acarnani medico id pollicenti, contempta Parmenionis admonitione, fidem habens, (15) medicamentum praebitum haurit. (16) Mox convalescit cum gratulatione Macedonum regis amore flagrantium.

(17) Solos progreditur, per otium ibi ludos votivos celebrat, inde Isson petit, locum pugnae aptissimum. (18) Sisenes Persa, inter amicos Alex. receptus, ob inanem suspicionem perfidiae in itinere interficitur. (19) Darius auctus Graecorum mercenariorum copiis et consilio retro abeundi dividendique exercitus spreto (20) per pylas Amanicas exercitum in Ciliciam immittit: Isso post Alexandri terga capta, ubi relictos de exercitu Macedonum, iam per pylas Syriae in Syriam progressorum, excepit, ad Pinarum amnem, tamquam persecuturus hostes, procedit. (21) Alexander, comperto Darium cum omni exercitu in Ciliciam diverso itinere descendisse, converso agmine et ipse per angustias (pylas Syriae) in Ciliciam ad proelium paratus redit. (22) Etiam Darius cum cognovisset non fugere Macedones, sed in Syriam progressos iam adversus ipsum reverti, pugnandi consilium expedit. (23) Describitur Persarum acies, item (24) Macedonum. (25) Alexander proelium ingressurus varia adhortatione animos militum suorum firmat, (26) tum equestrem pugnam in dextro cornu suo committit, immobilem et ancipitem. (27) Tandem multa strage facta delectos Darii equites ipsumque regem in fugam vertit, et postquam in sinistro quoque cornu Thessali equites vicerunt, (28) iam utrimque victos hostes persequitur, diversa fuga salutem petentes. Castra opulentissima capiuntur, (29) et in iis mater coniunxque Darii cum liberis. Caesorum ab utraque parte numerus. (30) Alexander a persequendis hostibus in castra reversus lamentantes Darii vicem uxorem matremque consolatur, misso Leonnato, (31) ac sepultis caesorum corporibus ipse quoque cum Hephaestione reginas visitat, (32) laudabilique clementia et abstinentia adversus eas sese gerit. (33) Exercitu in Syriam moto, Parmenio praemissus quarto die Damascum penetrat, a proditore accersitus, (34) et regiam pecuniam cum omnibus impedimentis victi exercitus, proiectam praedam, capit, (35) quodque in tali tempore non minimi aestimandum fuit, uxores liberosque summorum ducum legatosque Graecarum civitatum.

1 Inter haec Alexander, ad conducendum ex Pelo- 1.
ponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lyciae Pamphyliaeque rebus compositis, ad urbem Celaenas exercitum admovit. Media illa tempestate moenia interfluebat Mar- 2

Lib. III, Cap. 1, §. 1. Videtur praecessisse narratio rerum a Memnone Rhodio, classis Pers. praefecto, per hiemem anni a Chr. nat. 334—333 mari gestarum. Obierat autem ille in medio rerum cursu ad Mytilenen, cum iam consilia de bello ex Asia in Europam transferendo agitaret. Vide Diodor. XVII, 31 et Arrian. libr. II init.

§. 2. *Media illa temp. moenia interfluebat*] Hac priorum edd. lectione relicta, Freinsh. Schragium secutus scripserat *mediam illa temp. interfluebat;* deesse enim verbum *moenia* in Pall. omnibus tradebatur, sed legitur in reliquis codd., quorum auctoritas longe certior est, omnibus. Tum *Marsus* codd. omnes: *Marsya*, quod nonnullae editiones habent, est apud Ovidium Metam. VI, 400: sed *Marsyas* tamen ad codd.

syas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclitus. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus circumiectos rigat campos, liquidus et suas dumtaxat undas trahens. Itaque color eius placido mari similis locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum est, Nymphas amore amnis retentas in illa rupe considere. Ceterum quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet: at cum extra munimenta se evolvit, maiore vi ac mole agentem undas Lycum appellant.

Alexander quidem urbem destitutam a suis intrat, arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus, caduceatorem praemisit, qui denuntiaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. Illi caduceatorem in turrem, et situ et opere multum editam, perductum, quanta esset altitudo, intueri iubent, ac nuntiare Alexandro, non eadem ipsum

mss. propius accedit. De urbe Celaenarum vide Herodot. lib. VII, 26, Xenophon. Anab. I, 2, quorum descriptio in universum cum nostro scriptore consentit, si *Καταῤῥήκτην* Herodoti eundem esse ac Marsyam statuas; Marsyam autem in Maeandrum decurrere, cuius itidem fons prope Calaenas est, Curtius non commemorat. Sed, quod *illa tempestate* dicit, eo pertinet quod, condita ab Antiocho (Sotere) urbe propinqua Apamea, Celaenae veteres ab incolis derelictae sunt: Strabo Lib. XII pag. 577. Antea Phrygiae caput fuerant et mercatura florebant ea, qua posthac Apamea in Asia proxime post Ephesum floruit.

§. 6. *ni dederent*] Quod olim edebatur a plerisque *ni se dederent* ex deterioribus codd. depromptum, Modius et Raderus condemnarunt. Plures enim et meliores codd. pronomen reciprocum ignorant, ut subintelligas *arcem*. Idem Raderus paulo ante *adorsus* scribendum putavit, ut olim ante Modium edebatur et legitur in Pall. 1. 2, Flor. DEFI et G ex corr. Drakenborch. ad Liv. epit. lib. XXXVI eandem litem movit et, ubi de incipienda re dicitur, *adorsus* scribendum putat: falso, nam plurimis locis apud Livium *urbem oppugnare adortus* aut sine varietate aut ita legitur, ut altera forma *adorsus* in uno alterove deterioris notae codice inveniatur, nec alii aliorum scriptorum loci meliore fortuna huc trahuntur a Seyferto gramm. Lat. §. 1723 not. 12 malis editionibus utente, v. c. Vergilii, ubi Aen. VII, 386 in Mediceo legitur *Maius adorta nefas maioremque orsa furorem*. Omnino nulla vox est *adordiri: adoriri* dictum est ut *aggredi* de impetu cuiusdam rei perficiendae. Ne apud Gellium quidem XIX, 21 *Hippiam tyrannum interficere adorsi erant* veram lectionem puto.

§. 7. *in turrem*] Sic edendum curavi ex Leid. et Bernensibus Florentinisque omnibus praeter unum G, qui *turrim* habet, quod inde a Vindelino Spirensi editiones obtinet. Lib. IV, 19 *in altissimam turrem*, et IV, 26 *in proxima turre* in omnibus exemplaribus est, excepto uno Flor. H, qui priore loco *turrim* exhibet. Cf. Drakenborch. ad Liv. XXIII, 37 qui itidem codd. mss. auctoritatem secutus illo loco *turrem* edidit. Nec deest grammaticorum veterum Prisciani et Charisii utramque formam et *im* et *em* probantium auctoritas.

et incolas aestimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse; ad ultimum, pro fide morituros. Ceterum 8
ut circumsideri arcem et omnia sibi in dies artiora esse viderunt, sexaginta dierum inducias pacti, ut, nisi intra eos auxilium Dareus ipse misisset, dederent urbem: postquam nihil inde praesidii mittebatur, ad praestitutam diem permisere se regi.

Superveniunt deinde legati Atheniensium, petentes, ut 9
capti apud Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo, sed etiam ceteros Graecos restitui suis iussurum respondit, finito Persico bello.

2 Ceterum Dareo imminens, quem nondum Euphraten 10
superasse cognoverat, undique omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat, per 11
quam ducebatur exercitus; pluribus vicis quam urbibus fre-

§. 8. *esse viderunt*] Sic inverso ordine Flor. BG et Bern. A; item editio Modiana e codd. ducta.

Dareus ipse misisset] Freinshemius *Darius ipsis*. Sed *Dareus* non hoc solum loco, sed omnibus constanter scribitur in iis libris, quorum fidem in recensendo Curtio maxime sequimur, Leid. Voss. 1 Bern A Flor AB; nec non apud alios scriptores ea scriptura in optimis quibusque libris inventa est, ut apud Ciceronem libro v de fin. 30 §. 92 et epist. II, 10, apud Livium IX, 17, Ovid. in Ibid. vs. 317, Tac. Ann. III, 63. *Ipse* autem h. l. in edd. vetustis scribebatur, legiturque in utroque Bern. et Flor. omnibus praeter B (a quo verbum abest), nec dubito quin etiam in Leid. et Vossianis legatur, in quorum librorum notatione h. l. apud Snakenb. confusio quaedam est. De ipso autem rege iam appropinquante in factis inducíis eam ob causam puto commemoratum esse, ne forte subitario aliquo exercitu coorto pactum solveretur. Alexander enim decem dies moratus, relicto ad Celaenas militum praesidio, cum reliquo exercitu processit: Arrian. I, 29, 2.

dederent urbem] Urbem pro arce exemplo Graecorum, apud quos πόλις saepe pro ἀκρόπολις est, dici Harlesio, cuius notis mss. utor, verisimile videtur.

§. 9. *finito Persico bello*] Sed reddidit jam vere a. 331: vide infra IV, 34 et Arrian. III, 6.

Cap. 2. §. 10. *ceterum Dareo imminens, quem*] Deteriores codd. et nostri et aliorum cum edit. pr. *ceterum vero Dario imminens de Alexandro cura erat, quem*, quod male emendatum in Aldina et Iuniana et aliis sequacibus *Alexandro imminens de Dario cura erat*. Locum eiectis verbis inutilibus, quae ex imperito scholio in textum videntur irrepsisse, perpurgavit codicem suum optimum secutus Modius, cum eoque consentiunt Flor. BC Bern. A Leid. Voss. 1. (Flor. A. incipit demum a cap. nostro 25, 6.).

Euphraten] Graeca terminatione codd. Flor. BDEI Bern. A et ex olim collatis Pal. 1, 2 Leid. Voss. 1. Vulgo *Euphratem*. Est autem haec res ei, qui dum veterem scriptorem ad fidem librorum mss. accurate recenset, unum aliquid pro certo sequi velit, propter inconstantiam librorum dubitationis plenissima. Ego nominum barbarorum, quae Graece ης, ου declinantur, quia sic codices meliores fere exhibere videbam, accusativos *en* scripsi, nec dubitavi, si quando ita res accidebat, etiam invitis codd. corrigere, ita tamen ut admonerem.

quens. Tunc habebat nobilem quondam Midae regiam: Gordium nomen est urbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem. Inter haec maria angustissimum Asiae spatium esse comperimus, utroque in artas fauces compellente terram. Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet, ac nisi tenue discrimen obiiceret, quae nunc dividit maria, committeret.

Alexander, urbe in dicionem suam redacta, Iovis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium Midae patrem vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. Notabile erat iugum astrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, et celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiae potiturum, qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit animo sortis eius implendae. Circa re-

§. 12. *nobilem quondam* hoc ordine, omnes codd. nostri, etiam hi qui *civitatem regiam* adiecta inutili interpretatione scribunt, Flor. DEFHI Bern. B; sed edd. inde a Vind. *quondam nobilem*.

Gordium nomen est urbi] De situ Gordii similiter Livius lib. XXXVIII, 18: *tria maria pari ferme distantia intervallo habet, Hellespontum, ad Sinopen, et alterius orae litora, quae Cilices maritimi colunt.* Sed cautius Livius, quod *ferme* adiicit. Nec quod deinde noster tradit de tenui discrimine inter maria, ad veritatem revocandum, sufficit quod nusquam Asia angustior est. Ceterum Sangarium amnem *interfluere* Gordium scripsit, si fides libris mss. habenda, quandoquidem *praeterfluit* in nullo meorum praeter Bernensem A legitur: Graeci scriptores Strabo et Arrianus cum ἐπὶ τῷ Σαγγαρίῳ dicunt, rem incertam relinquunt.

§. 13. *obiceret* simplici littera *i* omnes Florentini et Bern. A cum Leid. Vossianisque (sic explico notam Voss. apud Snak. non addito numero), eamque scribendi rationem constanter in omnibus verbis cum eo quod est *iacio* compositis sequuntur, sicuti Vergilii exemplar Mediceum ne tum quidem litteram eam duplicat, ubi positio fit. Verum eam scribendi tarditatem cur hodie in edendis scriptoribus imitemur, causam video nullam, nisi ubi versus compositio imperat. Vide Cellarianam orthographiam ab Harlesio editam Tom. II. p. 38 et 259 sqq. Mox *quae nunc dividit maria* collocatione verborum rotundiore quam qua adhuc editum est *maria quae nunc dividit*, Flor. BCDEG Bern. A et Leid. Voss. 1. 2.

§. 14. *in dicionem suam*] Editi *in suam ditionem*: nos in collocandis verbis Bern. utrumque et Flor. omnes secuti sumus, adde Leid. Voss. 2. De orthographia verbi antiquissimis quibusque testibus parendum censui: vide nunc Wagneri orthogr. Vergilianam. Codices quidem Curtiani h. l. plerique *t* littera scribunt, *dictionem* Flor. EFHI habent, *dicionem* unus D, atque sic manu recentiore correctum est in Bern. A.

vulgatisque usu] Nihil prorsus mutant codd. mss. nec opus est ulla mutatione: sed edit. pr. *vulgatisque usibus*, Aldina *vulgatisque curribus*. Inde semel opportunitate corrigendi data, Glareanus *vulgatisque vehiculis*, Erasmus *vulgatisque visu*, Rutgersius *vulgatique usus*, Heinsius *vulgarisque usus* maluerunt. Sed recte Iunius librorum scripturam restituerat.

§. 16. *cupido incessit animo*] Variat constructionem verbi Curtius: nam qui

gem erat et Phrygum turba et Macedonum, illa expectatione suspensa, haec sollicita ex temeraria regis fiducia: quippe series vinculorum ita astricta erat, ut unde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione, nec visu perspici posset: solvere aggressus iniecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequicquam diu luctatus 18

h. l. et VII, 41 dativum, idem accusativum habet IV, 10 *ingens animos militum desperatio incessit;* cf. etiam ad III, 22. Livius contra accusativum praefert, nec nisi uno loco dativum adiungit IV, 57 *cura patribus incesserat.* Antiquiores autem a praepositionis usu ad dativum videntur processisse: Terentius enim Andr. IV, 3, 15 *quae nova nunc religio in te istaec incessit*, et Caesar bell. civ. III, 74 *exercitui quidem omni tantus incessit dolor*, et Sall. Cat. 31 *mulieres quibus belli timor insolitus incesserat:* atque Cicero cum *incedendi* verbo sic non utatur, similiter tamen *invadere* construit. Reverteruntque posteriores ad veterem usum, ut Columella II, 10 in. *si sterilitas annonae incessit hominibus*, et Tacitus Ann. III, 36 *incedebat deterrimo cuique licentia.* Vide Gram. Lat. §. 387 coll. §, 202.

sortis eius explendae] Sic Voss. 1 Bern. A Flor. BEFGI pro vulg. *implendae*, recipiendumque putavi propter auctoritatem codicum, etsi minus proprie dictum.

§. 17. *expectatione*] Quaero adhuc quis primus sic ediderit, nam editiones vetustae (etiam Hadr. Iunii) et codd. plerique *explicatione*, Bern. B et Flor. H *expolitore*. Unum Leidensem e silentio Snak. coniiciendum est habere, quod sine dubio verum est, *expectatione.*

quippe series vinc. ita astricta erat — solv. aggressus iniec. curam ne] Libros mss. et vetustissimas secutus editiones abstinui corrigendi ambiguitate, quamquam confiteor hiare locum et excidisse videri coniunctionem, quae potest esse *et*, post *posset*. Sed quod olim ab editoribus correctum est *series vinc. ita astricta* (eiecto *erat*) *solvere aggresso iniecerat curam*, etsi iam fere sic legitur in Flor. G, nimium quantum a mente scriptoris discrepat, qui ab ipso quidem Alexandro omnem curam removet eiusque fiduciam modo vocavit temerariam. Modii autem coniectura *quippe seriem ita astrictam — solvere aggressus* loci structuram verbis implicat, nec Cellariana aliorumque recentiorum ratio, ut ablativi absoluti fiant *quippe serie ita astricta — solv. aggressus iniecerat curam*, facilem pro more scriptoris explicationem habet. Quod ad codicum mss. auctoritatem pertinet, Snakenburgii h. l. diligentiam desidero. Nam cum in Flor. B sit *ita astricta erat*, in reliquis Flor. et Bernensi B *erat ita astricta*, in uno Flor. C et praeterea in Bern. A (qui variis nominibus saepius apud Freinsh. citatur) verbum *erat* desideretur: Snak. de suis libris tacet, et post, ubi in nostris omnibus *aggressus* legitur, idem Leidensis optimi libri testimonium celat, adeo ut aliquis ex hoc silentio in Leid. esse *aggresso* suspicari possit. Deinde non dissimili ratione haereo in eo, utrum *perspici* ex Leid. Voss. 1 Bern. A legatur, an *percipi* retineatur, eam ob causam quod nihil a vulgata scriptura diversum e Florentinis libris enotatur. Verumtamen silentium tanti non facio quanti certum testimonium, proboque *perspici*. Denique edd. principes et libri mss. nostri praeter Flor. B, item Snakenburgii praeter Leid. *ei* adiiciunt: mirum, quandoquidem Flor. G, qui habet *aggresso*, non adiicit. Item *inane* fecerunt ex eo, quod est *in omen*, deteriores, i. e. omnes praeter Flor. BC Bern. A Leid. Voss. 1, ex iisque edd. pr. duxerunt.

§. 18. *nequicquam*] Hanc Bern. A Flor. BFGI Leid. Voss. 1 scripturam cum Iunio et Modio sine ulla dubitatione praetuli vulgatae *nequaquam;* neque enim tam importunum fuisse puto Alexandrum, ut non prisco artificio debitum honorem habuerit. Ceterum scribitur *nequiquam* in Leid. Flor. I. Bern. A.

cum latentibus nodis, *nihil*, inquit, *interest, quomodo solvantur:* gladioque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel implevit.

Cum deinde Dareum, ubicunque esset, occupare sta- 3
tuisset, ut a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellesponti, copiis autem praefecit Hegelochum, Lesbum et Chium Coumque praesidiis hostium liberaturos. His talenta ad belli usum quingenta attributa: ad Antipatrum et eos, qui Graecas urbes tuebantur, sexcenta missa: ex foedere naves sociis imperatae, quae Hellesponto praesiderent. Nondum enim Memnonem vita excessisse cognoverat: in quem omnes intenderat curas, satis gnarus cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moveretur.

Iamque ad urbem Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat; huic iuncti erant Heneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt. Omnis haec regio paruit regi, datisque obsidibus tributum, quod ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur, impetraverunt. Calas huic regioni praepositus est: ipse, assumptis qui ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petiit.

At Dareus, nuntiata Memnonis morte haud secus quam 4
par erat motus, omissa omni alia spe, statuit ipse decernere: quippe quae per duces suos acta erant cuncta damnabat ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam.

Cap. 3, §. 19. *Amphoterum - Hegelochum*] Vide IV, 23 *Amphoterus et Hegelochus centum sexaginta navium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in dicionem Alexandri redegerunt.*

Lesbum et Chium Coumque] Corrupit lectionem hanc omnium veterum editionum Glareanus *et Con* scribens, quod, puto, particulam *que* tertiam vocem adiungentem non ferret. Nam formam *Coum* quidem certe reprehendere non potuit, quoniam *Cous* quidem apud Livium XXXVII, 16 et accus. *Coum* apud Tac. Ann. II, 75 legitur, cum *Con* apud Plinium maiorem inveniatur. Sed ne illud quidem abhorret ab usu sermonis Latini, quamquam saepius *que — et* in tribus diversis coniungendis apud Livium invenitur. Vide c. 5 *Thessali equites et Acarnanes Aetolique.*

§. 22. *iuncti erant Heneti*] Editi et plerique mss. *Eneti*, Flor. BC *Veneti*, Leid. *Vineti*, Bern. A *Vincti*. Sed *Henetos* tamen (ut est in Flor. GH) appellat Livius notabili loco in principio historiae.

§. 23. *omnis haec regio*] Vulgo *omnisque:* nostrum recte servarunt Leid. Flor. B Bern. A.

§. 24. *Calas*] De Cala Paphlagonas invadente vide IV, 23: illi olim ne Persarum quidem regi satis paruerant, quod intelligitur ex Xenophontis Anabas. V, 6, 8.

Igitur castris ad Babylona positis, quo maiore animo ca- 2
pesserent bellum, universas vires in conspectum dedit: et circumdato vallo, quod decem milium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit. Orto sole ad noctem agmina, sicut descripta erant, intra- 3
vere vallum. Inde emissa occupaverant Mesopotamiae campos, equitum peditumque propemodum innumerabilis turba, maiorem quam pro numero speciem ferens. Persarum erant 4
centum milia, in quis eques triginta implebat. Medi decem equitum, quinquaginta milia peditum habebant. Barcanorum 5
equitum duo milia fuere, armati bipennibus levibusque scutis maxime cetrae speciem reddentibus: peditum decem mi-

Cap. 4. §. 2. *castris ad Babylona positis*] Vulgo *ad Babylonem*, sed Leid. *Babylona*, Bern. A *Babylonam*, reliqui mei *Babiloniam*. Omnino difficile est statuere qua ratione urbem illam scriptor videatur appellasse: nam nominativus nusquam est apud eum; ablativus bis invenitur *Babylone* V, 5 et 20. Accusativum libri editi plerumque exhibent *Babylonem*, sed codd. mss. (omissis aliis scribendi ludibriis) ita variant, ut integriores fere *Babylonam*, deteriores *Babyloniam*, rarissime *Babylonem* habeant. Iam *Babylonam* nemo feret, quia nominativus *Babylona* abhorret a consuetudine, sed *Babylona* Graeca terminatione, quam in aliis nominibus Graecis Curtius saepe praetulit, boni libri nonnunquam (imprimis X, 2) praebent et corruptionis ratio patet. Itaque ubicunque *Babylonam* in libris integrioribus scriptum inveni, correxi *Babylona*, sublata littera *m* in fine, quam librariorum levis scientia adjecisse videretur; reliqui tamen *Babyloniam* (de urbe) IV, 25 et 35, X, 3, quibus locis optimi codices tuentur, nam urbis nomen *Babylonia* genitivo *Babyloniae* V, 6 defenditur.

decem milium] *Milia*, *milium* cet. uno l scribo, quia sic constanter libri msti. Singularem contra geminatis literis scribi grammatici praecipiunt: vide Schneideri Elem. L. L. p. 412.

§. 3. *inde emissa occupaverant*] Sic Flor. B et Bern. A, plures etiam *occupaverant*. Vulgo *inde occupaverunt emissa*.

speciem ferens] Sic Bern. A Flor. B D E (supra scripto *g*) F I et Leid. notante Heinsio (non Snakenburgio); vulgo *speciem gerens*. Curtius alibi nec *gerere* nec *ferre* speciem dicit, verum *praeferre* VII, 8, *facere* VIII, 42, *ostendere* VIII, 41 et *ostentare* X, 28, frequentissime *praebere;* Cicero de off. II, 11 *nisi speciem prae te boni viri feras*, sed idem de off. III, 4 *similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium.*

§. 4. *in quis eques triginta implebat*] Vulgo *triginta milia*, sed sequor nunc Leid. Voss. 1 et Bernenses Florentinosque libros praeter unum Flor. G.

§. 5. *Barcanorum equitum*] *Bactrianorum* olim edebatur, et est in Bern. B Flor. E G H, aut similiter *Barctrianorum* in Flor. D, *Baretrianorum* in Flor. F I: sed *Bactrianos* ipse scriptor infra excludit, *Barcanos* autem Stephanus Byzantius gentem Hyrcanis vicinam appellat.

maxime cetrae speciem redd.] *Cetrae* verbum iam editio princeps restituit, cum in libris mss. deterioribus (Flor. quidem D E F G H I) *celtae* legatur. Isidorus in Originibus: *Cetra scutum loreum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauri.* Servius ad Vergil. Aen. VII, 732 *cetram* definit *scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani*, non iniuria Hispanos commemorans (cf. Livium XXI, 21, 12), Livius XXVIII, 5 Graecorum peltae similem dicit, quocirca peltastas, qui apud Graecos scriptores dicuntur, ipse Romano more *cetratos* appellat. Ceterum *e* non *ae* scribo cum Wagnero

lia equitum pari armatu sequebantur. Armenii quadraginta milia miserant peditum, additis septem milibus equitum. Hyrcani egregii, ut inter illas gentes, sex milia expleverant, additis equitibus militatura. Derbices quadraginta peditum milia armaverant: pluribus aere aut ferro praefixae hastae, quidam lignum igni duraverant. Hos quoque duo milia equitum ex eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo milium pedester exercitus venerat, ducenti equites. Cum his erant ignobiles aliae gentes: duo milia peditum, equitum duplicem paraverant numerum. His copiis triginta milia Graecorum mercede conducta, egregiae iuventutis, adiecta. Nam Bactrianos et Sogdianos et Indos ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium

in Orthogr. Vergil. nec me movet quod est apud Hesychium *Καίτρεαι ὅπλα Ἰβηρικά*, nam vox Romana prius fuit quam Graeca. Sed ordinem verborum, qui fuit *cetrae maxime*, invertimus auctoritate Bern. A Flor. B C.

peditum decem milia equitum pari armatu] Adiecimus nunc verbum *equitum* ex Flor. B C G Bern. A Leidensique libro: nec tamen cum Heinsio correximus *equitem — sequebantur*, quoniam *equitum pari armatu* idem est atque *eodem quo equites armatu*. Ceterum deteriorum librorum alii *armatura* (Flor. D E F I et G in marg. pro eo quod in textu rasura deletum est), alii *arcu*, ut Flor. H Bern. B et olim collati Pall. 1, 2.

§. 6. *sex milia expleverant, additis equitibus militatura*] Hanc omnium codd. mss. et edit. principis lectionem Aldus ita emendasse sibi videbatur, ut eiecta voce *additis* scriberet *equis militatura*. Quod quamvis reliqui praeter Modium editores probarint, male factum puto, nam Hyrcani ita videntur pugnasse pedites ut inter equites versarentur, ab iis procursarent eorumque regressum tutarentur. Sed nescio quid corruptionis fortasse latet, nam Flor. B Bern. A una cum Leid. et Voss. 1 non *egregii*, sed *egregium* habent. Mox cum in libris mss. et primum editis omnibus legatur *idem vicies* (Flor. C *vices*, D *vigies*) — *armati erant*, Hadrianus Iunius felicissime *Deruices* (in marg. *Derbices*) correxit, nomen gentis non longe remotae ab Hyrcanis et ad Oxum habitantis, auctoribus Strabone ac Plinio, cuius tamen miror alibi apud Curtium aut Arrianum non fieri mentionem. Modius, recepta illa emendatione, etiam *armaverant* Glareano sublegit: fuisse hoc quidem in Leid. Voss. 1 silentio eorum qui contulerunt libros vix crederem, ni certa Bern. A auctoritas accederet. Sed *peditum milia* (non, quod inde a principe editione obtinet, *milia peditum*) in mss. libris esse consentitur.

§. 7. *pluribus aere aut ferro praefixae hastae*] Pro *aere aut* vulgo *haerebant*, pro quo *habebant* in Bern. B Flor. C H et *erant* in Flor. F I et ex rasura in G. Sed verissime sicut edidimus emendavit Dionys. Vossius: vide fratris illius notam ad Valer. Flacci Argonaut. VI, 88 in ed. Burmanniana. De usu vocis *praefixus* cf. interpretes ad Virg. Aen. V, 557, et Curtium paulo post c. 8 *spicula auro praefixa*, lib. IV, 35 *ex summo temone hastae praefixae ferro eminebant*.

§. 8. *ignobiles aliae gentes*] Recepi lectionem Bern. A Flor. C G, quam Modius quoque se in suis libris invenisse ac restituisse gloriatur, *aliae* pro *Asiae*. Res satis apparet. In Flor. B omittitur vocabulum.

§. 9. *adiecta. Nam*] Adiicitur vulgo *sunt* contra auctoritatem codd. mss. fere omnium. In margine habent Flor. C D I, ab alia mann additur in Flor. G, proque eo *sicut* est in Flor. H et Bern. B.

nomina, festinatio prohibebat acciri. Nec quicquam illi 10
minus, quam multitudo militum defuit.

Cuius tum universae aspectu admodum laetus, purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum, et ob exilium infestum Alexandro, quippe Athenis iubente eo fuerat expulsus, percontari coepit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem? At ille, et suae sortis et regiae su- 11
perbiae oblitus, *Verum*, inquit, *et tu forsitan audire nolis, et ego, nisi nunc dixero, alias nequicquam confitebor. Hic tanti* 12
apparatus exercitus, haec tot gentium et totius Orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam qui oculis non subiecere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies, 13
torva sane et inculta, clipeis hastisque immobiles cuneos et conferta robora virorum tegit. Ipsi phalangem vocant, peditum stabile agmen: vir viro, armis arma conserta sunt: ad nutum

Cap. 5, §. 10. *Charidemum Atheniensem* unum fuisse, cuius exilium Alexander, Thebis dirutis, in reliquis exoratus, non remiserit, tradit Arrian. I, 10. Fuerat is cum Charete et Ephialte inter duces Philippo et Alexandro infestissimos, et Dareo auctor fuerat ne decertaret ipse, sed bellum, quemadmodum ante factum, Graecorum ducum militumque conductorum opera in Graecis oris gereret. Vide Diodor. XVII, 30. Videbatur igitur ipse Memnonis imperium concupiscere, Alexandri amicitiam proditione empturus. Cf. etiam Dinarch. adv. Demosth. §. 32 Bekk.

§. 11. *forsitan audire nolis*] *Forsitan* scripsi, nam *forsan*, quod antea hoc loco legebatur, poëtica forma est et apud hunc scriptorem ubique corrigendum. Habent h. l. *forsitan* Leid. Voss. 1 Flor. BCG. Bothius autem pro *nolis* propter sequens *fatebor* vult *noles* corrigi, sicut tempus futurum est VII, 16. Verum coniunctivus frequentior et quodammodo proprius huic vocabulo. Cf. nostram notam ad Ciceronis in Verr. I, 38, 98 et IV, 56, 124 (quamquam Indicativus est etiam in Bruto 13, 52 et restituendus in Orat. p. Mur. 29 pr.).

§. 13. *conferta robora vir. tegit*] Sic Modius et Snakenburgius ediderunt, cum olim in Iuniana edit. *conferta* tantum pro variante scriptura in marg. annotaretur. Vulgo enim *conserta* et editur et in Flor. est omnibus praeter E et marg. D ead. manu: ac iure mihi videor dubitare posse num e Snakenb. silentio coniici possit *conferta* in illius libris (Leid. Voss. 1, 2) inventum esse. Itaque antea auctoritatem librorum secutus retinui *conserta*. Iam ex Bern. A offertur *conferta*, quod libenter recipio, quoniam mox *armis arma conserta* recte dicuntur, et Livius in nobili comparatione Macedonicae et Romanae militiae lib. XXXII, 17 Macedones *confertos* hastis obiectis clipeisque iunctis constitisse similiter dixit. *Tegit*, quod idem Snakenb. dedit pro vulg. *teget*, miror sane non esse nisi in Flor. GH et a manu altera in E.

didicerunt] Vulgo *didicere* contra libros mss. praeter Flor. B, sed vereor ne in hoc, sicut in Bongars. A, terminatio verbi nota expressa sit.

ntis intenti, sequi signa, ordines servare didicerunt. Quod atur omnes exaudiunt: obsistere, circumire, discurrere in , mutare pugnam, non duces magis, quam milites callent. e auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disci- paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: quem occupati parant, satiat: tempora somni artiora, noctis sunt. Iam Thessali equites et Acarnanes Aetoli- invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis entur? Pari robore opus est. In illa terra, quae hos t, auxilia quaerenda sunt: argentum istud atque aurum nducendum militem mitte. Erat Dareo mite ac tracta- ngenium, nisi suam naturam plerumque fortuna cor- eret. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac supplicem

. *obsistere, circumire* cet.] Non est quin certo sensu tactico his is usus sit scriptor. Et mihi qui- *istere* videtur esse in aciem con- quod nostri dicunt *Front machen*; -e est circumagi sive ad dextram sinistram, cum unus locum ser- liqui semicirculo viae circa illum , qui antea ad sinistram illi ste- nunc ad dextram et vice versa nt, *schwenken*; *discursione in* acies extenditur, cum postremi producuntur et in prima fronte mque aut ad alterutrum latus nt. *Mutare pugnam* generalius esse, pugnandi modum mutare, , cum antea conferti dimicarint, antur et velitum more modoque t.

. *Ac ne* pro vulg. *et ne* edit. t codd. mss. Leid. nostrique prae- r. B et Bern. A.

occupati parant] Haec est scri- ibrorum mss. et olim editorum , potestque opinor intelligi: quem us occupati, verbi causa in sta- excubantes, arma praeparantes, exercentes, coquunt. Coniectura uius hominis docti profectum est edit. Froben. Iun. Mod. Freinsh. *uem occupant.* Possis etiam *quem unt*, ut quod est *parant* nihil deatur, nisi terminatio verbi re-

. *nisi suam naturam plerumque corrumperet*] Libri mss. plerique *suam naturam*, Flor. C Bern. A et Leid. *etiam nat.*, quod Modius se emendasse scribit, cum legatur iam in margine edit. Iunianae. *Etiam* non puto ferri posse, quid enim aliud corrumperet fortuna nisi naturam? Sed *suam* plerique adhuc tulerunt critici, cum explicaret Acidalius: quamcunque nacta est fortuna vel opti- mam; alii ad Dareum ipsum referrent et *fortuna* eius propriam naturam inter- dum corruptam intelligerent. Verum ge- neralem esse sententiam vix cuiquam eripietur. Equidem corrigendum esse puto. Sed quod Perizonius ad Sanctii Minervam II, 12, 1 vult ut *sua-fortuna* scribatur, cum sit duriusculum, tum sen- tentiae repugnat, quoniam una est for- tuna, cuius potentia describitur, non pro cuiusque moribus diversa. Aptius sine dubio Walchius in emendationibus Livianis p. 98 proposuit *insitam naturam*, ni praestaret *sanam* quod G. H. Bardi- lius V. D. in litteris anno 1831 ad me datis voluit, aut *etiam sanam* quae con- iectura est hominis docti in Stosch. Mus. crit. II. p. 188.

tunc cummaxime utilia suaden- tem] Vulgo *tunc maxime*, sed cum Leid. et Flor. B C Bern. A (Voss. 1 hic lacer est) *tunc cum maxime* habeant atque idem Modius e codice suo deprompserit, non dubitavi probam locutionem resti- tuere. Non enim est omni ex parte ve- rum, quod olim a plerisque dictum est (cf. Drak. ad Liv. 27, 4 et 40, 13), *cummaxime* ad praesens tempus, *tum-*

tum cummaxime utilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus, 18
habeo, inquit, *paratum mortis meae ultorem: expetet poenas consilii mei spreti ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni tam subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere.* Haec vociferantem, quibus imperatum erat, iugulant. Sera 19
deinde poenitentia subiit regem, ac vera dixisse confessus, sepeliri eum iussit.

6 Thymodes erat, Mentoris filius, impiger iuvenis: cui III.
praeceptum est a rege, ut omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet, opera eorum usurus in bello: ipsi Pharnabazo tradit imperium, quod antea Memnoni dederat.

Anxium de instantibus curis, agitabant etiam per so- 2
mnum species imminentium rerum; sive illas aegritudo, sive divinatio animi praesagientis accersit. Castra Alexandri 3

maxime, uti simplex *tum*, ad praeteritum pertinere; sed saepissime etiam prius illud cum temporibus praeteritis coniungi reperias, ut prorsus abeat in eam significationem quam Germani vocabulo gerade tribuimus. Vide V, 22, 2 et ad VII, 22, 2. Itaque non mirere, si non solum *nunc cummaxime* iuncta inveneris, sed etiam *tunc cummaxime* i. e. gerade damals Vide si placet Duker. ad Flor. IV, 1, 3, Oudendorp. ad Frontin. II, 9, 5 et ad Suet. Domit. 10, Cellarium ad Curt. V, VII in., Freinsh. in indice Curtiano.

§. 18. *consilii mei spreti*] Sic Leid. Bern. A Flor. B; turba deteriorum cum editis *mei consilii spreti*. Mox *is ipse* nescio unde in vulg. editiones (Iun. Mod.) venit, et a Freinshemio etiam Bongars. libri auctoritate fulcitur, sed *is* non reperitur in ullo meorum nec in editione principe.

§. 19. *imperatum erat*] Sic pro vulg. *erat imperatum* codices meliores, plerique omittunt *erat*, unus Flor. E et Bern. A habent *erat imp.* Deinde *sepeliri eum* omnes nostri libri, vulgo *eum sep.* inverso ordine.

Cap. 6, §. 1. *Thymodes erat, Mentoris filius*] Apud Arrianum est Θυμώνδας, sed libri Curtiani, mei certe omnes, sibi constant. Fratres autem fuerunt Mentor et Memnon, Rhodii, eorumque sororem Artabazus habebat in matrimonio, fecundo admodum, nam communes liberi fuerunt η filii et ω filiae; illorum unus Pharnabazus tum avunculi mortui imperium suscepit. Vide infra ad VI, 14 et Diodor XVI, 52 cum Wesselingii nota.

antea] Vulgo *ante* inde ab edit. principe; mss. *antea* praeter Bern. B et Flor. C H.

§. 3. *et paulo post Alexander adduci*] In edit. principe ceterisque antiquioribus ante Modium legebantur accusativi *Alexandrum adduci — — equo deinde — — vectum, subito esse subductum*, adiectis etiam interpretationis causa post *quo ipse fuisset* his verbis: *cum appellatus esset rex*. Sed haec quidem verba facile apparet ex sequenti oratione ad h. l. in margine fuisse adscripta, uti re vera in plerisque codd. Flor. fit, ac deinde textui interiecta. Verum de priore correctione quam Modius sese ex codd. suis fecisse fert, cum in margine Iunianae proponatur, dubitare possis, quoniam

magno ignis fulgore collucere ei visa sunt, et paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset, equo deinde per Babylona vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus. Ad haec vates varia interpretatione curam distrinxerant: alii laetum id regi somnium esse dicebant, quod castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico et vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam vera augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere: quem regnum Asiae occupaturum esse, haud ambigere, quoniam in eodem habitu Dareus fuisset, cum ap-

etiam Leidensis accusativum *Alexandrum* praebet ac paulo post *rectum* et *subductum* plerique scribunt. Poterat enim scriptor elegans a grammatica ratione discedere atque a passiva constructione in activam transire, quasi non *collucere visa sunt* sed *videre sibi visus est* dixisset. Eadem ratione post *dicitur, fertur* accusativum cum infinitivo poni docent Dukerus et Drak. ad Liv. IV, 41, 7, idemque Duker. ad Flor. II, 45, Burmann. ad Suetonii Othon. 7: *dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse, repertusque — humi iacens manes Galbae propitiare tentasse, postridie quoque — — — graviter prolapsum itentidem obmurmurasse* cet. Sed quominus eam rationem h. l. sequerer duo me impediverunt, unum quod in istis locis omnibus paulo longiore intervallo verbum passivum diremptum est, ut saepe non admonitus ne perturbari quidem constructionem sentias; alterum quod in Bern. A *Alexander*, in Flor. B C G ex correctione tantum *Alexandrum*, cum fuisset a pr. manu *Alexander*, legitur, et quod *vectus* in utroque Bern. et *subductus* in Flor. B est, adeo ut sine dubio manus correctrix in loco versata esse videatur. Itaque et ipse reliquos post Modium editores secutus sum, nec refingendo loco negligentiam obtrudere volui scriptori vix hoc loco excusandam. Similiter apud Tac. Ann. VI, 5 ante Pichenam legebatur: *Exin Cotta Messalinus — — arguitur pleraque C. Caesarem — — dixisse, querentemque* (Cottam) *addidisse*, ubi posthac ex mss. restitutum *querensque*.

§. 4. *curam distrinxerant*] Sic Modius edidit secutique sunt reliqui, olim enim e deterioribus libris edebatur *distraxerant*. Sed paulo insolentius dictum est *curam distrinxerant* pro eo quod est: regem ancipiti cogitatione distrinxerant, homo enim cura distringitur.

§. 5. *quidam vera augurabantur*] Magna quaedam h. l. varietas lectionis invenitur. In Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. C *non augurabantur* legitur, in Bern. B Flor. D G H cum edit. principe *non ita*, in reliquis tribus Flor. *vero ita aug.*, in Flor. denique B *quidam vero aug.* Quod in edd. recentioribus uno consensu legitur *contra augurabantur* in nullo libro manuscr. inventum est. Quid igitur? Censui *vera* legendum, quippe quod a bono et integro libro Flor. B, pauxillum abhorreat et unice sententiam videatur adiuvare.

quem regnum Asiae occupaturum esse haud ambigere] Locus satis speciose ac nescio an bene editorum ingenio refictus, cum in codd. et edd. Frobeniana (1545) antiquioribus legatur: *quodve regnum Asiae occupare habuisset haud ambiguae rei.* Nec ego quidquam excogitavi verisimilius, nisi malis *quod regnum Asiae occupaturus esset.* Ceterum mendose Snakenb. edidit *ambiguere*, neque enim ullum perfectum est huius verbi, aut tale posset esse, nec h. l. perfecto locus est, sed infinitivus est subintellecto *se*.

cum appellatus est rex] In editione minore correxeram *esset*, cum in tali varietate grammaticam rationem auctoritati librorum mss. praeferrem. Nunc restitui *est* et fidei causa et quod indicativus

pellatus est rex. Vetera quoque omina, ut fere, sollicitudo 6
revocaverat: recensebant enim Dareum in principio imperii
vaginam acinacis Persicam iussisse mutari in eam formam,
qua Graeci uterentur, protinusque Chaldaeos interpretatos,
imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset
imitatus. Ceterum ipse et vatum responso, quod edebatur 7
in vulgus, et specie, quae per somnum oblata erat, admo-
dum laetus, castra ad Euphraten moveri iubet.

7 Patrio more Persarum traditum est orto sole demum 8
procedere. Die iam illustri signum e tabernaculo regis
bucina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus
conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo
autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi sacrum et aeter- 9
num vocabant, argenteis altaribus praeferebatur. Magi
proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti et sexa- 10
ginta quinque juvenes sequebantur, punicis amiculis velati,

modus in simplici temporis significatione excusari potest, ut supra c. 5, 18. Alius sed similis generis sunt VIII, 11, 7, *quae utilia esse censebat* pro *censeret;* IX, 14, 2 *cepisse sedem, quam ipsi obtinebant;* X, 7, 4 *exules praeter eos, qui civili sanguine aspersi erant, recipi- iussit.*

§. 6. *ut fere — recensebant enim*] Olim edebatur: *vetera quoque omina, ut fert sollicitudo, revocaverant; recensebant enim Darium* cet., pro quo Modius partim Palmerii partim suam opinionem secutus dedit: *ut fit, sollicitudo revocaverat: Darium enim* cet., eumque reliqui editores secuti sunt. Quod *revocaverat* scripsit, libros mss. tantum non omnes auctores habuit, nam nostrorum quidem soli Flor. C E pluralem numerum praestant, ipsaque sollicitudo recte revocare vetera omina dicitur. *Ut fit* contra libros est, qui omnes *ut fert* exhibent, nisi quod in Leid. Voss. 2 Bern. A *ut fere* legitur, notata altera lectione in margine Bernensis Vossianique libri. Probavi nunc *ut fere*, quamquam similem locum afferre non possum ubi absolute dicatur pro eo quod est *ut fere fit*, sed nec *ut fert* sine nomine ponitur, *sollicitudinem* autem utroque ducere non placet. Quod deinde *recensendi* verbum librariorum interpretationi adscribendum putavit, in eo magis perversam quandam breviter dicendi opinionem suam quam illorum dicendi rationem secutus videtur.

vaginam acinacis] Vaginam appellat cum ipsum acinacem debuisset dicere. In re ipsa consentit Diodorus cum Curtio, in tempore mutationis discrepat, quippe quam Diodorus ad tempus post Issicum proelium referat, XVII, 53. Graecus gladius et longior multo et rectus erat, Persarum acinaces incurvus.

Cap. 7, §. 8. *bucina dabatur*] Vulgo *buccina* scribitur, sed simplici *c* Leid. Voss. 1 Bern. A, Flor. nullus nisi C. Etiam apud Ciceronem p. Mur. 9, 22 *bucc.* in plerisque codd. est. Verum causa duplicandi nulla est, et *bucina* in Mediceo Vergilii scribitur, Graeceque apud Polybium XII, 4 est *βυκάνη*. Apud Livium XXVI, 15 in optimis traditur esse ad tertiam *bucinam*, cf. Drakenb. et alios ad VII, 35 pr. interpr. Frontini I, 5, 17.

§. 10. *punicis amiculis*] Infra lib. IX, 29 *puniceum amiculum* dixit, sed *punicus* et *puniceus* parem auctoritatem poëtarum fere habent pro eo quod apud prosae orationis scriptores est *purpureus*. Hoc autem loco omnes codd. mss. mei praeter Flor. F I tuentur quod in edit. pr. est *punicis*, pro quo Aldus primus edidit *puniceis*.

diebus totius anni pares numero; quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Iovi sacratum albentes vehebant equi: hos eximiae magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur. Aureae virgae et albae vestes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem multo auro argentoque caelata. Sequebatur haec equitatus duodecim gentium variis armis et moribus. Proximi ibant quos Persae Immortales vocant, ad decem milia. Cultus opulentiae barbarae non alios magis honestabat: illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos cognatos regis appellant, decem et quinque milia hominum. Haec vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis conspicua erat. Doryphoroe vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Utrumque currus latus deorum simulacra ex auro argentoquo expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmae iugum, ex quo eminebant duo aurea sumulacra cubitalia, quorum alterum

§. 11. *regentes equos*] rectores equorum, ut Suet. Tit. 4.

§. 13. *equitatus duodecim gentium*] Recte Schmiederus de duodecim tribubus Persarum intellexit. Xenoph. Cyrop. I, 2, 5 *δώδεκα γὰρ καὶ Περσῶν φυλαὶ διῄρηνται. Morum* diversitatem pertinere puto ad diversam pugnandi rationem, quatenus aut iaculis sagittisque utebantur aut stabilem pugnam conserebant.

§. 15. *Doryphoroe vocabantur*] *Doryphori* Aldina ac deinde reliquae; sed edit. princeps *diriphore* et libri mss. omnes *doriphorae*, *doriphore*, *dorifore*, nullus certe cum Latina terminatione *i*. Apparet Graecam *oe* restituendam esse: cf. nostram annot. ad Cic. libr. IV in Verr. 3, §. 5. *Vocabantur* autem satis constanter libri et recte, quoniam verbum fere proxime antecedenti nomini adaptatur; *vocabatur* autem meorum Bern. B Flor. G H.

§. 16. *quorum alterum Nini, alterum erat Beli*] Codd. mss. nonnulli *quorum alterum in alterutrum belli*, Flor. DE a pr. m. *alter in alterutrum*, Flor. G a pr. m. *alter in alterum*, Flor. B *quorum alter in alterutrum est belli*. In vulgaribus adiicitur *gerebat effigiem*, quod in marg. Flor. G est, omittitur autem in Flor. C H Bern. A et Leid. (de Voss. 1 silet Snakenb.) Ed. princeps *quorum alterum in alterum belli gerebant effigiem*, Modius *quorum alterum pacis, alterum belli gerebat effigiem*. Sed deorum nomina Iosephus Scaliger (in Addit. operis de emendat. temp. p. 751) sine dubio recte intellexit fuisse Nini et Beli, antiquissimorum regum Assyriae et Babyloniae (quamquam Belus etiam vetustior Nino fuit) secutique eum sunt recentiores inde a Freinshemio. Verum ista *gerebat effigiem* et codicum auctoritas et sermonis insolentia arguit a Curtio non esse profecta: aut simpliciter delenda censeo, aut secundum Flor. B scribendum *quorum alterum Nini, alterum erat Beli*. Atque hoc nunc praetuli.

Nini, alterum erat Beli. Inter haec aquilam auream pinnas extendenti similem sacraverant.

8 Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureae 17
tunicae medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant; et zona aurea muliebriter cinctus acinacem 18
suspenderat, cui ex gemma vagina erat. Cidarim Persae 19
vocabant regium capitis insigne: hoc caerulea fascia albo distincta circumibat. Currum decem milia hastatorum se- 20
quebantur: hastas argento exornatas, spicula auro praefixa gestabant. Dextra laevaque regem ducenti ferme nobilissimi 21
propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta milibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Intervallo deinde unius stadii matrem Darei 22

aquilam aur. pinnas extend.] Secutus sum in ordine verborum (cum vulgo sit *auream aquilam*) Bern. A Flor. B C G, in eo autem quod *pinnas* et hoc loco et VII, 35, 25. VII, 41, 6. VII, 43, 24 scripsi optimorum Bern. A Flor. B Leid. Voss. 1 consensum. Vulgares partim *pennas*, partim *plumas*, quod est in Bern. B Flor. D E F H I. Ceterum miror qui factum sit ut h. l. *pinnae* ex edit. Juniana fluxerint ad reliquas, cum reliquis tribus locis *pennae* vulgo remanserint. Nam ea distinctio, quam praeeunte Quintiliano I, 4 Caper de orthographia fecit, *pinnas* murorum, *pennas* avium dicendas esse, non omni ex parte veterum scriptorum usu comprobatur, ut qui *pinnas* quoque avium non raro dixerint. Magis ad rem pertinet, quod *pinnas* avium tum maxime dicere veteres scriptores solent, cum de volatu, non de tegumento sermo est. Vide Drakenborch. ad Livium XXI, 31, 8 et quem laudat Ulitium ad Gratii Cyneg. 83.

Cap. 8, §. 17. *purpureae tunicae medium album intextum erat*] Cellarius secutus Salmasium (exercit. Plin. p. 497 ed. Ultraj.) *albo* edendum curavit, atque sic in cod. Leidensi legi testatus est Snakenburgius. Ceterorum librorum mss. auctoritas discrepat, nec ego *medium tunicae* cum oratione Curtiana congruere puto, contra *medium album intextum erat* optime dici. Σάραπις ea tunica appellabatur purpurea clavis candidis intertexta, sive μεσόλευκος.

velut rostris inter se concurrerent] *Concurrerent* in libris mss. cum olim collatis tum Bern. duobus et Flor. omnibus legitur, editores tamen nescio quid elegantiae in *corruerent*, quod iam in ed. pr. est, sibi intelligere visi sunt. Falso, neque enim veterum scriptorum quisquam *corruere* de hostili alterius in alterum impetu dixit, sed de spontanea labe singulorum.

§. 18. *acinacem suspenderat*] nimirum e (de) zona vel zona simpliciter, neque enim est cur Schefferum secuti pro *et zona* scribamus *e zona*. Mox *vagina erat* dedimus pro vulg. *erat vagina* ex Bern. A, Flor. B G Leid. Voss. 1.

§. 19. *Cidarim P. vocabant regium cap. insigne*] Sic Bern. A Flor. B G, quibuscum Leid. Voss. 1 concinere videntur, in quibus Snakenb. annotavit esse *voc. cap. reg.* Vulgo *Cidarim P. regium cap. insigne vocabant*. Quam deinde *caeruleam fasciam* dicit Curtius, eam VI, 20 *purpureum diadema* vocat. Intellige igitur de violaceo purpurae genere. Κίδαρις, si solius erat regis, eadem fuit quae ὀρθὴ τιάρα, quam κεκλιμένην gestasse dicit reliquos duces Etymologicum magnum s. v. τιάρα, quamquam Arrianus Anab. VI, 29 ὀρθὴν τὴν κίδαριν coniunxit, quam gestaret qui regem se haberi vellet.

Sisygambim currus vehebat, et in alio erat coniunx. Turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim deinde, quas armamaxas appellabant, sequebantur. In his erant liberi regis, et qui educabant eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis. Tum regiae pellices trecentae sexaginta vehebantur, et ipsae regali cultu ornatuque. Post quas pecuniam regis sexcenti muli et trecenti cameli vehebant, praesidio sagittariorum prosequente. Propinquorum amicorumque coniuges huic agmini proximae, lixarumque et calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quique ducibus, qui cogerent agmen, leviter armati. Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat, equis virisque non auro, non discolori veste, sed ferro atque aere fulgentibus. Agmen et stare paratum et sequi, nec turba nec sarcinis praegrave, intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum. Et castris locus, et exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit: Dareus, tantae multitudinis rex,

§. 22. *Sisygambim*] Sic scribitur h. l. nomen in Flor. B D H I, in ceteris codd. *Sisigambim*, quae scribendi ratio alibi communis est omnium. Apud Diodor. lib. XVII extr. in textu Σισύγγαμβρις, in variant. Σισίγαμβρις vel Σισίγγαμβρις.

§. 23. *Quindecim deinde — sequebantur*] *Deinde* pro vulg. *inde* codd. Bern. et Flor. ad unum omnes, nec dubito quin *in* ceteris olim collatis legatur. Tum *appellabant* item omnes nostri cum tribus Snak. libris praeter Flor. I, qui vulgatam scripturam *appellant* tuetur.

et qui educabant eos] Sic omnes libri nostri praeter Flor. E qui a pr. manu *educebant*, et Bern. A in quo est *ducabant* supra lineam appicto manu recentiore *e*. Tanto magis miror *educebant* notari a Snakenburgio esse in Leid. Voss. 1. Est tamen hoc etiam in Aldina.

§. 24. *tum regiae pellices*] Annotandum censeo in libris mss. meis omnibus esse *tunc*, in melioribus etiam *pelices* scribi (itemque V, 1, 6. V, 22, 2, ubi Snak. annotat simplici littera l semper id verbum in mss. (suis) exarari). Neutrum possum probare, quandoquidem *tunc* ad temporis momentum, non ad ordinem pertinet, et de littera *l* duplicanda consentio cum Schneidero Element. ling. Lat. p. 573. Sed quod sequitur *trecentae sexaginta*, non repugno quin e Bern. A Leid. Flor. C scribatur *trecentae et sexaginta*.

prosequente] Sic primum edit. Iuniana, cum vetustiores contra omnium codd. mss. auctoritatem dedissent *persequente*.

§. 25. *cum suis quique ducibus*] Sensit recentissimus editor Muetzellius, corrigendum esse quod in libris quidem omnibus est *cum suis quisque ducibus*: nec enim singuli leviter armati suos duces habebant, sed singulae cohortes sive agmina leviter armatorum; hoc autem significabitur plurali numero *quique*. Cf. ad IV, 5, 30.

§. 26. *dispar facies erat*] *Facies* dedimus ex facili coniectura Schefferi, quamquam vulgatum *acies* in omnibus et edd. et codd. mss. legitur. Repetitum vocabulum nec sententiae tenor nec sermonis elegantia fert.

§. 27. *suppetebant*] Unus Flor. F *suppetebat*. Infra VI, 38 *mihi securitatem*

loci, in quo pugnavit, angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

9 Interea Alexander, Abistamene Cappadociae praeposito, IV
Ciliciam petens cum omnibus copiis, regionem, quae castra Cyri appellatur, pervenerat. Stativa illic habuerat Cyrus, cum adversus Croesum in Lydiam duceret. Aberat ea re- 2
gio quinquaginta stadia ab aditu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolae dicunt artissimas fauces, munimenta, quae manu ponimus, naturali situ imitante. Igitur Arsames, qui 3
Ciliciae praeerat, reputans quid initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium sero exequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat: quicquid usui potest esse corrumpit, sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus. Sed longe utilius fuit an- 4
gustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare praesidio, iugumque opportune itineri imminens obtinere, unde inultus subeuntem hostem aut prohibere, aut opprimere po-

primum innocentia mea, deinde tua dextera obtulerant.

Cap. 9, §. 1. *Abistamene*] Arrianus *Σαβίκταν* appellat, sed Curtiani libri sibi constant, quamvis varient *ab histamene, ab istamene.*

regionem, quae castra Cyri appellatur, pervenerat] Praepositionem *in* abesse sane aegre fero, neque enim poëtarum exempla illud fieri solere satis probant: vide Sanctii Minerv. l. IV de praepos. ellipsi. Sed nescio an scriptor, cum urbem intelligeret, magis id sibi licere putaverit (Cf. tamen ad IV, 31). Certe *in* adiicere contra omnium librorum auctoritatem, sicut in appendice Aldinae proponitur ac Modius fecit, nemo audeat. Etiam *appellatur* consensu librorum mss. tutum est fere omnium, tantum Bern. B et Flor. H *appellantur*, G *appellat.* Sed ed. pr. *appellant*, Ald. *appellantur.*

stativa illic habuerat] Nescio quis primus *ibi* pro *illic* in vulgatam intulerit, sed fecit contra libros manuscriptos et olim editos, etiam Ald. Iun. Mod.

adversus Croesum] Uterque Bern. et Flor. B G H *adversus* pro vulg. *adversum*, a Snak. nihil notatur. Commutari istas formas in libris mss. constat, delectus difficilior est. H. l. et duorum antiquorum codd. auctoritas et ipse sonus fecit ut maluerim *adversus.* Ceterum ad minorem Cyrum nomen loci rectius videtur Arrianus II, 4 rettulisse.

§. 3. *Arsames*] Miror cur Freinsh. tantopere pro scriptura huius nominis *Arsanes* pugnet, imprimis cur Herodotum testem advocet I, 139, quippe qui illud tantum doceat omnia Persarum nomina littera *s* terminari. *Arsames* autem legitur in optimis Voss. 1 Bern. A Flor. B C G, et in Leid. saltem *Arsemes* est. Mox *Memno* de nostris unus Bern. A, sed traditur a Snakenb. sic etiam in Leid. et Voss. 1 esse. *Menon* semper edit. pr. Cf. ad V, 23 extr.

quicquid usui potest esse] Sic Snakenb. libri et mei praeter Flor. G, vulgo *esse potest.*

§. 4. *subeuntem hostem*] Vulgo contra omnes codices nostros *subeuntem aut prohibere aut opprimere hostem potuisset* cum falsa quadam elegantiae specie. Modius codicum mss. auctoritatem secutus est, Snakenb. de libris suis tacuit. Deinde cum *tunc* in edd. esset, unus Modius *nunc* edidit, et reliqui, qui alibi fere illum non audirent, hoc loco audiendum putarunt scripseruntque et ipsi *nunc — retro ipse concessit.* Legitur

5 tuisset: tunc paucis, qui callibus praesiderent, relictis, retro ipse concessit, populator terrae, quam a populationibus vindicare debebat. Ergo qui relicti erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere valuerunt, cum vel pauciores locum obtinere potuissent.

6 Namque perpetuo iugo montis asperi ac praerupti Ci-10 licia includitur; quod cum a mari assurgat, velut sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum 7 litus excurrit. Per hoc dorsum, qua maxime introrsus mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt, quorum uno 8 Cilicia intranda est. Campestris eadem, qua vergit ad mare, planitiem eius crebris distinguentibus rivis: Pyramus et Cydnus incliti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis, quippe leni tractu e fontibus labens, puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt, qui pla- 9 cide manantis alveum turbent: itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amoenitate inumbratus, 10 ubique fontibus suis similis in mare evadit. Multa in ea regione monumenta, vulgata carminibus, vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes, Lyrnessi et Thebes, Typhonis

sane *nunc* in Flor. B Bern. A, sed mendum esse puto, quandoquidem de praeteriti temporis condicione dici non potest.

§. 5. *quam a populationibus vindicare debebat*] Variant in hoc loco exhibendo codd. nostri. In Flor. B librarii culpa totus locus a *populationibus* usque ad *conspectum* excidit. Reliquorum duo C H *quam populationibus vindicare debebat*, unus G *a populationibus vind. decebat*, D E F I *quam populationibus vindicare debuerat*, Bern. uterque *quam a popul. vindicare*, ac deinde Bern. A *debebant* a pr. manu (sicut Voss. 1) Bern. B *debebat*. Itaque me et illorum codd. et Leid. Voss. auctoritas ut *debebat* ederem admonuit, sed ne praepositionem *ab* omitterem, iidem codd. Leid. Voss. Bern. obstabant et perpetuus fere cum aliorum scriptorum tum Curtii usus in addenda huic verbo particula. Edit. pr. e deterioribus codd. *quam popul. vind. debuerat*, Ald. adiecit *a popul.* eaque vulgaris lectio facta est, Modius tamen *a popul. vindicare debebat.*

Valuerunt pro vulg. *voluerunt* codd. nostri ad unum omnes, item Snakenburgii (praeterquam quod in Voss. 1 traditur legi *valuere*), recte, deditque etiam Modius.

Cap. 10, §. 6. *cum a mari assurgat*] *Assurgat* sive *adsurgat* Flor. BCG Bern. A Leid. Voss. uterque: ceteri manuscripti et editi (praeter Mod.) *surgat*. Sed quod sequitur apud Freinsh. *veluti* pro eo quod est *velut* nullam prorsus auctoritatem habet.

§. 7. *introrsus*] Sic omnes mss., editi praeter Mod. *introrsum*.

§. 10. *vetustas exederat*] Cf. IV, 8, V, 5 quod ad elegantiam tropi attinet.

Lyrnessi et Thebes] Curtius cum sine dubio Homericas urbes intelligat, geographum videtur ante oculos habuisse, qui urbes cognomines in Pamphylia sive sensu latiore in Cilicia sitas ad Troianam aetatem referret, quamquam Strabo libro XIV, p. 667 Theben ac Lyrnessum, quae inter celebratas posthac urbes Phaselidem et Attaliam mediae interiacebant,

quoque specus, et Corycium nemus, ubi crocum gignitur, ceteraque, in quibus nihil praeter famam duraverat.

11 Alexander fauces iugi, quae Pylae appellantur, intravit. 11
Contemplatus locorum situm, non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem suam: obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui in subeuntes propellerent. Iter vix 12
quaternos capiebat armatos: dorsum montis imminebat viae, non angustae modo, sed plerumque praeruptae, crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium manant. Thra- 13
cas tamen leviter armatos praecedere iusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupaverat iugum: intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos inire, sed proelium. Hoc 14
modo agmen pervenit ad urbem Tarson, cui tum maxime Persae subiiciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium 15
cum expedita manu praemisso, postquam barbaros adventu suorum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam intrat.

12 Mediam Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, V

a Cilicibus ex agro Troiano eiectis conditas tradit, auctore usus Callisthene. De Typhonis specu pestilenti cf. Melam I, 13. Corycium *nemus* quod Curtius dicit, *ἄντρον Κωρύκιον* est apud alios, locus alte depressus, umbrosis montibus circumdatus et croco obsitus: vide Strab. l. l. p. 670 sq. *Specum* tamen Corycon etiam Plinius appellat nat. hist. V, c. 27 (§. 92).

Cap. 11, §. 11. *contemplatus locorum situm*] *Situm* omnes mss. nostri, editi (praeter Mod.) *situs*.

qui in subeuntes propellerent] Codd. plerique praepositione omissa *qui subeuntes propellerent*, deteriores tantum libri Flor. B Voss. 2 *qui subeuntes percellerent*, Bern. B *qui subeuntes procellerent*. Apparet h. l. dici de impulsu saxorum qui manu aut pede fieret, quemadmodum Caesar bell. Gall. III, 46 *cratesque pro munitione obiectas propulerunt, ut fossas transscenderent:* homines vero etiam alio quovis modo *propelli* dicuntur. Itaque rectissime factum puto in Aldina ut *in* praepositio adiiceretur, et per Modianam et Freinsh. propagaretur.

§. 13. *moniti non iter ipsos inire*] Flor. B E et in marg. D *rati non iter* cet., ut ex olim collatis Pal. 1. De Voss. 1 et Leid. nihil apud Snakenburgium. Itaque mutare nolui, cum alioquin prudens illud consilium apte ad Alexandrum referatur. E correctione cod. Flor. G habet *inituri non iter ipsum sed proelium*. Bern. B et Flor. H in pravitate fere concordantes *non inter ipsos inire*, tum ille *se*, hic *sed*. Bern. A *inires (ed* supra lineam expletur a manu recent.); hunc opinor fontem esse depravationis.

§. 14. *tummaxime subiiciebant*] Annotandum puto *tunc max.* in uno Flor. B esse, *tunc cummaxime* (quod Mod. dedit) in nullo, sed *subicebant* in omnibus quibus utor praeter Flor. Gest, vide supra 1, 2, 13.

Cap. 12, §. 1. *Cydnus amnis*] Omittitur vocabulum amnis in Flor. B.

interfluit, et tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit, et diei fervidissimum tempus exceperat. Pulvere simul ac sudore perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis, (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi et parabili cultu corporis se esse contentum,) descendit in flumen. Vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt, pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor liquit. Expiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo et paene iam luctus in castris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum. Instare Dareum, victorem antequam vidisset hostem. Sibi easdem terras, quas victoria

et diei fervidissimum tempus exceperat] Dubitationis aliquid inest in hoc loco. Edidi *exceperat* ex codd. Bern. A Flor. B G et Leid. Vossianoque priore, item Modiano libro, cum vulgo legatur *coeperat*. Nec tamen *excipere* absolute pro *coepisse* dici existimaverim. Apud Livium II, 6 *turbulentior inde annus excepit* facile intelligas proxime superiorem, atque in iis locis, quos Drak. ad illum locum comparat, eodem modo non difficile accusativum attrahas. Hoc autem loco ex ipso nominativo *fervidissimum tempus diei* intelligendum esset *minus fervidum*.

§. 2. *pulvere simul ac sudore perfusum*] Hanc legitimam verborum *simul ac* collocationem omnes codd. nostri et reliqui qui accuratius collati sunt servant. Sic etiam paulo post *amicis pariter ac medicis* et VIII, 17 *obsides simul habiturus et milites*. Vulgo *pulvere ac sudore simul perfusum*. Mox *et parabili* item omnes nostri, editi (praeter Mod.) *ac*.

§. 3. *pallor deinde suffusus est, et — calor liquit*] *Suffundi* de rubore et sanguine ab interioribus partibus prodeunte dicitur proprie, non item proprie de pallore qui inducitur faciei, sed mutatio coloris communis est utrique. Tum vulgo *calor reliquit*, nos nunc *liquit* dedimus libros secuti Bern. A Flor. B G Voss. 1 (miramurque Leidensem a familia sua desciscere), item Modii exemplum. Frequens apud Curtium verbum poëticum *linquere*, imprimis de animo deficiente.

§. 6. *quas victoria peragrassent*] Editi praeter Modianum *victores*, quod fluxit e Bern. B Flor. H Voss 2 et reliquis eius sectae libris mss. Sed maior numerus omnesque melioris notae libri *victoria*, quod restituere non dubitavimus. Neque enim in hac condicione codicum mss. speciem quandam verisimilitudinis observare opus est, qua motus Oudendorp. ad Suet. Aug. 93 *victoriis* potius velle se scripsit, quippe quod propius accederet ad *victores*. Cicero quidem dixisset *cum victoria*, sicuti dixit p. Balbo 6, §. 16 *cuius res gestae omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragrassent*, sed simplicis ablativi in tali structura usum Liviana imprimis exempla defendunt, a Dukero ad Flor. II, 1 *totum orbem terrarum bellis victoriisque peragravit* et a Ruhnkenio ad Vellei. II, 89 et 97 non huius rei causa sed ut *peragrandi* verbum illustrarent allata. Omiserunt Livium VII, 20 *cum*

peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos aut hostes populatos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes, fame atque inopia debellari posse. Quem signum 7
daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iam ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem 8
misericordia versa, illum florem iuventae, illam vim animi, eundem regem et commilitonem, divelli a se et abrumpi immemores sui querebantur.

13 Inter haec liberius meare spiritus coeperat, allevabat- 9
que rex oculos, et paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat, laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem 10
aegritudo corpus urgebat, quippe Dareum quinto die in Cilicia fore nuntiabatur. Vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi ex manibus, obscuraque et ignobili

populatione peragrati fines essent, quem locum attuli in gramm. Lat. §. 473, dum ablativi usum cum eiusmodi expeditionum bellicarum verbis expono. Nec dissimile quod sequitur statim *fuga ad Hellespontum penetrare*.

§. 7. *ut ad Hell. fuga penetrarent*] Flor. B sed solus *penetrassent*. Bothius quod sequatur *transeant* scribendum censet *penetrarint*. Non opus est.

§. 8. *et abrumpi*] Sic mss. omnes et edit. princeps. Aldinus editor dedit *arripi*, voluit autem quod Iunius effecit *abripi*, eaque pro vulgari lectione habita est a Freinshemio, qui se non spreturum ait *abrumpi*, si alicuius libri auctoritate niteretur. Scilicet id operam dederat ut quaereret.

Cap. 13, §. 9. *allevabatque rex oculos*] Snak. Freinsh. et retro usque ad Aldinam *adlevabat* sive *allevabat* sine coniunctione. Editio pr. et Modiana et codd. plerique *allevabatque*, optimi discordant inter se, *que* habet Flor. B, omittit Bern. A et, ut par est existimare propter silentium Snakenburgii, Leid. Voss. 1.

ob hoc solum edidit Freinshemius de coniectura nescio cuius sed dudum nota, quippe de qua iam Acidalius memoret. Libri omnes *ad hoc* (Bern. B et Flor. C *ad haec*) *solum*. Nihil illa coniectura aptius ac verisimilius; nam *ad hoc* hoc quidem loco nihil aliud nisi finem et consequentiam significaret, ac sequi debebat *ut magnitudinem mali sentiret*. Curtius contra sui conscientiam reversam pro indicio adstantibus fuisse dicit fore ut mox etiam corporis vires reverterentur. Affert Freinsh. opportune Senecae locum ep. 6 *Quibusdam aegris gratulatio fit cum se ipsi aegros esse senserunt*. Frequens porro Curtio esse indicat Acidalius *ob id*, cf. IV, 41. 52. 63. VII, 6. Modius de coniectura *hoc solum* edidit, quod non est huius loci.

§. 10. *animi autem aegritudo corpus urgebat*] In deterioribus codd. atque inde ductis editionibus praeter Modianam omnibus, sententia contraria nec tamen damnanda, scriptum est *animum autem aegritudo corporis urgebat*. Sed praeterquam quod optimorum codd. Leid. Bern. A Flor. B itemque G auctoritas huic scripturae adversatur, ne usus quidem sermonis Latini pati eam videtur, quandoquidem *aegritudinem corporis* omnis melior aetas improbavit, ad animum potius referens aegritudinem, ad corpus aegrotationem. Verba haec fere sunt Ciceronis in Tuscul. III, 10.

in Cilicia fore] Vulgo *in Ciliciam* quod alioquin, si codd. iuberent, non

11 morte in tabernaculo extingui se, querebatur. Admissisque amicis pariter ac medicis, *In quo me*, inquit, *articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, iam*
12 *provocor. Dareus ergo cum tam superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequicquam, si mihi*
13 *arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non expectant tempora mea: vel mori strenue, quam tarde convalescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quam belli remedium*
14 *quaerere.* Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas eius. Ergo pro se quisque precari coepere, ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate me-
15 dentium: inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, cum ad perniciem eius etiam a latere ipsius pecunia solli-
16 citaret hostis. Quippe Dareus mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari iusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

VI Erat inter nobiles medicos ex Macedonia regem secu-14

reprobarem. (Vide ad lib. VII, 13.) Veruntamen ablativum casum tuentur non solum optimi libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. B, sed etiam qui fere deteriorem sectam ducunt Voss. 2 Flor. G H E Bern. B. Mox *ex manibus* pro vulg. *e manibus* dedi, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor B C D E F I secutus.

in tabernaculo extingui] Additur vulgo *suo* contra codd. meorum omnium, quid? etiam editionum veterum auctoritatem.

§. 11. *pariter ac*] Sic dedi ex optimis simul et plurimis; *pariter atque* in Bern. B Flor. F H I inventum est, in uno Flor. G *pariter et* quod editiones occupavit praeter Modianam omnes.

§. 12. *fortunam meam in consilio habuit*] Nove dictum sed ad rem apte: consultavit quasi cum fortuna mea, ab eaque videtur admonitus esse ut confideret. In consilio fere habemus amicos, de quorum sententia statuamus quid agendum sit. Novum h. l. hoc est, quod adversarii fortunam dicitur Dareus consuluisse i. e. malam illius fortunam sibique propterea propitiam.

§. 13. *non expectant tempora mea* ex Flor. B C Bern. A Leid. Voss. et edit. Mod. scripsi pro vulg. *non expetunt. Non expectant*, ait, i. e. equidem in his rerum mearum angustiis expectare non possum, dum lentis remediis curer. *Expetunt* si verum esset, debebat alio verborum ordine: *non lenta remedia aut segnes medicos expetunt tempora mea.* Confundi autem a librariis ea verba et nos in Curtio didicimus et docet Drakenborch. ad Livium X, 7 extr.

§. 15. *a latere ipsius*, i. e. regi proximos, cf. Gronov. ad Liv. XXIV, 5 fin.

§. 16. *itaque — arbitrabantur*] Quod de scholio cogitant Freinsh. et Cellarius, nihil est: *arbitrabantur* est dicebant se arbitrari. Sed *arbitrabatur* mendose scriptum erat in Flor. B H Bern. B et edit. principe aliisque, etiam Freinsh. et Snak.

Cap. 14, §. 1. *ex Macedonia*] Sic Flor. omnes praeter H; vulgo *e Mac.*

tus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes et custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. Is non prae- 2
ceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum eius placebat praeter ipsum, cuius periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti po- 3
terat: arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esset arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset, id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. Inter haec a Parmenione, fidissimo purpuratorum, 4
litteras accipit, quibus ei denuntiabat, ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis a Dareo et spe nuptiarum sororis eius esse corruptum. Ingentem animo sollici- 5
tudinem litterae incusserant, et quicquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat, secreta aestimatione pensabat. *Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit,* 6
ne immerito quidem, quicquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere, quam metu nostro.

quod videtur inventum esse in Bern. utroque et Vossianis.

natione Acarnan] Variant codd. ut solent: meliores *Arcanan*, alii *Archananus*, *Acharnanus* (ut edit. pr.), *Artananus*, Flor. G ex corr. *Acarnas*. Verum est quod editur inde ab Aldo, et Graeco usu et Vergilii Statiique (XV, 588) locis comprobatum.

§. 2. *pollicebatur* potest cum Radero passive accipi, et sententia esset concinnior. Sed non est opus, nec ullus satis idoneus auctor invenitur. Cf. Wopkens. Lectt. Tull. lib. II, 12 p. 194. Intelligitur potius *medicus*.

§. 3. *positam esse arbitrabatur*] Flor. B omittit *esse*.

§. 5. *secreta aestimatione*] Flor. omnes praeter C *existimatione;* non muto tamen vulgatam, quam Bern. A Leid. Voss. 1 tuentur.

§. 6. *damnem medici fidem? In tabernaculo ergo* cet.] Editio princeps et insecutae *dampnemne medici fidem? in tabernaculo me opprimi patiar? Non. Atqui satius est* cet. Modius edidit *damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est* cet., eumque reliqui secuti sunt. Modiana scriptura prorsus est in Bern. A Flor. C et (ut par est e silentio Snak. coniicere) in Leid. Voss. 1, item in Flor. B nisi quod *ergo* non habet. Reliqui libri partim *damnemne* (Flor. D E F I) partim *Non atqui* (Flor. H Bern. B) aut certe *Atque* (Flor. E a pr. m., adiecto ab altera *non*) et G). Quae cum ita sint, Modianam scripturam praefero. Membra sunt separata, sed cum utroque coniungitur quod consequens est: *ergo* ad alterum membrum adiunctum respondet particulae *ut* quae in priori est. Denique Modius *quam metu nostro* scripsit pro vulg. *meo* e codicibus quales sunt Bern. A Leid. Voss. 1, quibuscum Flor. B conspirat *vestro* exhibens. Itaque pro-

ı animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset ıntiat, epistolamque, sigillo anuli sui impresso, pulvino, incumbebat, subiecit.

Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit a me- 15
o destinatus dies, et ille cum poculo, in quo medica-
ntum diluerat, intravit. Quo viso Alexander levato cor-
re in cubili, epistolam a Parmenione missam sinistra
ınu tenens, accipit poculum, et haurit interritus: tum
istolam legere Philippum iubet, nec a vultu legentis mo-
t oculos, ratus, aliquas conscientiae notas in ipso ore
sse deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignatio-
quam pavoris ostendit: proiectisque amiculo et litteris
:e lectum, *Rex*, inquit, *semper quidem spiritus meus ex te*
ɔendit, sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahi-
. Crimen parricidii, quod mihi obiectum est, tua salus di-
t. Servatus a me vitam mihi dederis: oro quaesoque, amisso
tu patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper ani-

i *nostro* et explico *meo meorumque corum.*

. 7. *sigillo an. sui impresso*] Vulgo *ɔressam:* nos nunc sequimur quattuor imorum Bern. A Flor. B Leid Voss. 1 toritatem usumque scriptoris nostri, ıd quem aut anulus aut sigillum anuli ɔrimitur, vid. h. l. c. 18 et VI, 20, ımquam etiam tabellas imprimi Li- ıo exemplo XXXVII, 10 Mützellius fendit.

Cap. 15, §. 8. *destinatus dies*] Solus or. B *destinata.*

§. 9. *levato corpore in cubili*] Edit. et codd. mss. omnes *in cubile*, sed ɔr. G et Modiani duo, Sigebergensis quem suum ille appellat, *in cubili.* iti inde ab Aldo *in cubitum* tanta ıstantia, ut ne Modius quidem discor- e ausus sit. Verum quae res sit vi-, lector. Eant igitur et in cubitum ari homines exemplis doceant Ver- i Aen. IV, 690, Ovid. Metam. VII, 343, tronii c. 132 *erectus in cubitum;* sed ıcedent etiam ita erigi ut sedeant in to, praesertim si utraque manu uti int.

ıccipit — *haurit*] Edit. princ. *accipit hausit*, Aldina et reliquae usque ad ıdium. *accepit* — *hausit* contra plurimorum codd. auctoritatem, nam ex nostris *accepit* quidem in uno Flor. G a prima m., in C ex correctione, *hausit* autem ex corr. in G est. Sed ad sententiam nihil prorsus interest, quamquam Santacrucius Examinis p. 249 nescio quid ad veritatem historiae magis accommodatum in ea, quam nos secuti sumus, scriptura sibi invenisse visus est, quasi non addatur *tum*, quod certe indicat medicamentum prius haustum esse a rege, quam Philippi legentis vultum notare posset, sicut item Val. Maximus III, 8 extr. narrat, cum Arrianus et Plutarchus simul utrumque factum tradiderint. Sed tantas alius composuerit lites!

legere Philippum, hoc ordine verborum, omnes codd. nostri et Vossiani ambo (de Leid. siletur) et edit. Mod. Vulgo inversa leguntur.

movit oculos] Flor. D I *amovit*, F *ammovit*, E et Pal. 1 *avertit*, idem D in margine. Mox *posse* omittitur in Bern. B Flor. CDEFHI.

§. 10. *nunc vere, arbitror, sacro — ore trahitur*, i. e. ut recte Freinsh.: nunc ego in te vivo, nunc anima mea tuo ore ducitur.

§. 11. *oro quaesoque, amisso metu*

mum, quem intempestiva sollicitudine amici sane fideles, sed moleste seduli turbant. Non securum modo haec vox, sed etiam laetum regem ac plenum bonae spei fecit. Itaque, *si Dii*, inquit, *Philippe, tibi permisissent, quo modo maxime* 12
velles animum experiri meum, alio profecto voluisses, sed certiore quam expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen quod dilueras bibi: et nunc crede, me non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum. Haec locutus dextram Philippo offert.

16 Ceterum tanta vis medicamenti fuit, ut quae secuta 13
sunt criminationem Parmenionis adiuverint. Interclusus spi- 14
ritus arte meabat. Nec Philippus quicquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit; ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque ut primum mentis 15
compotem esse sensit, modo matris sororumque, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non destitit. Ut 16
vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit, primum animus vigorem

patere] Optimi ac plerique codd. (Leid. Voss. Bern. A Flor. BCDEGI) enclitica*m que* ignorant, quae in edd. vulgatis legitur *amissoque metu.* Quod qui scripserunt, verba *oro quaesoque* cum *dederis* male coniunxerunt. Nec vero est cur *omisso* potius cum Flor. F G quam *amisso* scribamus. *Amittimus* enim quae habemus, i. e. deponimus, amovemus, *omittimus* quae non suscipimus. Inde facile intelligitur, et *amittere* et *omittere metum* dici posse. Cf. Burmann ad Phaedr. I, 13, 10, Drakenb. ad Liv. V, 43, 4. *Omitte timorem* apud Ciceronem in somnio Scipionis §. 1 de timore recens nato dicitur. Hoc autem loco Philippus animum regis dudum suspicione aliqua motum putat, eamque ipsam ob causam rex eum sua oratione confirmat.

§. 12. *quo modo maxime velles animum experiri meum*] Hoc ordine verborum meliores codices, Bern. A Flor. B C Leid. Cum vulgata *quo maxime modo animum velles* nullus cod. meorum consentit, sed unus Flor. G, qui *maxime* interponit, habet tamen *velles animum*, et qui *animum velles* scribunt *quomodo* coniungunt.

Sed certiore quam expertus es, ne optasses quidem] Sic omnes ad unum libri nostri et Snakenburgii, sed in edd. praeter Modianam omnibus minus concinne *certiorem* legitur.

Et nunc crede me non minus pro cet.] Iterum, quod mirere, editores contra librorum, quantum ex Flor. Bern. et Snak. consensu existimare licet, omnium auctoritatem scriptoris optimum sensum corruperunt scribentes *et nunc credo te non minus esse sollicitum.* Inter quas scripturas vix dici potest quantum urbanitatis et humanitatis discrimen intersit.

Haec locutus] Freinsh. *eloquutus* quod non invenio in edd. veteribus nisi in margine Iunianae. Codices quidem mss. ad unum omnes *locutus*, ne quis etiam de falsa scriptura *loquutus* cogitet, quam nusquam in libris mss. vidi.

Cap. 16, §. 13. *Vis medicamenti*] *Medicaminis*, quod vulgo legitur, in nullo cod. mss. Flor. aut Bern. legitur, et poëtarum potius sermoni convenit, nisi quod uno loco apud Ciceronem (in Pis. c. 6) invenitur.

§. 16. *primum animus vigorem suum*,

suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperavit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem, quam Philippum, intuebatur exercitus: pro se quisque dextram eius amplexi grates habebant velut praesenti deo. Namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius utique regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint. Iam primum nihil sine divina ope aggredi videbatur; nam cum praesto esset ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat.

deinde] *Primum* codd. Flor. praeter H omnes cum Bern. A Leid. Voss. 1. Vulgo editur *primo*, quod in hac verborum coniunctione nescio an soloecum existimem. Sic enim intelligo, ubi sit *initio*, locum habere utramque formam, et *primo* et *primum*, verum ubi diversa quasi enumerentur, non poni posse nisi *primum*.

§. 17. *dextram eius amplexi*] Amplectuntur aut complectuntur manum s. dexteram imprimis orantes: sic VI, 38 *dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi, convivio quoque interfui*, VI, 25 *dexteram exoleti complexus*. Sic et Virg. Aen. VIII, 558 *dextram complexus euntis*, Liv. XXX, 12 *cum dextram amplectens in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret*, Plin. epist. VI, 20, 12 *manum eius amplexus addere gradum cogo*.

grates habebant] De vocabulo *grates* apud Livium et posteriores prosae orationis auctores frequenti vide Drakenb. ad Livium XXIII, 12, 17 et quem ibi laudat Cellarium in Antibarbaro p. 262. Cicero enim uno tantum loco in Somnio Scipionis 1 habet: *grates tibi ago, summe Sol*, cum colore poëtico. Sed ex illis locis malles *grates agebant*, nisi hic illic et *gratias habere* inveniretur, ut apud Terent. Andr. IV, 4, 31, et apud Tacitum Ann. 1, 69 esset *laudes et grates reversis legionibus habere*. Noster IX, 25 *vobis grates ago habeoque*. Ceterum codd. mss. h. l. non mutant, nam quod Bern. B *gratias* et Voss. 2 *agebat* habent vix commemoratione dignum est.

quantum huius utique regis vel admirationi dediti fuerint] Vocem *utique*, fortasse quod eius sensum ex interiore Latinitate petitum ignorabant, olim extiterunt qui corrigerent *quoque*, eaque corruptio pervasit in vulg. editiones. Sed veram scriptoris elegantissimi manum servarunt Bern. A Flor. BCEG praeter olim collatos Leid. et Voss. 1, et ed. Modiana. Mox *dediti ei fuerint* adiungitur male in Bern. A Flor. B Leid., *admiratione ei dediti* est in Flor. C et fuit ante corr. in G.

§. 18. *Iam primum nihil sine divina ope*] Recenset causas nonnullas tam propensae in regem suum voluntatis militum, qua in re nemo mirabitur quod praemissum *primum* non sequatur *deinde*, cum ipsam sententiam scriptor non imperfectam ille quidem reliquerit, sed aliis particulis continuarit. Exempla ubivis inveniuntur, quorum memoria Schmiederum retinere debebat, ne Theocreniani codicis non auctoritatem sed pravitatem secutus *pridem* scriberet. Post paulo *sine*, ut iubet codicum consensus, scripsi pro *nisi*, quod Numae alicuius ingenium deceret deorum auxilium priusquam ad agendum quicquam accederet invocantis, non Alexandri.

cum praesto esset] Hoc legitimo ordine omnes libri, et *praesto esse* dicuntur quasi militariter, qui adsunt ad imperium accipiendum et exequendum, vid. VII, 1, 4. VIII, 44, 2; itaque ad alia translatum idem est quod obtemperare, adiuvare, adesse.

temeritas in gloriam cesserat] i. e. convertebatur in gloriam, sive verterat in gloriam, ut Livius et alii solent neutraliter dicere. Plin. nat. hist. 35, 15. *verum ipsa iniuria cessit in gloriam artificis*, Tacit. Germ. 36 *Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.*

Aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde suffi- 19
ciens, omnia eius opera honestabat. Et quae leviora ha-
beri solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt,
exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paulum
a privato abhorrens, militaris vigor; quis ille vel ingenii 20
dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus
esset, effecerat.

17 At Dareus, nuntio de adversa valetudine eius accepto, VII
celeritate, quantam capere tam grave agmen poterat, ad
Euphraten contendit, iunctoque eo pontibus, quinque tamen
diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Iam 2
Alexander, viribus corporis receptis, ad urbem Solos per-

§. 19. *sed abunde sufficiens*] quod ex ea aetate, quae infirma vulgo habetur, nihil tamen impedimenti ad res gerendas oriebatur. Oxymoron Schmiederum fefellit.

omnia eius opera] In libris editis praeter Modianum additur *etiam*, quod suo iure Schefferus deleri voluit et delevit Schmiederus. Possem abundantiam particulae similibus bonorum scriptorum locis defendere, ex. gr. Cicer. in Verr. III, 88 *quae forsitan alii quoque etiam fecerint* (cf. Ruhnk. ad Vell. 1, 17 p. 67. et Wopkensium Lectt. Tull. lib. II, 10 p. 184 huius loci non immemorem), sed omnem operam eludit codd. nostrorum cum Leid. et Voss. 1 consensus, in quibus omnibus vocis addubitatae ne vestigium quidem apparet, adeo ut in solo Voss. 2 fuisse videatur.

in re militari] Sic omnes codd. nostri, ut merito pigeat Modii qui, cum in codice suo verba *in re* abesse vidisset et apte *militari vulgo* coniungi putaret, ea qua solet importunitate in eos invehitur a quibus istas voculas additas opinaretur. Sed ego dupliciter offenderem in his verbis *plerumque militari gratiora vulgo sunt*, primum quod nusquam me legisse memini de *vulgo militari* quamquam *vulgus militum* saepe invenitur, tum quod istam verborum collocationem a prosae orationis Curtianae consuetudine abhorrere iudico.

paulum a privato abhorrens] Contra mentem scriptoris vulgo editur *paululum:* haec enim vox, quamquam a *paulum* derivata, non usurpatur tamen nisi positivo quem dicimus sensu, cum *paulum* et positivo accipiatur (ein wenig), et negativo adverbialiter (wenig) id quod hoc loco necesse est. Legitur autem *paulum* in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. BCI et edit. Mod.

Cap. 17, §. 1. *valetudine eius*] Pronomen adieci consensu codd. meorum omnium et edit. princ. Ald.; ceterum est in Bern. B Flor. DEFHI *de adv. nuntio valetudine eius accepto.*

celeritate quantam capere t. gr. a. poterat] Sic post Modium vulgo edunt, antiquiores *celeritate quanta poterat tam grave agmen.* Nostri Bern. A et Flor. B simpliciter cum Mod. scriptura consentiunt, item Flor. C et G tantum quod ille *quanta*, hic *quantum* habet; sed omisso *capere* reliqui *quantum poterat tam grave agmen*, Bern. B et Flor. H *quantam poterat tam grave agmen.*

quinque tamen diebus i. e. nihilominus quinque dies in traiiciendo exercitu absumpsit.

§. 2. *Iam Alexander*] *Que* particulam coniunctivam, sive ut dicere malim, ubi cum *iam* coniungitur, auctivam, meliorum simulque plurimorum codd. (Bernensium duorum, Flor. BCG H Leid. Voss. 1, 2) auctoritati obsecutus delevi; neque enim loci sententia ea est ut res in praesens deducatur. *Iamque* admirationem excitat quandam, qua h. l. non opus est. Ceterum hic ipsius videtur Curtii error esse quod Alexandrum facit Solos quasi progres-

at: cuius potitus, ducentis talentis multae nomine
s, arci praesidium militum imposuit. Vota deinde pro
suscepta per ludum atque otium reddens, ostendit,
a fiducia barbaros sperneret: quippe Aesculapio et
vae ludos celebravit. Spectanti nuntius laetus affertur
arnasso, Persas acie a suis esse superatos, Myndios
ue et Caunios et pleraque tractus eius suae facta di-
s. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, et
mo amne ponte iuncto, ad urbem Mallon pervenit:
alteris castris ad oppidum Castabulum. Ibi Parmenio
occurrit, quem praemiserat ad explorandum iter sal-
per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat.
e ille angustiis eius occupatis, et praesidio modico re-
Isson quoque desertam a barbaris ceperat. Inde pro-
us, deturbatis qui interiora montium obsidebant, prae-

se, cum urbs illa retro sita sit, opter gravitatem suam non potu- ie praesidio relinqui. Illic etiam fecit Alexander.

ae nomine] Sic Flor. B Bern. 1 Voss. 1 et edit. Mod., vulgo *no- nultae*, quod non insolitum qui- st, at minus frequens. Causam addit Arrianus II, 5 ὅτι πρὸς Πέρσας μᾶλλόν τι τὸν νοῦν

quippe Aesculapio — celebra- oniunctionem, quamquam Freinsh. su huius periodi alienam existimat, lit. Modiana codicibusque Bern. A BG Leid. Vossianoque 1 recepi: enim asyndeton ullo modo ferri t.

affertur Halicarnasso] Praepo- em *ex*, quae vulgo inseritur, no- dd. omnes ignorant. De scriptura is plerique et optimi codd. h. l. *rnaso* habent, Flor. D *Alicarnasso*, *Halicarnasso*. Infra v, 7, 5 Sna- rgius qui h. l. *Halicarnasso* scri- didit *Halicarnason* dicitque ita e mss, sed nostrorum non habent Bern. A Flor. C et *Alicarnason* GH, *Halicarnasson* Flor. AB, *rnassum* F, *Allicarnassum* E, *illi ssum* DI. Lib. VIII, 1, 36 *Hali- sum* Snak. edidit ex Leid. Voss. r. a vulg. *ssum* non abeunt. Cf. Schneid. Elem. p. 441.

§. 5. *ad urbem Mallon*] Flor. CH et ed. pr. *Malon*, plerique *Malum*, ut etiam Leid. et Voss. 1, *Mallum* Bern. A; sed cum vulg. *Mallon* consentiunt Flor. B et G.

Castabulum] Plerique omnes et mei et olim collati codd. mss. *Castabulum* habent, duo Flor. FI *Castabolum*, nullus ut post Modium vulgo editur *Casta- balum*; sed non iniuria geographos secutus Schmiederus ostendit verum huius oppidi nomen fuisse *Catabolon*, cum alia fuerint in Cappadocia *Castabala* longius a mari et hoc in Syriam itinere remota.

§. 6. *quem praemiserat*] Pronomen omittunt Bern. A Leid. Voss. 1 et duo Flor. CG, sed retinent reliqui et inter eos antiquus B.

§. 7. *interiora montium*] intellige ipsas pylas Syriae, quas Curtius post descri- bit *fauces quibus Syria aditur*. Schmie- derus et hoc recte annotavit et illud, pugnare Curtium cum Arriano, quod amici non ut eo loco hostilem exercitum expectaret, sed ut in Syriam statim pergeret regi suaserint. Nuntiaba- tur enim Dareus in Syria castra stativa habere nec procedere, et videbatur Ale- xander nimis iam diu in Cilicia com- moratus esse. Sed ea ipsa mora, quam metu ortam putaret, Dareum movit ut

sidiis cuncta firmavit, occupatoque itinere, sicut paulo ante dictum est, idem et auctor et nuntius venit. Isson deinde a rex copias admovit: ubi consilio habito, utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperiendi essent novi milites, quos ex Macedonia adventare constabat, Parmenio non alium locum proelio aptiorem esse censebat. Quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares, cum angustiae multitudinem non caperent: planitiem ipsis camposque esse vitandos, ubi circumiri, ubi ancipiti acie opprimi possent. Timere, ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur. Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilii accepta est. Itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit.

18 Erat in exercitu regis Sisenes Perses: quondam a praetore Aegypti missus ad Philippum, donisque et omni honore cultus, exilium patria sede mutaverat: secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam anulo, cuius signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes praetor Darei miserat eam, hortabaturque Sisenem, ut dignum aliquid nobilitate atque moribus suis ederet, magno id ei apud regem honori fore. Has litteras Sisenes, utpote innoxius, ad Alexandrum saepe deferre temptavit; sed cum tot curis apparatuque belli regem videret urgeri, aptius subinde tempus expectans, suspicionem initi scelesti consilii praebuit. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri

ipse tandem spretis Graecorum consiliis in Ciliciam descenderet. Explica igitur hanc Parmenionis sive Curtii rationem ex eventu: proelium enim eo ipso loco commissum est, quod tum rex non sperabat futurum.

§. 8. *Isson deinde*] Vulgo *inde;* quod edidimus in Leid. Voss. 1 et nostris uno Flor. C excepto invenitur. Paulo post *novi milites* mutato verborum ordine scripsimus auctoribus Bern. A Flor. B Voss. 1.

§. 9. *opprimi possent*] *Possint* Leid. Voss. 1 Bern. uterque Flor. CH, *possent opprimi* Flor. FI. Mox male Flor. H Bern. B *ut non*, pro eo quod verum est *ne non*, pertinet enim *ne* ad timere, *non* opponitur insequenti *sed.*

Cap. 18, §. 11. *Sisenes Perses*] Sic nomen hominis et h. l. et postea in omnibus codd. nostris scribitur, non *Sisimes*. Edit. pr. hoc quidem loco et altero *Sisines*, tertio *Sisenes*. Apud Arrianum VII, 6 *Σισίνης* invenitur.

§. 12. *Nabarzanes*] *Nabarzanas* Leid. Voss 1 Bern. A Flor. B, *Narabazanas* Bern. B Flor. H Voss. 2, item infra c. 23 in illis libris omnibus *Nabarzanas*. Sed in libro v *Nabarzanes* constanter scribitur. Tum *atque moribus*

pervenerat, lectamque eam, ignoti anuli sigillo impresso,
5 Siseni dari iusserat, ad aestimandam fidem barbari. Qui
quia per complures dies non adierat regem, scelesto con-
silio eam visus est suppressisse, et in agmine a Cretensi-
bus haud dubie iussu regis occisus.

II Iamque Graeci milites, quos Thymodes a Pharnabazo 19
acceperat, praecipua spes et propemodum unica, ad Da-
2 reum pervenerant. Hi magnopere suadebant, ut retro ab-
iret, spatiososque Mesopotamiae campos repeteret: si id
consilium damnaret, at ille divideret saltem innumerabiles
copias, neu sub unum fortunae ictum totas vires regni ca-
3 dere pateretur. Minus hoc regi, quam purpuratis eius dis-
plicebat: ancipitem fidem, et mercede venalem proditionem
imminere, et dividi non ob aliud copias velle, quam ut
ipsi in diversa digressi, si quid commissum esset, traderent
4 Alexandro. Nihil tutius fore, quam circumdatos eos exer-
citu toto obrui telis, documentum non inultae perfidiae
5 futuros. At Dareus, ut erat sanctus ac mitis, se vero tan-
tum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem,

pro vulg. *ac moribus* ex omnibus libris nostris dedimus, sicut iam olim Modius.

§. 14. *lectamque eam, ignoti anuli sigillo impresso, S. dari iusserat*] Additur in Voss. 1 et in omnibus libris mss. nostris *et* ante ablativos absolutos, quod tamen locum non habet, nisi ex Bern. B et uno Flor. G *impressam* scribere velis. *At* non epistola imprimitur, sed *anulus* aut signum anuli, ut supra ad c. XIV, §. 7 docuimus.

§. 15. *occisus*] Additur vulgo *est:* omisimus nos auctoritate Bern. A Flor. BCFGI, adde etiam Voss. 2 quem Snak. unum de suis commemorat.

Cap. 19, §. 1. *Iamque*] Vulgo *iam:* illud Leid. Voss. 1 et Flor. omnes praeter DH.

§. 2. *hi magn. suadebant*] Non dubito quin hi quoque: at Arrianus II, 6 id consilium Amyntae, Antiochi filio, Macedoni, qui ad Dareum transfugerat, (vide cap. 28) tribuit.

at ille divideret saltem] Liv. III, 31 *Si plebeiae leges displicerent, at illi communiter legum latores et ex plebe et ex patribus sinerent creari;* Liv. XXIV, 37 extr. *Tum Pinarius: at illi, si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium*, ad quem locum lege Gronovii notam et confer quae Drakenborchius plena manu laudat. *Saltim* Bern. A Leid. Voss. 1, sed *saltem* constanter Florentini, item Vergilii codex Mediceus. *Innumerabiles copias*, hoc positu verborum, codd. nostri ad unum omnes.

§. 3. *minus hoc regi*] Additur in editis praeter Mod. omnibus *hoc consilium*, sed contra codices mss. omnes.

si quid commissum esset, traderent] Intelligo si quid ipsis commissum, creditum esset ex. gr. praesidium, urbs.

§. 4. *Nihil tutius fore quam*] Rursus nostri codd. omnes cum edit. Mod. a vulgata scriptura *esse* discordant: Leid. non commemoratur ut in eo *esse* legi coniicere debeas, sed excerpentis errorem suspicor.

§. 5. *ac mitis* pro vulg. *et* Leid. Voss. 1 Flor. BEG Bern. A.

suos milites, iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere. Defuturos enim, qui suaderent, si suasisse periculosum esset. Denique ipsos cotidie ad se advocari in consilium, variasque sententias dicere, nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserit. Itaque Graecis nuntiare iubet, ipsum quidem benivolentiae illorum gratias agere, ceterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. Fama bella stare, et eum, qui recedat, fugere credi. Trahendi vero belli vix ullam esse rationem. Tantae enim multitudini, utique cum iam hiems

6 7 8

quem deinde amplius] Offensum puto scriptorem libri Bern. B vocabulis iunctis quod dedit *quem ducum amplius*, et inde profectum in Flor. H *quem dictum amplius*. Mox verbo *militum* in marg. Flor. D adscriptum est *al. milium*, quam suam coniecturam Modius proposuit a Radero et Freinshemio probatam.

§. 6. *si suasisse periculosum esset*] *Periculosum* pro *periculum* ex optimis libris Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. B dedi, quibus ex reliquorum numero unus et alter sese adiungunt.

cotidie scripsi auctoritatem optimorum Flor. B Bern. A Leid. Voss. 1 secutus, eumque scribendi usum etiam insequenti aetate communem fuisse Quintilianus significat I, 7 alteram rationem quae etymon sequitur frigidam vocans.

ad se advocari in consilium] Sic libri mss. et plurimi et meliores (etiam Bern. A), vulgo *ad se vocari in cons.* Verborum abundantia idonea T. Livii auctoritate satis excusatur, quem Drakenborch. ad lib. II, 36 fin. *in forum ad consules lectica adfertur* docet verbis cum praepos. *ad* compositis denuo eandem adiungere solere. De verbo *advocare* confer Gronov. ad Liv. XXVI, 48 extr. Ipse Curtius VII, 29 *amicos in consilium advocari iubet*. Mox *suaserit* ex plerisque codd. restitui, vulgo post Aldum *suaserint*.

§. 7. *itaque Graecis nuntiare iubet*] Mendum quod plerisque videbitur reducere cum Modio malui, quam edere quod optimorum librorum auctoritate destituitur *nuntiari*. Nam satis hodie constat non exiguum numerum locorum apud scriptores et ligatae et solutae orationis inveniri, ubi infinitivus act. etiam suppresso accusativo cum verbo iubere coniungitur. Vide Drak. ad locum hunc Livii XLII, 24 *Senatus de postulatis Carthaginiensium consultus respondere ita iussit*, et quem ille laudat Dukerum ad Liv. XXIV, 15 *signum dare* (vel *dari*) *propere iussit*, et Oudendorp. ad Caes. B. G. II, 5 extr. *castra munire iubet*. Cf. quae in Gramm. Lat. composuimus §. 617. Quod ad Curtium attinet, tres sunt apud eum loci, quibus illa constructio, dummodo fides mstis libris habenda sit, invenitur: hic et cap. 30, 7, tertius VII, 33 ad fin., et quod sane non videtur fortuito accidisse cum eodem verbo *nuntiare*. Alioquin terminationes activae et passivae vocis a librariis permutatae videri deberent, quod alibi factum constat (vide ad VII, 2.). Nunc aliquid proprium in ea re fuisse puto. Supple igitur nomen eorum hominum quibus id negotii fuit, hoc quidem loco *praecones*, in reliquis duobus qui Graece εἰσαγγελεῖς appellantur. Sed quartus etiam locus nunc accedit, ubi subiectum infinitivi activi ex orationis nexu subintelligendum est VI, 10 pr.

benivolentiae] Annoto *i* littera vocabulum scribi in omnibus nostris codicibus et ed. pr., Aldus primus *benev.* maluit.

§. 8. *vix ullam esse rationem*] Ludibria librariorum, quae editiones prin-

instaret, in regione vasta, et invicem a suis atque hoste
9 vexata, non suffectura alimenta. Ne dividi quidem copias
posse servato more maiorum, qui universas vires discrimini
10 bellorum semper obtulerint. Et hercule terribilem antea
regem, et absentia sua ad vanam fiduciam elatum, post-
quam adventare se senserit, cautum pro temerario factum,
delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum,
quae strepitu praetereuntium audito, silvarum latebris se
11 occuluerint. Iam etiam valetudinis simulatione frustrari
suos milites. Sed non amplius ipsum esse passurum de-
trectare certamen. In illo specu, in quem pavidi recessis-
12 sent, oppressurum esse cunctantes. Haec magnificentius
iactata, quam verius.

Ceterum pecunia omni rerumque pretiosissimis Dama-20
scum Syriae cum modico praesidio militum missis, reliquas
copias in Cilīciam duxit, insequentibus more patrio agmen
coniuge ac matre. Virgines quoque cum parvo filio comi-

cipes obsident, *insulsam esse rationem*, etiam maiorem partem Flor. codd. corruperunt, cum duo tantum B et G cum Bern. A et Leid. Voss. 1 Modiani libri auctoritatem confirment. Sed vix ulli dubium esse potest quin hodie vulgata veram scriptoris mentem exprimat.

discrimini bellorum semper obtulerint] Sic Modius et Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. BG, vulgo *semper discr. bell. obtulerint.*

§. 10. *hercule*] Modius edid. *hercle* haud dubie e cod. suo, cui consentit Flor. *B*; sed alibi Curtius *hercule*, nec Livius aliter. Paulo post Modius cum plerisque codd. *postquam* pro vulg. *posteaquam.*

latebris se occuluerint] Vulgatum *occuluerunt*, quod est in Flor. EG, ferri nequit. Equidem probavi *occuluerint* ex Flor. B Voss. 1 (*occuluerit* Voss. 2), ni quis cum Acidalio voluerit corrigere *occulerent*. Nam *occulerint*, quod in Bern. utroque et reliquis Flor. invenitur, contra grammaticam rationem est, quoniam ut colo colui, sic occulo occului facere Priscianus docet, nec contra est nisi Valerius Flaccus Argon. II, 280 *occulerat*, pro quo Burmannus coniecit *occultat.*

§. 11. *detrectare certamen*] Aliquot codices *detractare*, quae perpetua est varietas in libris veterum, vide Drak. ad Liv. XXXIV, 15, 9. Et hoc quidem loco prima vocalis in Bern. A Leid. Voss. 1, optimis sane libris, apparet, sed in uno tantum Flor. C, aliis fere Snakenburgiani illi et Flor. AB vulgarem scribendi rationem tuentur, cum ceteri Florentini *detractare* iubeant. Res sane est ambigua: habemus enim *retractare* et *attrectare*, *obtrectare.*

Cap. 20, §. 12. *rerumque pretiosissimis* pro vulgato *rebusque pretiosissimis* edidi ex meis libris uno Flor. E excepto omnibus, quibuscum Modiana scriptura et a Snak. collati Voss. 1 et 2 consentiunt. (Siletur Leid. quasi cum vulg. concordet, quod non credo.) Nimirum haec est consuetudo recentiorum post Ciceronem scriptorum, ut neutra adiectivorum cum genitivo subst. coniungant. Sic III, 33, 5 iterum *cum pretiosissimis rerum*, V, 20, 7 *pretiosissima vestium induti*, V, 12, 8 *montium prona* et VII, 43, 3 *montis prona*, VI, 23, 25 *edita montium*, VII, 42, 18 *invia et aspera saxorum*, VII, 23 et IX, 1 *reliqua belli*, III, 25, 4 *ultima orientis*, IV, 19 *summa tectorum* al.

tabantur patrem. Forte eadem nocte et Alexander ad fau- 13
ces, quibus Syria aditur, et Dareus ad eum locum, quem
Amanicas Pylas vocant, pervenit. Nec dubitavere Persae, 14
quin Isso relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam
etiam saucii quidam et invalidi, qui agmen non poterant
persequi, excepti erant. Quos omnes, instinctu purpurato- 15
rum, barbara feritate saevientium, praecisis adustisque ma-
nibus circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omni-
bus spectatis nuntiare quae vidissent regi suo, iussit. Mo- 16
tis ergo castris, superat Pinarum amnem, in tergis, ut cre-
debat, fugientium haesurus.

21 At illi, quorum amputaverat manus, ad castra Mace-
donum penetrant, Dareum quanto maximo cursu posset,

ac matre pro vulg. *et matre* omnes Flor. et Bern. Leid. Voss. 1.

§. 13. *fauces quibus Syria aditur*] Hae sunt proprie Pylae sive *πύλαι τῆς Κιλικίας καὶ τῆς Συρίας* Xenoph. Anab. I, 4, 14 sive *Portae Ciliciae* Plinii in nat. hist. V, 27 mari vicinae, ad quarum exitum iam in Syria sita est Myriandrus, quo Alexander Dareum petens pervenerat, quo tempore Persarum exercitus alio sumpto itinere longius a mari remoto per Amanicas pylas ex Assyria in Ciliciam a Macedonibus relictam descendit. Ita factum est ut, cum Alexander agmen convertisset, ipse quasi pro Asia pugnans consisteret frontem Occidentem versus dirigens, Dareus autem Isson in tergo haberet. Rem cum alii de Alexandro scriptores tum Callisthenes apud Polyb. XII, 17 ita explicant, ut dubitationi locus non sit relictus. Non diiudico num ipse Curtius rem clare perspexerit: nihil tamen in eius descriptione est, quod non cum veritate conciliari possit.

§. 14. *quam ceperant*] Prorsus assentior Radero verbum hoc ad Macedonas, non ad Persas pertinere. Ex ea enim re Persae coniecerunt fugere Macedonas, quod urbem captam reliquissent. Et omni ratione validior est verborum collocatio, ad quam Schmiederus non satis attendisse videtur.

§. 15. *adustisque manibus*] Cur quaeso adusserunt miserorum manus? Opinor, ne sanguinis profluvio enecarentur: vivere enim illos volebant documentum cladis acceptae.

§. 16. *superat Pinarum amnem*] Editiones principes *Pyramum* contra codd. mss. et rei veritatem appellant. Diversi enim sunt Pyramus urbem Mallon praeterfluens et Pinarus Isso vicinus. Sed quod Curtius tradit superatum eum amnem a Dareo, si cum capite 22, §. 28 conferis, intelliges ad partem tantum copiarum pertinere, quam Macedonibus primam obiecerat. Reliquum exercitum amnis ab hostibus dividebat. Manare enim Pinarus orientem versus ab Isso oppido videtur. Nec vero iam Dareus *fugere* Macedones poterat opinari, quos nimis cupide adversus ipsum progressos debebat intelligere. Quin etiam errore suo intellecto id agitasse eum scribit Plutarchus in Alex. 20 ut rursus se ex angustiis expediret, viaque ea qua venerat in Assyriam rediret, ni Alexandri adventu retentus esset.

Cap. 21. §. 16. *quanto maximo cursu posset*] Quod vulgo editur *quam maximo cursu posset* nec ab autoritate codd. nec a vera Latinitatis ratione aeque tutum est. Nam codd. Bern. et Florentini ad unum omnes et Voss. 1 et 2 et edit. pr. cum Modiana quod supra legitur praeferunt, ut unum nirer Leidensem in isto numero non recenseri. Iam quod ad Latinitatem attinet, non ego quidem sperno lectionem olim vulgatam, sed tamen nec Ciceronem nec Livium, ad quorum utriusque orationem proxime accedere

ii nuntiantes. Vix fides habebatur. Itaque speculato-
in maritimas regiones praemissos explorare iubet, ipse
sset, an praefectorum aliquis speciem praebuisset uni-
si venientis exercitus. Sed cum speculatores reverteren-
, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde
s campis collucere coeperunt, omniaque velut continenti
ndio ardere visa: cum incondita multitudo maxime pro-
r iumenta laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari
os castra iusserat, laetus, quod omni expetierat voto, in
s potissimum angustiis decernendum fore. Ceterum, ut
et fieri, cum ultimi discriminis tempus adventat, in sol-
tudinem versa fiducia est. Illam ipsam fortunam, qua
irante res tam prospere gesserat, verebatur, nec iniuria
his, quae tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputa-
: unam superesse noctem, quae tanti discriminis mora-

ur Curtius, ita locutos esse invenio. scriptor noster lib. IV, 51, 36 *cursu to maximo poterat*, V, 26 init. *quanto mo cultu possumus adornati*, nec am *quam maximo — potest*. De vide Drak. ad lib. VII, 9 et XLII, Contra Caesar et Sallustius *quam otest* cum adiectivorum superlativis ungunt: ille b. G. 1, 6 *quam maximis t itineribus* (ad quem locum vide in-.), saepe *naves quam plurimas pos- comparare* et similia; Sallust. Iug. *Iugurtha quam maximas potest copias at.* Apud Pseudo-Ciceronem p. domo *uam possum maxima voce dico*, ubi *cis* Barberini lectionem *qua* Gara- is non contemnendam dicit, fortasse *ta*, si quid periculi in vili capite ndum. Quinctil. Declam. 323 Serm. *potest maxima religione iudicum ndus animus est.*

17. *in maritimas regiones prae- os*] Etiam mei codd. omnes, sicut olim collati sunt, *in* omittunt. Ita- vix dubitarem quin eorum auctori- parerem, nisi me verborum ordo diret, quem talem requirerem: *ita- praemissos speculatores maritimas nes explorare iubet*. Quod superest, a syllaba *in*, cum *m* littera sequa- vix quemquam movere potest.

e *adesset an*] Quod vulgo editur *ipsene adesset* non est nisi in Flor. E supra lineam; Flor. C *utrum ipse ad- esset*.

§. 19. *laetus — decernendum fore*] *Expetierat* dedimus ex omnibus nostris codd. et Leid. Voss. 1 pro vulg. *expe- tiverat*, quod in uno Flor. D et Voss. 2 legitur, ita quidem ut in his simul *omni voto expet.*, alio verborum ordine, sicut in Flor. E F I legatur, cum in Flor. H Bern. B sit *omnium voto expetierat. Fore* non in plurimis tantum codd. sed in omnibus legitur. Quis igitur error edi- tores (Modium excipio et nuperrimum Schmiederum) movit ut *esse* scriberent? Num dubitaverunt quin sic Latine dici possit? At vide Liv. XXXVII, 39 *milites sub pellibus habendos fore* (quem locum in grammatica §. 596 laudavi) et Cur- tium ipsum supra c. 17 *utrum ultra progrediendum foret*, VIII, 40 *quid ipsis timendum foret*.

§. 20. *qua aspirante*] Liv. IV, 54, 19 *licet felicitas aspirare videatur;* Vergil. Aen. II, 385 *aspirat primo fortuna la- bori*.

quam mutabilis esset) Sic Aldus cor- rexerat; ed. pr. et codd. plerique *quam- que*, Bern. B *quoque*, Flor. C *quamquam mutabilem esse*. In Flor. B omnia haec verba inter duo *quae* exciderunt. Aldi- num editorem recte fecisse censeo.

retur eventum. Rursus occurrebat, maiora periculis prae- 21
mia, et sicut dubium esset, an vinceret, ita illud utique
certum esse, honeste et cum magna laude moriturum. Ita- 22
que corpora milites curare iussit, ac deinde tertia vigilia
instructos et armatos esse. Ipse in iugum editi montis
ascendit, multisque collucentibus facibus patrio more sacri-
ficium diis praesidibus loci fecit. Iamque tertium, sicut 23
praeceptum erat, signum tuba miles acceperat, itineri si-
mul paratus ac proelio: strenueque iussi procedere, oriente
luce pervenerunt ad angustias, quas occupare decreverant.
Dareum triginta inde stadia abesse praemissi indicabant. 24
Tunc consistere agmen iubet, armisque ipse sumptis aciem
ordinat.

22 Dareo adventum hostium pavidi agrestes nuntiaverunt,
vix credenti occurrere etiam, quos ut fugientes sequebatur.
Ergo non mediocris omnium animos formido [incesserat:] 25
quippe itineri quam proelio aptiores erant: raptimque arma

§. 21. *occurrebat maiora per. praemia*] *Occurrebat* impersonaliter restituit Freinshemius e codice Pithoeano et altero Bongarsiano: hunc esse puto Bern. A, quocum consentiunt Leid. Voss. 1 Flor. BD: reliqui et edd. vett. habent *occurrebant*, quae constructio cum iis quae insequuntur non convenit.

sicut dubium esset an vinceret idem ferme valet ac *sicut sperare posset se superiorem fore*. Nolo hic repetere quae in grammatica mea §. 354 scripsi.

§. 22. *tertia vigilia* i. e. media nocte, quandoquidem quarta primam lucem antecedit, vid. VII, 8. Sed secundum Arrianum (II, 8) vespere cum profectus esset circa mediam noctem angustias pylarum occupavit, reliquam noctis partem quiescere exercitum, denique oriente luce explicare sese ex angustiis viae et in aciem consistere iussit.

in iugum — ascendit] Haec est editorum librorum lectio e plurimis codd. ducta, sed *iugum — ascendit* Bern. B Flor. H Voss. 2, *in iugum — escendit* Leid. Bern. A, quae probabilia sunt omnia, sed tamen *escendendi* verbo alibi Curtius non utitur.

diis praesidibus loci] *Dis* h. l. Bern. A Leid. Voss. 1, sed omittitur hoc verbum in Flor. CDEFHI Bern. B Voss. 2. Solus Flor. B *collucentibus patrio more facibus*.

§. 23. *itineri simul paratus ac proelio*] Pro vulg. *et* scripsi *ac*, ut est in omnibus libris nostris praeter unum Flor. B. Nihil interest. Sed *itinere* mendose Bern. A Leid. Voss. 1.

§. 24. *aciem ordinat*] Sic haud paulo melius quam vulg. *ordinabat* Flor. B G Bern. A cum Leid. Voss. 1.

Cap. 22. §. 25. *omnium animos formido incesserat*] Hoc loco vim afferunt codicibus editores sed necessariam. Flor. enim codd. cum Bern. A Leid. Voss. 1. 2 habent *omnium animo formido*, in uno Flor. G *s* superscriptum est, et in Bern. B notatur esse *animis:* deinde *incesserat* in nullo codice inventum est. Tamen facere non possum quin recte ab eo qui principem editionem curavit, *animos incesserat* correctum putem, nam ipsum verbum si ullum Curtianae orationi convenit et *animos* propius a librorum scriptura abest quam *animis*, de qua constructionis varietate vide supra c. 2.

quam proelio] Omittitur *quam*

capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium suosque ad
arma vocantium maiorem metum incussit. Alii in iugum
montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent:
equos plerique frenabant. Discors exercitus, nec ad unum
intentus imperium, vario tumultu cuncta turbaverat. Da-
reus initio iugum montis cum parte copiarum occupare
statuit, et a fronte et a tergo circumiturus hostem, a mari
quoque, quo dextrum eius cornu tegebatur, alios obiectu-
rus, ut undique urgeret. Praeter haec viginti milia prae-
missa cum sagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo
agmina interfluebat, transire, et obiicere sese Macedonum
copiis iusserat: si id praestare non possent, retrocedere in
montes, et occulte circumire ultimos hostium. Ceterum de-
stinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit:
quippe alii prae metu imperium exequi non audebant, alii
frustra exequebantur, quia, ubi partes labant, summa tur-
batur.

Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu 23
dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorum-
que viginti fere milibus. In eodem Thymodes erat, Grae-
cis peditibus mercede conductis triginta milibus praepositus.
Hoc erat haud dubie robur exercitus, par Macedonicae
phalangi acies. In laevo cornu Aristomedes Thessalus vi-
ginti milia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pu-

in Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. B, sed *legitur* in reliquis nostris, ut appareat ne illos quidem optimos sine mendis esse, quamquam diversis a reliquorum labe.

§. 27. *iugum montis*] Sic mss. omnes, editi praeter Modianum *montis iugum*.

Cap. 23, §. 2. *hoc erat haud dubie robur exercitus*] De hoc loco difficillimum est constituere secundum auctoritatem librorum mss. Editi enim *hoc erat haud dubium robur ex.* nec ab ea scriptura quicquam diversum e codd. Flor. notatur: verum Leid. Voss. 1 Bern. A *haec* exhibent et soli Leid. Voss. 1 *dubie*; item Modius *dubie* edidit, sed quamvis reprehenderet vulgatam, non dicit tamen utrum de coniectura an ex auctoritate libri ms. emendarit. *Haud dubium robur* significare quod sine dubio robur esset, sive quod haud dubie vocari posset robur, e locis Livianis, quos Drakenb. ad Liv. XXXIV, 48, 5 collegit ut coniecturam Gronovii *haud dubios hostes* probaret, non usquequaque certum est: hoc certe loco ambiguitatem sensus haberet a qua scriptor noster remotus est. Contra *haud dubie robur* Livianae dicendi consuetudini respondet: vide eundem Drakenb. ad Liv. V, 33 extr. Itaque Modium secutus *dubie* scripsi pro vulg. *dubium*. Neque potui *haec* recipere, quoniam quae prodiret intercisa oratio *haec erat* (*haud dubium s. haud dubie robur exercitus*) *par Macedonicae phalangi acies* nemini certe probari potest.

gnacissimas locaverat gentes. Ipsum regem in eodem 4
cornu dimicaturum tria milia delectorum equitum, assueta
corporis custodia, et pedestris acies quadraginta milia se-
quebantur. Hyrcani deinde Medique equites: his proximi 5
ceterarum gentium, ultra eos dextra laevaque dispositi.
Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex milia iacula-
torum funditorumque antecedebant. Quicquid in illis an- 6
gustiis adiri poterat, impleverant copiae, cornuaque hinc
ab iugo, illinc a mari stabant, uxorem matremque regis
et alium feminarum gregem in medium agmen acceperant.
24 Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas va- 7
lidius erat, in fronte constituit. Dextrum cornu Nicanor,
Parmenionis filius, tuebatur: huic proximi stabant Coenos,
et Perdiccas, et Meleager, et Ptolemaeus, et Amyntas, sui
quisque agminis duces. In laevo, quod ad mare pertine- 8

§. 4. *in eodem cornu*] At Arrianus II, 8 et Callisthenes apud Polyb. XII, 18 eum in media acie more patrio fuisse dicunt. Nimirum ubi coniungebantur dextrum et sinistrum cornu, in quae tota acies dividebatur.

assueta corporis custodia] Sic scripsi auctoritatem codd. meorum omnium et olim collatorum optimi cuiusque secutus. Aldinus editor qui primus dativum *custodiae* invexit (nam in ed. pr. *custodia* legitur), bonorum scriptorum, Ciceronis (de orat. III, 15) Caesaris (certe *assuefacti genere quodam pugnae* legitur de B. C. I, 44) Livii imprimis (cf. Gron. et Drak. ad Liv. XXXI, 35 et Duk. ad X, 17) morem ignoravit, qui ablativum pariter atque dativum verbis *assuescere*, *adsuetus* adiungant. Apud nostrum quidem X, 15, 8 nulla lectionis varietate est *pueri custodiae corporis eius assueti*, sed V, 33, 9 rectius sine dubio legitur *custodia eius assueti*, uti VI, 7 *gentes alterius imperio et nomine assuetas*. Miror igitur Snakenb. cogitasse de appositione, ut *custodia* nominativus casus sit, neque enim *custodia* in sing. numero apud prosarios auctores pro custodibus dicitur.

§. 5. *ultra eos dextra laevaque dispositi*] Verba *ultra eos*, quae in nostris codd. omnibus et in Leid. Vossianisque extant, Aldo auctore plerique editores omiserunt: non recte, difficultas enim, quae inest in loco omittendis iis non tollitur. Est enim in eo posita, quod scriptor Hyrcanos Medosque deinde post pedites constitisse dicit, cum tamen interiecta esset ceterarum gentium pars equitum. Sed facile animadverteris in hac acie describenda singularum gentium non nominari nisi praecipuas. Itaque *his proximi* sic interpretandi sunt quasi *cum his coniuncti*. Nominavit statim Hyrcanos et Medos equites, qui robur et quasi corpus equestris aciei essent, deinde addit iis adiunctos fuisse ceteros sic, ut a dextro laevoque illorum latere steterint.

§. 6. *hinc ab iugo*] *Ab* pro *a* ex Leid. Bern. A Flor. B C G edidi cum Modio auctoritatis librorum causa, nam necesse non est quoniam i Latinis est consonans. Et IV, 35 *a iugo* legitur.

Cap. 24, §. 7. *phalangem qua nihil — validius erat*] Notabile puto, in Snakenburgii libris meisque omnibus praeter Flor. CG esse *quo*.

et Ptolemaeus] Omittitur *et* in Bern. A Flor. BC.

§. 8. *in laevo*] Etiam Macedonum acies in dextrum et sinistrum cornu dividebatur; Meleager et Ptolemaeus et Amyntas singula sinistri cornus peditum

bat, Craterus et Parmenio erant, sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab utroque cornu locati: dextrum Macedones Thessalis adiuncti, laevum Peloponnesii tueban-
9 tur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque et Cretenses ante agmen
10 ibant, et ipsi leviter armati. At his, qui praemissi a Dareo iugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Graecia nuper advectos. Parmenioni autem praeceperat, ut quantum posset, agmen ad mare extenderet; quo longius
11 abesset acies montibus, quos occupaverant barbari. At illi neque obstare venientibus, nec circumire praetergressos ausi, funditorum maxime aspectu territi profugerant: eaque res Alexandro tutum agminis latus, quod ne superne in-
12 cesseretur timuerat, praestitit. Triginta et duo armatorum

agmina ducebant. Iis praepositus Craterus, toti sinistro cornu Parmenio. Sic Arrianus II, 8.

Thessalis adiuncti] Sic codd. nostri et Snakenb. omnes. Aldus primus *adiunctis* correxit, quae posthac vulgata facta est, nimirum ratus, cum Macedones et plures et potiores essent, iis adiungi Thessalos decere, non ipsos contra Thessalis. Sed scriptor noster nihil aliud dicere voluit, quam extremum cornu dextrum obtinuisse Macedones, iisque proximos fuisse Thessalos.

Peloponnesii] Variant codd. in hoc nomine, sed meliores Bern. A Flor. B Leid. Voss. 1, quamquam IV, 50, 29 etiam ex *his* de vulg. *Peloponnensium nihil* enotatur, exhibent tamen et hic *Peloponensi*, et VII, 9, 32 *Peloponensiorum* pro vulg. *Peloponnensium*. Scribendum igitur *Peloponnesii*, quae forma optimis scriptoribus usitatior est quam altera illa *Peloponnenses*. Quod autem *n* litera primum detrahitur, deinde additur loco non suo, librariorum errori tribuendum est: Graeci certe constanter duplex *n* coniungunt.

§. 10. *at his qui*] Quidquid est codd. accurate collatorum *his* pro vulg. *iis*, unus Flor. B *hiis*. Mox *ab Dareo* Bern. A Leid. Voss. 1.

quo longius abesset acies montibus] Inserunt verbum *acies* nostri codd. omnes cum Voss. 1 et 2. Non legebatur tamen in Leidensi, si Snakenburgii silentio fides habenda. Sed ne sic quidem tantae codd. consensioni restiteris, praesertim cum accurate interpretando omnis abundantiae suspicio removeri possit. Nam praeceperat Alexander Parmenioni, ut ingrediendo paulatim exercitum mari admoveret, quo longinquius a montibus confligeret.

§. 11. *obstare venientibus*] Florentinorum codd. nullus, ut Leid. et Voss. 1 aliique habere dicuntur, *venientes* praebet; sed B *venientis*, plurimi *venienti*, unus C qui inter meliores et deteriores variat, uti vulg. *venientibus*.

aspectu territi profugerant] Sic codd. nostri omnes, neque aliter sensus constat. Vulgo *profugerunt territi*. Iidem paulo post mutato ordine *Alexandro tutum*, vulgo *tut. Alex.*

§. 12. *triginta et duo armatorum ordines ibant* cet.] Locum olim corrigere temptaveram, nunc reliqui ut est in vulgaribus editionibus, quia difficile fuit aliquid quod probabilius esset invenire. Codd. autem mss. *laxare se* et *sinus* habent; item *pluribus ordine* (Leid. *ordini*) *incedere*; unus Flor. C *ordinibus*. Ordinem verborum *laxare se* pro vulg. *se laxare* recepi, quo magis etiam intelligitur quemadmodum *et* e praegressa syllaba ortum sit. In ceteris posset quidem *ordine* pro iusto sive suo ordine explicari: sed quem eum ordi-

ordines ibant; neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiae. Paulatim deinde laxare se sinus montium, et maius spatium aperire coeperant, ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus.

25 Iam in conspectu, sed extra teli iactum utraque acies 1. erat, cum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Redditur et a Macedonibus maior exercitus 2 numero, iugis montium vastisque saltibus repercussus: quippe semper circumiecta nemora petraeque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato sono referunt. Alexander ante 3

nem dicamus, cum phalanx pro loci opportunitate modo pluribus modo paucioribus ordinibus consisteret, ipsique illi triginta duo ordines non raro inveniantur, v. c. in proelio Antiochi Syri cum Romanis ad Magnesiam? *Pluribus* autem *incedere*, quod esse deberet ita incedere ut militum numerus in frontem augeatur, Latine non dicitur, aut, si forte, subaudito verbo simili quale esset *ordinibus* diceretur, qua re nihil prorsus adiuvaremur. Quocirca *ordinibus* sicut iam in principe editione legitur et ipse scripsi, mendum vetustum in loco versatum existimans omissione syllabae *bus*, unde relictum in Leid. *ordini*, in reliquis factum *ordine*, nam veram Flor. C scripturam correctione natam puto. Totam autem rem ex Callisthenis apud Polybium XII, 19 narratione ita explico. Exercitus Macedonum ita in aciem se constituit inter progrediendum, ut initio singula agmina (sive τάξεις) triginta duobus ordinibus incederent; deinde cum montes se laxarent et idoneus campus aperiretur, dextra laevaque in frontem circumducti milites maius spatium occuparunt, ita ut auctore Callisthene deinde sexdecim et ad ultimum octo ordines fierent, cumque ita constitissent proelium coepit. Non igitur quod Curtius ait *pluribus ordinibus* incedebant, sed re vera *paucioribus*. Quid ergo? Sicine corrigemus? Non ego, sed Curtium opinor, partim quod vocabulum proprium deesset, partim quod rem accurate exponere nollet, *ordines* altero loco de sectionibus agminis in frontem, non in altitudinem intellexisse. Nos quoque sicut Romani unum vocabulum habemus Glied, quo sectiones agminis in altitudinem significantur, ut cohors dicatur tribus aut sex ordinibus constitisse, si tres aut sex homines alter pone alterum constiterint. Quomodo igitur qui sunt et ipsi ordines in fronte appellantur? Nescio. Hoc loco dicerem: ut peditum acies duplicaretur et quadruplicaretur in frontem. Quod sequitur *lateribus circumfundi* editores corruperunt inserto *a lateribus*: neque enim in codd. mss. nec in edit. pr. aut Ald. *a* legitur. (Primum in Iuniana inveni.)

Cap. 25, §. 2. *maior exercitus numero, iugis*] Vulgo legitur *redditur et a Mac. maior, exercitus impar numero, sed iugis* cet. Sed *sed* ab Aldino demum editore adiectum est, et *impar* in uno Flor. G est simulque *non minor* pro *maior*. In reliquis legitur sicut cum Modio edidimus, tantum quod Flor. H et Bern. B *clamor* pro eo quod est *maior*, Flor. E *maior clamor*, omissis verbis *exercitus numero*, denique Flor. C *maiore* habent. In nostra scriptura *maior exercitus numero* idem est quod: *quam pro numero exercitus* sicut *dolor opinione omnium maior* apud Cic. similiter dicitur.

§. 3. *ne suspensi — — capesserent proelium*] Bern. B et Flor. H *bellum*, quod in ed. pr. ceterisque praeter Modianam omnibus legitur: reliqui codd. mss. constanter *proelium*, ut IV, 28, 25; 56, 6. Apte dicuntur *suspensi* quibus spiritus suspenditur (cf. Quinctil. I, 8 [aliis 14]), cum vix propter cursum con-

prima signa ibat, identidem manu suos inhibens, ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, ca-
4 pesserent proelium. Cumque agmini obequitaret, varia oratione, ut cuiusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis, non ipsius magis, quam
5 suo ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus imposituros iugum: Macedonum provincias Bactra et Indos fore. Minima esse, quae nunc intuerentur;
6 sed omnia victoria aperiri. Non in praeruptis petris Illyriorum et Thraciae saxis sterilem laborem fore: spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus, totam aciem
7 suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli. Victor ad haec Atheniensium Philippus pater invocabatur, domitaeque nuper Boeotiae et urbis in ea nobilissimae ad solum dirutae species repraesentabatur animis. Iam Granicum amnem, iam tot urbes aut expugnatas aut in fidem acceptas, omniaque, quae post tergum erant, strata, et pe-
8 dibus ipsorum subiecta memorabat. Cum adierat Graecos,

citatiorem animam recipere possint: nos athemtos.

§. 4. *agmini obequitaret* omnium codd. consensu firmatur, nisi forte excipias Voss. 2, de quo silens Snak. significat in eo esse vulg. *agmen*, quod ratione quidem, sed vix usu, Latinum est, quamquam *moenia obequitare* dixit Ammian. Marc. XXIV, 2.

ad subigendam Asiam] Plerique codd. deteriores Bern. B Flor. CDFHI Voss. 2 *subiugandam*, recte tamen edd. a vocabulo aeneae aetatis abstinuerunt.

§. 5. *Macedonum provincias Bactra et Indos fore*] Vocem *provincias*, quam sensu vere Romano intelligas, ex plurimis optimisque libris addidi; reliqui libri mss. (Bern. B Flor. CH) et ed. pr. *copias;* vulgo post Aldum omittunt.

sed omnia victoria aperiri] Quod Aldinus editor fecit et vulgo editur *parari* in nullo, quantum scio, codice ms. inventum est a prima manu, in uno Flor. E librarius correctione effingere temptavit. Habent enim codd. Bern. B *pui*, Flor. H *parui*, Flor. B et Leid. *victori aperiri*, Bern. A *victoriaperiri*, reliqui quod cum Modio edidimus.

§. 6. *non in praeruptis petris Illyriorum*] Vulgo ex libro eius generis qualis est Flor. E omittitur *in*.

§. 7. *omniaque quae post tergum erant*] Solita aberratione codd. antiquores Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB *omnia quaeque*, unde in recentioribus Flor. CDFG HI Bern. B *omnia quaecunque* factum, in Voss. 2 etiam *omniaque quaecunque*.

§. 8. *ab his gentibus*] Flor. H Bern. B Voss. 2 *ab illis*, non male nisi praestaret *ab his*, quod in plurimis est. Vulg. *ab iis* ferri non potest.

insolentia] Sic vulgo, postquam Iunius correxit quod antea legebatur *insolentiae*. Mirum tamen in libris mss. omnibus istud mendum inveniri, quamquam ex Flor. A et C nihil a Freinsh.

admonebat, ab his gentibus illata Graeciae bella Darei prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsos terramque poscentium: ut neque fontium haustum nec solitos cibos relinquerent deditis. Ab his templa ruinis et ignibus esse 9
deleta, urbes eorum expugnatas, foedera divini humanique iuris violata, referebat. Illyrios vero et Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri iubebat, praedam, non arma gestantem. Irent, et 10
imbellibus feminis aurum viri eriperent. Aspera montium suorum iuga, nudasque calles, et perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

26 Iam ad teli iactum pervenerant, cum Persarum equites XI
ferociter in laevum cornu hostium invecti sunt: quippe Dareus equestri proelio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans. Iamque etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur. Quod ubi Macedo 2
conspexit, duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenue transfert.

scriptura (*insolentia*) diversum notatur, sed quod ad illum quidem antiquissimum librum attinet, obstat huic silentio eiusdem codicis facta ab Nic. Heinsio collatio. Bern. B ingenium agnoscas quod *insolenter* habet. Deinde omnes codd. *aquam ipsos terramque poscentium* praeter Flor. A et B et Modii Siegebergensem, qui libri *ipsam*, quod inde a Vindelino constanter editur, praestare dicuntur. Sed etiam h. l. Heinsii collatio Flor. A cum nostris excerptis pugnat, nec possum non *ipsos* tutius existimare. Refertur paulo liberius ad praegressam *Graeciam*, et Graecae dicendi rationi αἰτεῖν τινα ὕδωρ καὶ γῆν (ex. gr. apud Aeschinem in Ctesiph. §. 132 Bekk.) respondet. Sine dubio autem *poscentium* restituendum est, quippe insolentiae magis conveniens quam *postulantium*, quod vulgo editur postquam Aldus sic edit. pr. scripturam *populantium* correxit. Atque invenitur *poscentium* in omnibus mss. nisi si qui *poscentes*, quod ad *ipsos* referretur, dederunt, Flor. EFGI.

§. 9. *relinquerent deditis. Ab his templa — deleta*] Sic dedimus de coniectura, nam codices quidem omnes et edit. pr. *relinquerent* (vel *relinqueret*). *dedita eis templa*. Quod cum corruptum esse intellexisset, Aldus *relinquerent. Dein deum templa* apte quidem, sed remotius a codd. lectione scripsit, eaque vulgata lectio facta est. Modius quod iam legebatur in margine Iunianae *relinquerent. dedita deis templa* dedit, quod esset pro eo quod est *dedicata*. Equidem *ab his*, oratorie positum, cum proximo priore vocabulo concrevisse puto.

divini humanique iuris] Sic dudum erat scribendum pro vulg., quod nulla librorum mss. auctoritate nititur *humani divinique iuris*. Merito enim dii hominibus antecedunt, nec aliter solent veteres scriptores Romani.

§. 10. *nudasque calles*] Sic Flor. AC Leid. Voss. 1 edit. Modiana; vere, nam vocabulum hoc non semel a Livio feminino genere poni docuit Drakenb. ad XXII, 14 med., et apud Curtium ipsum eodem modo legitur IV, 55 et V, 14, ubi vide notas.

ditibus Persarum campis] Solet hac contractione uti Curtius in sensu metaphorico. Sic c. 28 *castra omni opulentia*

1 Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, praefectum eorum occulte circumire tergum suorum iubet, Parmenioni-
4 que coniungi, et quod is imperasset, impigre exequi. Iamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi egregie tuebantur; sed conferti, et quasi cohaerentes, tela vibrare non poterant: simul erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo comminus pugnam co-
5 acti conserere, gladios impigre stringunt. Tum vero multum sanguinis fusum est. Duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit: collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant,
6 donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promovebant gradum, cum hostem prostraverant. At illos novus excipiebat adversarius fatigatos; nec vulnerati, ut alias solent, acie poterant excedere, cum hostis instaret a fronte, a tergo sui urgerent.

7 Alexander non ducis magis, quam militis munia exe- 27

ditis, v, 2 *Arbela diti gaza repleta*; contra vid. ad IV, 4, 24.

Cap. 26, §. 4. *Iamque ipsi in medium Persarum*] *Ipsi* Macedones sunt, Alexander cum suis, sed quae sequitur pugnae descriptio non minus ad alam regiam, quam ad phalangem pertinet. *In medium undique circumfusi tuebantur* militariter quasi dictum puto: *in medium nimirum illati*, invecti, implicati; *tuebantur* sine obiecto, quod tamen ipsi essent, Germanice ſie hielten ſich. Nam nullus liber manuscriptus, quantum scio, *se tuebantur* habet, Aldinus editor pronomen adiecit et reliqui servarunt, quos nunc non imitor, ne quid proprietatis detergam verens. Mox *conferti* cum Modio dedi ex libris Leid. Flor. A B, item Flor. G H Bern. B. Miror in Bern. A et Voss. 1 esse vulgatum *conserti*: nam ego quidem minime dubito quin h. l., quoniam sequitur *et quasi cohaerentes*, commune et usitatum verbum praecesserit, quale est *conferti* gedrängt, non *conserti*, quod et ipsum similitudinem rei haberet.

simul erant emissa] Sic Bern. A Flor. A B Leid., gloriaturque Modius hac emendatione, nec tamen video qua re magnopere differat olim vulgata *simul ut erant emissa*, nec Voss. 1 *simulque erant emissa* rem mutat. An Modii aetate dubitari poterat de simplici *simul* pro coniunctione *simulatque* posito? Dicit Curtius in tanta vicinitate telorum iaculorumque usum non fuisse, cum in se ipsa inciderent et a scopo declinarentur. Quod sequitur vulgo *cominus*, scripsi *comminus* et ratione motus, quippe quod vocabulum a *manu* deducatur, et constanti optimorum codicum Curtianorum auctoritate. Cf. Cortium ad Sallust. Cat. c. 60, 3.

§. 6. *adversarius fatigatos*] Omnes mei et Snakenb. codices *adversus fat.* praeter Flor. A. Sed non opus fuit restituere quod Aldinus editor suo Marte inventum reliquis persuaserat.

Cap. 27, §. 7. *quam militis munia*] Vulgo editur *munera*, quod ex deterioribus codd. quales sunt Bern. B Flor. H Voss. 2 in editiones principes migra-

quebatur, opimum decus caeso rege expetens. Quippe Dareus curru sublimis eminebat, et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum ingens incitamentum. Ergo frater 8
eius Oxathres, cum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum regis obiecit, armis et robore corporis multum super ceteros eminens, animo vero et pietate in paucissimis. Illo utique proelio clarus, alios improvide instantes prostravit, alios in fugam avertit. At 9
Macedones, (circa regem erant,) mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero similis ruinae strages erat. Circa currum Darei iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes, et Rheomithres, et 10
Sataces praetor Aegypti, magnorum exercituum praefecti, noscitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen caesi sunt: inter quos Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum est. Iamque 11
qui Dareum vehebant equi, confossi hastis et dolore efferati, iugum quatere et regem curru excutere coeperant: cum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum, qui ad hoc ipsum sequebatur, imponitur: insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore ab-

verat. Nam reliqui libri mei omnes paulo rariorem formam servarunt. Cf. Append. VI, 35, 29. Eandem librariorum licentiam apud Livium observavit Drakenb. ad lib. XXXVI, 31. Apud Cic. utrumque in hac significatione officiorum, in altera donorum semper *munera* dicitur.

§. 9. *circa regem erant*] Ἀσυνδέτως explicandae rei causa adiectum puta: nam quod vulgo legitur *ut circa regem erant* nec explet sensum nec alia veteri auctoritate firmatur quam Flor. D. Molem similium exemplorum vide collatam a Drakenb. ad Liv. XL, 57.

§. 10. *Atizyes*] Plurimi codd. *Atizies*, Flor. A Bern. A cum Leid. et Voss. 1 *Atyzies*, Arrianus Ἀτιζύης.

Rheomithres] idem est apud Arrianum et Diodorum; Curtiani libri fere *Throimites*, Bern. B Flor. H *Thorountes*, edit. pr. *Trountes*.

Sataces plerique omnes libri, *Sacaces* Bern. B Flor. H, nullus saltem *Sabaces*, quo nomine secundum Arrian. vulgo appellatur, cum apud Diodor. sit Ταοσιάκης.

§. 11. *qui ad hoc ipsum sequebatur*] *Ipsum* addidi ex codd. meis omnibus. Solet Curtius nuda pronomina *ad hoc*, *ob id* hac ratione fulcire, ut IV, 12 *desiluere in scaphas*, *quae ad hoc ipsum praeparatae sequebantur*, sed h. l. certam causam consilii exprimendi habuit hanc, quod equa erat delecta, quae recens pepererat, quo citius desiderio pulli mota regem fuga auferret. Hoc Freinsh. ex

ctis. Tum vero ceteri dissipantur metu, et qua cuique l fugam patebat via, erumpunt, arma iacientes, quae paulo ıte ad tutelam corporum sumpserant: adeo pavor etiam ıxilia formidat. Instabat fugientibus eques a Parmenione ıissus, et forte in illud cornu omnes fuga abstulerat.

At in dextro Persae Thessalos equites vehementer urebant. Iamque una ala ipso impetu proculcata erat: cum Thessali, strenue circumactis equis dilapsi, rursus in proeium redeunt, sparsosque et incompositos victoriae fiducia barbaros ingenti caede prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur: quippe in circumagenis equis suis Thessali multos occupaverant.

lut. vita Alex. et Aeliani hist. anim. 4, 48 annotavit.

§. 12. *qua cuique ad fugam patebat a*] Verborum ordinem codd. auctoritatem secutus **mutavi**, cum vulgo esset *a cuique patebat ad fugam via;* sed sequi non potui consensui eorum, quos praeterquin optimos iudico, Bern. A Flor. B Leid. Voss. 1, qui *quae* exhibent pro *qua*. Neque enim constructio verborum tam facilis ac pro more scriptorum nostri erit, quam si *qua* adverbialiter dictum accipis, sicut est apud Nepotem Eum. c. 8 *duae erant viae qua e Medis ad adversariorum hibernacula posset perveniri*, et apud nostrum infra III, 28 *qua rectum iter in Persidem duceret*, IV, 51 *qua hostem equites emissurum esse credebat*, V, 37 *qua quemque ut spes ducebat aut pavor, dissipabantur*. Itaque reliquos codices Flor. et edit. Mod. Freinshemiumque secutus sum. Flor. G. H *quacunque* pro *qua cuique. formidat*] Generalis sententia est, quapropter vulg. scriptura *formidabat* minus est commendabilis. Sed praesens tempus etiam auctoritas codicum postulat, quandoquidem de meis codicibus *formidabat* non legitur nisi in Flor. FI, Snakenb. cum *formidat* scripsisset, nihil ab ea lectione diversum e codd. duis enotavit.

§. 13. *a Parm. missus*] Sic edd. et Flor. A, at reliqui codd. quantum scio omnes *emissus* minus recte, quoniam de nostro Persarum cornu sermo est, et Parmenio adversus dextrum stetit, unde, postquam ipse non amplius utebatur, *mittere* quidem, sed non *emittere*, quasi in obstantes, equitatum poterat. Mox vulgo *in id cornu;* melius ac distinctius Modius et codd. plerique omnes (unum enim excipio de nostris Bern. B cum Voss. 2 in hac re concordantem) *illud.*

§. 14. *dilapsi rursus in proelium redeunt*] Abundantiam vocabuli *rursus* plurimis locis bonorum scriptorum animadvertas, ut *rursus revocare, rursus reducere* apud Liv. XLIII, 20, IX, 27, *rursus repetita Bithynia* apud Suet. in Caes. 2. Cf. interpr. ad Liv. epit. libr. XIV. Similiter *ante praeparare, prius praecipere* et alia eius generis, vide Drakenb. ad Liv. XX, 21, 8.

§. 15. *serie laminarum graves*] In omnibus codd. editionibusque veteribus ante *graves* (sive *grave*, ut est in paucis nec bonis codicibus Flor. FH Bern. B et edit. Ald. et Iun.) interponuntur verba *ob id genus*. Ea cum Freinshemio omisi, scholion ratus de margine in textum translatum: certe qui adhuc loco suo emoventes orationi Curtianae aptare voluerunt, nihil effecerunt nisi ut scriptorem inutili ambage onerarent. Nam in eo consentiunt omnes *serie laminarum graves* coniungenda esse, nec posse nisi post haec verba inseri aut *ob id genus* aut *id genus* aut *genus*, Snakenb. *ob id genus armorum agmen*, Rutgersius *id genus agminis*, quam coniecturam Freinshemius ita citat ut Var-

28 Hac tam prospera pugna nuntiata, Alexander, non 16
ante ausus persequi barbaros, utrimque iam victor instare
fugientibus coepit. Haud amplius regem quam mille equi- 17
tes sequebantur, cum ingens multitudo hostium caderet.
Sed quis aut in victoria, aut in fuga copias numerat? Age-
bantur ergo a tam paucis pecorum modo, et idem metus,
qui cogebat fugere, fugientes morabatur. At Graeci, qui 18
in Darei partibus steterant, Amynta duce, (praetor hic Alexandri fuerat, tunc transfuga) abrupti a ceteris, haud sane fugientibus similes evaserant. Barbari longe diversam fu- 19
gam intenderunt: alii, qua rectum iter in Persidem duce-
bat, quidam circuitu rupes saltusque montium occultos pe-
tivere, pauci castra Darei.

roniano more illum *id genus agmen* voluisse scribat, Modius denique *agmen quod genus* edidit, sed in notis *quod genus* obtorto quasi collo ad *Thessalos* referre temptavit. *Agmen* intelligo ipsum equitatum, cuius omnem virtutem prorsus recte et prudenter dicit in celeritate consistere. Ceterum *lamnarum* esse dicitur in Dan. Voss. 1 Leid. et Flor. Heinsii, in meis vero omnibus (praeter Bern. A) *i* vocalis additur. Eadem scripturae varietas est apud Liv. XXIII, 19, ubi Drakenb. Gronovium secutus contra codd. ut videtur suos contractam formam expressit. Cataphractos s. loricatos appellabant Graeci postea in Asia reges, de qua re cf. ipsum Curtium IV, 35 *equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis.*

multos occupaverant] Flor. A Leid. Voss. 1 *inulti occupaverant* (de qua permutatione vide ad VI, 1 pr.), ceteri codd. nostri *multi*, unus Flor. G cum edd. inde a principe *multos*. Quam veterem correctionem recipere malui quam novam temptare.

Cap. 28, §. 17. *caderet*] Acidalius volebat *cederet;* sed potest illud defendi, ut sermo sit de persequendis simul et caedendis hostibus.

pecorum modo, non *pecoris*, nam pluralis huius verbi adhibetur, cum non genus, sed singula intelliguntur. Sic Livius XXXVII, 39 *tamquam non pugnandum cum tot milibus hostium, sed par numerus pecorum trucidandus esset*, Curtius VIII, 50 (elephanti) *pecorum modo magis pavidi quam infesti ultra aciem exigebantur*, V, 37 *reliquum agmen pecudum more agebatur.*

§. 18. *fuerat, tunc transfuga*] Sic Modius et Schmiederus; vulgo enim contra librorum auctoritatem et sermonis Latini praecepta *fuit, nunc transfuga.* Sed quod idem Schmied. mox *abruptis ceteris* mavult pro eo quod legimus *abrupti a ceteris*, erravit, nam pauciores a pluribus abrumpuntur sive divelluntur, ut IV, 58, 22 *plura abrupta a ceteris agmina ubicunque alium alii fors miscuerat dimicabant.* Ceterum *a* praepos. deest in Flor. B D E (a pr. m.) F H I Bern. B, Flor. B etiam *abruti.*

§. 19. *circuitu rupes*] Omnes codd. *rupis*, quod ex vetere pronuntiandi scribendique ratione alibi fere oblitterata apud Curtium superest. Haec autem forma male intellecta causa fuit, cur et deteriores codd. et edd. antiquae aut *circuitum* aut *circuitus* proferrent. Ceterum quod ad scribendi rationem attinet, hoc quidem loco Flor. A Bern. A Leid. Voss. 1 *circumitu*, Flor. B *circuitu*, sed reliquis Flor. et Bern. omnes in substantivo litteram *m* omittunt, vid. VII, 14, IX, 12. Verbum contra *circumire* eam litteram in scriptura servat secundum Papirianum apud Cassiodorum p. 2294 et Priscianum p. 567 Putsch., et sic fere codd. meliores.

Sed iam illa quoque victor intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri argentique pondus, non belli, sed luxuriae apparatum, diripuerant milites. Cumque plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. Iamque ad feminas perventum erat, quibus quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur; ne corporibus quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, repleverant, nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines aetatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur. Tunc vero impotentis fortunae species conspici potuit, cum ii, qui cum Dareo tabernaculum exornaverant, omni luxu et opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi veteri domino, reservabant. Namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent.

Sed omnium oculos animosque in semet averterant 29

§. 20. *victor intraverat*] Editorum additamentum *hostis* abieci postulante codd. consensu.

§. 21. *ne corporibus quidem vis — parcebat*] Florentini duo optimi et Bern. A *ne corporibus quidem*, cum vulgo sit *nec corporibus quidem*. Nimirum copula librariis videbatur necessaria esse, sed ea in augenda re non opus est: cf. ad X, 13, 3. Sed hoc in universum annotabo in libris mss. Curtianis partim deterioribus, partim etiam omnibus, *nec — quidem* pro *ne — quidem* fere semper exarari, etiam ubi certissimum est copulam abesse debere.

§. 22. *omnia planctu tumultuque — repleverant*] Vulgo *omnia planctu tumultuque — castra repleverant*; sed aut *omni* scribendum, aut *castra* delendum. Nec enim tot verbis et integro colo interiectis diducitur adiectivum a substantivo suo, nec ea tum *omnia castra* fuissent, sed *tota*. Etiam quod Wopkensius in lectionibus Tullianis lib. II, c. 6 pag. 156 eiusmodi traiectionis affert exemplum, Ciceronis de legibus II, 17 pr. *Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt*, quamvis primo aspectu simillimum videatur, tamen in eo est dissimile, quod non integrum colon interiectum est. Itaque *castra* cum Freinsh. delevi verbum interpretandi causa adscriptum existimans.

§. 23. *impotentis fortunae species*] Antiquae edd. et pauci codd. Flor. D E *impotens*: emendavit Modius, suffragantibus plerisque codicibus. Idem post *qui cum Dareo tabernaculum exornaverant* scripsit, sicut in nostris omnibus codd. praeter Flor. D legitur, cum vulgo sit *qui tum — exornaverant*. Mihi quidem utrumque spurium videtur et ortum ex praecedentibus, sed *cum* habere potest eam sententiam ut ministros regis significet. *Impotens* fortuna dicitur quae ad libidinem vi sua utitur; et opponitur constanti. Ridere licet Flor. C scripturam *omnipotentis*.

Cap. 29, §. 24. *in semet averterant*] Sic optimi codd. Leid. Voss. 1 Florentini duo antiquissimi, Bern. A; deteriores *adverterant*. Editores *converterant* de suo fecerunt (in priore edit. mea *verterant* errore typographi irrepsit); male, nam *avertere in* aut *ad* aliquid recte dici cum facile intelligatur, tum illustratum est a multis, ex. gr. a Dra-

captivae mater coniunxque Darei: illa non maiestate solum, sed etiam aetate venerabilis, haec formae pulchritudine, ne illa quidem sorte corruptae. Receperat in sinum filium nondum sextum annum aetatis egressum, in spem tantae fortunae, quantam pater eius paulo ante amiserat, genitum. At in gremio anus aviae iacebant adultae duae virgines, 25
non suo tantum, sed etiam illius maerore confectae. Ingens circa eam nobilium fēminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscisaque veste, pristini decoris immemores, reginas dominasque, veris quondam, tunc alienis nominibus invocantes. Illae, suae calamitatis oblitae, in utro cornu 26
Dareus stetisset, quae fortuna discriminis fuisset, requirebant. Negabant se captas, si viveret rex. Sed illum equos subinde mutantem longius fuga abstulerat.

In acie autem caesa sunt Persarum peditum centum 27
milia, decem equitum. At a parte Alexandri quattuor et quingenti saucii fuere, ex peditibus triginta omnino et duo desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens victoria stetit.

kenb. ad haec Livii VI, 23, 8 *his sermonibus tota in se averterat castra* et ad XXXV, 31 *ne Aetoli partis alicuius animos ad Antiochum avertissent.* Noster V, 16, 28 *in fugam avertit*, atque scripsimus sic e libris V, 36, 14.

corruptae. Receperat] Obsecutus sum certissimae codd. omnium auctoritati: vulgo *corrupta. Acceperat.* Sed *nec illa quidem sorte*, quod in edd. est, ex Voss. 1 et Flor. G correxi ut *ne — quidem* scriberem. Neque enim copulae hic ullus locus est, si utique eum casum excipere velis, quem non excipio. Vide ad VI, 37 et X, 13.

sextum annum aetatis — pater eius paulo ante] Hic verborum ordo, quem edd. paulum immutant (ut *aetatis annum* et *paulo ante pater eius* exhibeant), in omnibus libris mss. est; sed pro sexto Flor. H VIII, Bern. B *octavum* annum habent. Post mss. *adultae duae virgines*, editi *ad. virgines duae.*

§. 25. *abscisaque veste*] Sic antiquissimi duo Flor. et Leid. Voss. 1 Bern. A, cum vulgo edatur *abscissaque. Vestem scindere* et *abscindere* certum est, item *scissa vestis*, sed *abscissum* nego a veteribus dictum esse, propterea quod non dignosci posset ab eo quod est *abscisum*, et libri mss. meliores ubique simplici litera utuntur. Unum *tantum* apud Curtium locum novi lib. X, c. 17, ubi *abscissa vestè* etiam in melioribus nostris legi videtur, quandoquidem nihil varietatis enotatum est. Cf. ad VII, 41. VIII, 11 extr.

in utro cornu] Praepositionem omnes libri nostri mss. et ed. pr. tuentur. Aldus et reliqui editores omiserunt. Sed Flor. E F cum ed. pr. *in utroque* mendose.

§. 27. *decem equitum*] Haec et sequentia sicut in Flor. A B et Bern. A legebantur, ita restitui concordante in priore parte editione Modiana. Deteriores libri, quibus primi editores usi sunt, *decem vero millia interfecta equitum. At ex parte — triginta omnino et duo ex peditibus* cet. Quod est *quattuor et quingenti*, in Flor. A *at quattuor quingenti* in Bern. A *ad quattuor quingenti* scriptum erat, sed eadem manus antiqua illum, recentior hunc ita emendavit

III Rex quidem, Dareum persequendo fatigatus, postquam 30
et nox appetebat, et consequendi spes non erat, in castra
2 paulo ante a suis capta pervenit. Invitari deinde amicos,
quibus maxime assueverat, iussit, quippe summa dumtaxat
cutis in femine perstricta non prohibebat interesse convi-
3 vio: cum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor,
barbaro ululatu planctuque permixtus, epulantes conterruit.
Cohors quoque, quae excubabat ad tabernaculum regis, ve-
rita, ne maioris motus principium esset, armare se coepe-
4 rat. Causa subiti pavoris fuit, quod mater uxorque Darei
cum captivis nobilibus regem, quem interfectum esse cre-

ut nunc legitur: Leid. *ad quatuor et quingenta* traditur exhibere. Itaque Modius bonos libros auctores habuit cum ederet *ad quat. et quingenti;* sed in numero tam accurate definito non puto locum habere vocabulum *ad.* Tum *a parte Alex.* omnes libri mss. habent pro eo quod est in editis *ex parte Alex.* Peditum autem Macedonum caesorum numerum Diodorus XVII, 36 tradit fuisse ad trecentos, Iustinus XI, 9 centum triginta, Arrianus II, 10 in conflictu phalangis cum Graecis mercenariis fere centum viginti τῶν οὐκ ἠμελημένων Μακεδόνων cecidisse refert. Atque hoc acerrimum pedestris proelii discrimen fuit. Itaque si apud nostrum correxeris *trecenti* pro *triginta*, eum non solum cum Diodoro sed fortasse etiam cum veritate concordantem reddideris. Sed num ex ipsius sententia, magnopere dubito. Nam exiguum illum numerum fuisse non solum epiphonemate significat, sed etiam vocabulo *omnino* exprimit, quod numero postpositum idem significat quod tantum, ut IV, 41 *semel omnino eam viderat*, IV, 13 *tris omnino*, IX, 36 *quattuor omnino.*

Cap. 30, §. 1. *rex quidem — postquam et nox appetebat et consequendi spes non erat*] Edidi quod in omnibus codicibus est, in hoc uno ausus aliquid, quod Heinsium ex parte secutus de coniectura *quidem* scripsi pro *qui diu.* Sic enim Bern. uterque, Leid. et Flor. sex interque eos duo antiquissimi; Voss. 1 et Flor. DFI *aliquamdiu* haud dubie ex correctione. Editores aut *fatigatus erat* correxerunt aut *qui* omiserunt. Quod praeterea vulgo editur *posteaquam* et *eum assequendi*, qua librorum auctoritate nitatur non invenio: *assequendi* primus dederat Aldus, nam ed. pr. *insequendi* contra codd. habet.

§. 2. *in femine*] Antiquiorem hanc vocis formam ex meis libris, Flor. AD EFHI Bernensi utroque, et ex olim collatis Leid. Voss. 1 edidi. *Femore* Flor. B ex correctione librarii ceterique mss. libri deteriores et editi praeter Mod. habent. Eadem fere res est VI, 1 ubi fuit *femora perfossa*, nos *femina perfossa* dedimus. Sed sine ulla varietate VIII, 35 *Iovis femine Liberum patrem esse celatum* legitur. Prosarios enim optimae aetatis scriptores ab eo quod est *femur* dixisse potius *feminis*, *femini* rel. quam *femoris*, *femori* constat, ut quod uno in loco Ciceronis lib. IV in Verr. 43 *femore* restituerim causa mihi quasi fuerit dicenda. Cf. quae Gronovius et Drakenborch. ad Liv. XXX, 18, 13 non immemores Curtii annotarunt.

§. 3. *permixtus*] Edit. Freinsh. et Snak. *permistus* male, nam codd. veteres et nostri quidem mss. omnes praeter Flor. CF in scriptura *xt* consentiunt, et *mixtus* sine ulla varietate legitur V, 15, 20. IX, 34, 7. Idem testati sunt Pierius de Vergilii codicibus, et Schwarzius ad Plinii panegyr. 32 et 52, vid. Harlesii Orthogr. p. 290.

§. 4. *causa subiti pavoris*] Vulgo *pavoris subiti* inverso ordine: nostrum habent Bern. A Flor. ABCG, *timoris subiti* Bern. B Flor. EH Voss. 2.

cum captivis nobilibus] Additur vulgo *mulieribus* sine ulla librorum mss. au-

debant, ingenti gemitu heiulatuque deflebant. Unus nam- 5
que e captivis spadonibus, qui forte ante ipsarum taberna-
culum steterat, amiculum, quod Dareus, sicut paulo ante
dictum est, ne cultu proderetur, abiecerat, in manibus eius,
qui repertum ferebat, agnovit, ratusque interfecto detractum
esse, falsum nuntium mortis eius attulerat. Hoc mulierum 6
errore comperto, Alexander fortunae Darei et pietati ea-
rum illacrimasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardis
tradiderat, peritum linguae Persicae, ire ad consolandas eas
iusserat. Veritus deinde, ne proditor captivarum iram do- 7
loremque renovaret, Leonnatum ex purpuratis suis misit,
iussum indicare, falso lamentari eas vivum. Ille cum pau-
cis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, per-
venit, missumque se a rege nuntiare iubet. At hi, qui in 8
vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de
dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes, adesse su-

ctoritate. Nostri certe omnes et Snakenburgii Leid. Voss. 1, 2 verbum illud omittunt. Sunt *captivae nobiles*, quas antea *nobiles feminas* appellaverat.

heiulatuque] Dedi hoc auctoritati optimorum librorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A quod cum aspiratione verbum scripsi. Sic debere fieri docet Cassiodorus de orthogr. p. 2312 Putsch, quoniam ab *hei* vel *hui* traductum sit. Cf. Moser. ad Cic. Tusc. II, 7, 19.

§. 6. *illacrimasse*, postquam Modius necessario scribendum intellexit, vulgo editur, sed non inventum est adhuc nisi in Bern. A et Flor G, cum reliqui omnes exhibeant *lacrimasse*,

qui Sardis tradiderat] Ed. pr. *qui Sardos prodiderat*. Ald. *Sardis*, Iunius *Sardeis* fecit, iamque haec vulgaris scriptura facta erat. Sed nostri mss. omnes *tradiderat*, nec nisi in Flor. E superscriptum legitur *pro. Sardos* unus Flor. C, reliqui *Sardis* quod non mirere, quandoquidem etiam in nominativo legitur apud Horat. Ep. I, 11, 2. Mox *peritum linguae Persicae* ad unum omnes mss. nostri et Snakenburgii, editi *per. Pers. linguae.*

§. 7. *doloremque renovaret*] Sic qui plurimum fidei merentur Flor. A Bern. A Leid. Voss. 1 (item 2) nec abit multum Flor. B *revocaret:* deteriores Bern. B Flor. DEFHI rem leviter circumscribentes *augeret*. Quod in editionibus quidem propinatur *gravaret*, i. e. graviorem redderet, ut veteres prosae orationis auctores dicere maluerunt, in nullo libro ms. repperi, sed prope accedit Flor. C *generaret.*

lamentari eas vivum] Imminuitur sententiae vis et acumen, ubi interpretationem ex deterioribus libris admittimus *Darium vivum*. Ea in margine adscripta est Flor. G et prorsus abest a Flor. ABC Bern. A Leid. Voss. 1 (et 2).

missumque se a rege nuntiare iubet] Ordinem hunc verborum consentiens librorum mss. auctoritas tuetur (cum vulgo sit *a rege se*): sed discrepant utrum *nuntiari* an *nuntiare* verum sit. Equidem cum per grammaticae leges utrumque licet, codices Bern. utrumque et Flor. ABCEG et Modianam scripturam sequi malui et *nuntiare* edendum curavi, intellige ministrum, qui admissos introduceret sive atriensem. Snak. de suis codicibus siluit, quamvis haud dubie cum nostris concinerent: vide supra ad c. 19, 7. Mox *hi* pro vulg. *ii* omnes codd. nostri et Snak., tantum Flor. B *hii*, C *ii*.

9 premam horam, missosque qui occiderent captas. Itaque, ut quae nec prohibere possent, nec admittere auderent, nullo responso dato tacitae opperiebantur victoris arbitrium. 10 Leonnatus, expectato diu qui se introduceret, postquam nemo procedere audebat, relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbaverat feminas, quod 11 irrupisse, non admissus, videbatur. Itaque mater et coniunx provolutae ad pedes, orare coeperunt, ut, priusquam interficerentur, Darei corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio impigre sese 12 morituras. Leonnatus, et vivere Dareum, et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae reginas fore. Tum demum Darei mater allevari se passa est.

8 Alexander postero die cum cura sepultis militibus,31 quorum corpora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi iubet, matrique Darei permitti,

§. 9. *tacitae opperiebantur*] Flor. A *tacito*, ceteri libri aut *tacitae* (Bern. B Flor. H) aut *tacite*, quod idem est.

§. 10. *qui se introduceret*] Sic libri optimi Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1, ceteri et plerique vulgati *intromitteret*. Non potest autem dubium esse utrum dignitati reginarum magis conveniat: *intromittuntur* enim ad notum et noti ipsi.

postquam nemo procedere audebat] *Procedere* quidem ex coniectura Modii aliorumque post eum legitur: libri mss. aut *producere*, aut *perducere* (Flor. FHI) aut etiam *introducere* (Voss. 2) habent; nam Theocrenianum illud ipsum *procedere* praestare non magni aestimo, cum liber iste ex iis sit qui apertissime doctorum olim hominum correctiones experti sint. Neque tamen equidem dubito quin recte *procedere* emendatum sit, solent enim haec verba inter se commutari neque quidquam aptius inveniri potest. (Antiquiores edd. usque ad Freinsh. vulgo *prodire* habebant.) *Postquam* quod edidi pro *posteaquam* factum est ex omnium codd. auctoritate.

§. 11. *impigre sese morituras*] Editum est a Vindelino Spirensi *se impigre morituras:* libri mss. multum discrepant. Flor. ABH Bern. A (cum corr. *non egre*) et B *ingresse (ae) se*, Flor. EFI *ingenue sese*, Flor. DG et Leid. prorsus ut edidimus. Videtur igitur olim scriptum fuisse *ingre* pro *impigre*, quod librarii aut cum sequenti vocula coniunxerunt aut recte explicuerunt aut interpolarunt.

§. 12. *tum demum Darei mater*] Sic edit. Modiana et Flor. ABFGI, cum in Flor. C sit *tum Darii demum mater*. Vulgo *tum mater Darii*, sed *Darii mater* etiam in Bern. utroque Flor. EH est, *tum demum mater* sine genitivo in Flor. D, et Snakenb. ex suis codicibus nihil nisi *tum demum* esse in Leid. Voss. 1 notavit. Eant igitur et ratiunculas quaerant cur necessario debeat esse *mater Darii*, quod putant me contra libros mss. mutasse. Me quidem piget his elegantiae arbitris diligentiae nostrae obtrectatoribus respondere.

Cap. 31. §. 13. *postero die* omnes libri mss. nostri et Snak.: vulgo *postera*. Constantia quidem non est in hac re, si quidem *postera die* servavimus IV, 14, 13 et restituimus IV, 24, 20 et X, 25, 5, contra *postero die* et retinuimus longe plurimis locis et restituimus VI, 43, 27.

quos vellet, patrio more sepeliret. Illa paucos arta pro- 14
pinquitate coniunctos pro habitu praesentis fortunae humari iussit, apparatum funerum, quo Persae suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, cum victores haud pretiose cremarentur.

Iamque iustis defunctorum corporibus solutis, praemit- 15
tit ad captivas, qui nuntiarent, ipsum venire: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso 16
pariter eductus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat, quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur; et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae illum esse regem 17
ratae, suo more veneratae sunt. Inde ex captivis spadonibus quis Alexander esset monstrantibus, Sisygambis advoluta est pedibus eius, ignorationem nunquam antea visi regis excusans. Quam manu allevans rex, *non errasti*, inquit, *mater, nam et hic Alexander est.*

32 Equidem hac continentia animi si ad ultimum vitae 18
perseverare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum, us-

§. 16. *pariter eductus*] Vulgo *educatus*, sed cum plerique boni libri habeant *edoctus*, et *educatus* non sit nisi in deterioribus Flor. CFGI et correctionem olim passis Flor. BDE, cum item antea fuisset *edoctus*, malui Leidensis fidem sequi et *eductus* edere, quod eandem significationem habet ac saepe a librariis interpolatum est. Cf. Drak. ad Liv. XXI, 43. Neque enim perpetuum illud discrimen, quo *educere* de corpore alendo, *educare* de formandis moribus fere dicimus: cf. ad VIII, 3. *Hellanice quae Alexandrum educaverat.*

§. 17. *illum esse regem*] Vulgo *illum regem esse:* nostrum verborum ordinem habent Bern. A Flor. ABG; Snak. de suis libris silet. Paulo post *ex captivis spadonibus* mutata collocatione omnes mei; Snak. de suis unum Voss. 2 auctorem addit, sed est ut interdum de excerpendi vel annotandi diligentia dubitemus. Ceterum ex ea locutione subiectum intelligitur *nonnullis*, sicut etiam alibi Curtius dixit: VII, 1, 9 *ex his qui proximi astiterant — confoderunt*, et singularem numerum intelligens IX, 6, 34 *tum ex his qui assueverant talibus ministeriis — ferro amputare coepit.*

Cap. 32, §. 18. *si ad ultimum vitae* cet.] Hac ratione coniunctio *si* collocatur in omnibus codd. nostris mss. et edit. Modii, cum in principe et vulgo editis post *equidem* legatur et Snakenb. nostram verborum collocationem ex uno tantum Voss. 2 enotet. Paulo post Flor. AB et Leid. Voss. 1 cum Modiana edit. *usque ab Hellesponto ad Oceanum*, deteriores *ab Hell. usque ad Oc.*; ex Bern. A nihil aliud notatur nisi omitti verbum *usque.*

que ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria
19 emensus. Sic vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta: sic abstinuisset inter epulas caedibus amicorum, egregiosque bello viros et tot gentium secus domitores in-
20 dicta causa veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat: itaque orientem eam moderate et prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem eius non cepit.

21 Tunc quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia vinceret. Virgines reginas excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem quo
22 ipse parente genitae forent: coniugem eiusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo cor-
23 pori illuderet: omnem cultum reddi feminis iussit, nec quicquam ex pristinae fortunae magnificentia captivis, praeter
24 fiduciam, defuit. Itaque Sisygambis, *rex*, inquit, *mereris, ut ea precemur tibi, quae Dareo nostro quondam precatae sumus: et, ut video, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum,*

§. 19. *sic vicisset — sic abstinuisset*] Nihil novi melius, cum in omnibus libris nostris *si* utroque loco legatur, quam recepta Schefferi emendatione et constructioni verborum et fidei librorum consulere. Nam plerique editores et Freinshemius particulam abiecerunt.

§. 20. *se animo eius superfuderat*] Sic nostri et Snakenb. libri omnes, et *iam edd. principes*. In Basileensi Henrici Petri est *infuderat*, quod Modius damnavit, Freinshemius eumque secuti praetulerunt iniuria. Nam elegans sine dubio imago prosperae fortunae quasi undae animum mergentis. Postea omnes praeter Flor. G codices nostri ac sine dubio etiam reliquorum, quamvis sileantur, *orientem tam*, quod mendum ne editores quidem ante Modium sustulerunt.

§. 21. *tunc quidem*] Edd. *tum* contra omnium nostrorum auctoritatem. Neque poterat quicquam rectius h. l. dici quam *tunc*.

vinceret. Virgines reginas] *Vinceret* Modium secutus edidi pro vulg. *vincerentur*. Est quidem hoc in plerisque codd. nostris, sed legitur tamen in F *vincerent* et in DI et Modii Colon. *vinceret*. Sigebergensis, quem alibi iure laudat Modius, *convinceretur* habet, e nostris G *convinceret*. Terminationes autem verborum minus accurate a librariis solere exprimi nemo nescit. Miror Acidalium qui, si *vinceret* legeretur, etiam *ante se* necesse esse diceret pro *ante eum*: intelligo enim consilium Alexandri exprimi si *ante se* poneretur, quod ab h. l. alienum. Porro *virgines reginas* ex codd. quotquot melioris notae sunt scripsi. Pauci (et e nostris quidem Bern. B Flor. EH) habent *virgines et reginas*, unde coniectura effectum est paulatim *virgines enim regias*. Sed potest haud dubie, sicut *rex* regis filium significat, ita etiam *regina* filiam significare (apud poëtas quidem ita verbum usurpari vulgaria lexica docent), neque coniunctione opus est.

§. 22. *quam si*] Quattuor codd. Flor. EFHI et Bern. B *quasi* ad usitatiorem formam referentes.

§. 24. *et ut video dignus es*] Intel-

sed etiam aequitate superaveris. Tu quidem matrem me et reginam vocas: sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et praeteritae fortunae fastigium capio, et praesentis iugum pati possum: tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia, quam saevitia, vis esse testatum. Rex bonum animum habere eas iussit, Darei filium collo suo admovit: atque nihil ille conspectu tum primum a se visi conterritus, cervicem eius manibus amplectitur. Motus ergo rex constantia pueri, Hephaestionem intuens, *quam vellem*, inquit, *Dareus aliquid ex hac indole hausisset!*

33 Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa Pinari amnis Iovi atque Herculi Minervaeque sacratis, Syriam petit, Damascum, ubi regis gaza erat, Parmenione praemisso.

Atque cum praecessisse Darei satrapam comperisset, veritus ne paucitas suorum sperneretur, accersere maiorem manum statuit. Sed forte in exploratores ab eo praemissos incidit natione Mardus, qui ad Parmeniona perductus,

lige *pro cuius salute deos precemur*, quippe qui illum aequitate superaveris: ne coniungas *dignus es qui superaveris*.

§. 26. *Darei filium*] Interiiciunt editores *deinde*, quod cum in nullo libro ms. legatur abieci; potest autem coniunctio abesse, si ita dictum putas ac si esset: Darei filium collo *adeo* suo admovit.

tum primum a se visi] Vulgo *tunc*: codd. Bern. variant, B *tum*, A *tunc* habet, Snakenb. nihil de suis libris notavit, Flor. vero omnes *tum* praestant. Horum igitur consensum secutus sum; neque tamen reprehendo *tunc primum*, immo ipse sic scripsi e melioribus v, 7 et servavi etiam *tunc demum* omnium consensu IV, 49.

Cap. 33, §. 27. *tribus aris*] „tamquam tropaeis et victoriae monumentis: Cic. ed. XV, 4 *castra in radicibus Amani habuimus iuxta aras Alexandri.* Nec aras modo post hanc victoriam, sed urbem etiam Alexandriam eodem prope loco condidit, cuius Plinius meminit l. V nat. hist. c. 27 et Herodianus l. III, c. 4 et Stephanus Byz. qui Ἀλεξάνδρειαν τῆς Κιλικίας vocat.“ Cellarius, Freinshemii copiis usus.

§. 1. *atque cum*] Addiderunt Aldus et reliqui *atque is*, sed contra codd. nostrorum consensum; ac videtur novum subiectum orationis quamquam paulo durius ex proximo intelligi posse. Sed ea res tamen aliquid turbarum dedit librariis: nam Flor. A Leid. Voss. 1 *praecessisset et Darei satrapa comperisset* habent, Bern. A *praecessisset et D. satrapam comperisset*, reliqui tamen recte *praecessisse*.

accersere] Aliquot codd. Flor. BDF GI *accersire*, ceteri *accersere*, nullus *arcessere*.

§. 2. *natione Mardus*] Mardorum gentem Curtius commemorat V, 21; VI, 16. Male igitur Aldus et insecuti editores usque ad Modium, quod *nomine* scripserunt ex libris mss. quales sunt Bern. B. Flor. DEFHI. Edit. quidem princeps habet *natione*.

ad Parmeniona] Nomen ipsum appellat Curtius, quoniam *ad eum*, quod ponere potuit, repetitione ingratum fit. Graecam autem nominis formam tuentur Flor. AB Bern. A Leid. Voss. 1 hoc quidem loco, cum aliis vulgarem nec ipsi spernant. Cf. ad V, 21, 11.

litteras ad Alexandrum a praefecto Damasci missas tradit
2 ei, nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem
3 cum pecunia traderet, adiecit. Parmenio, asservari eo iusso,
4 litteras aperit: in quis erat scriptum, ut mature Alexander
5 aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu exigua. Ita-
6 que Mardum datis comitibus ad proditorem remittit. Ille
7 e manibus custodientium lapsus, Damascum ante lucem in-
8 trat. Turbaverat ea res Parmenionis animum insidias ti-
9 mentis, et ignotum iter sine duce non audebat ingredi: fe-
licitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris
essent, excipi iussit. Quibus celeriter repertis, quarto die
ad urbem pervenit, iam metuente praefecto, ne sibi fides
5 habita non esset. Igitur quasi parum munimentis oppidi
fidens, ante solis ortum pecuniam regiam, (gazam Persae
vocant,) cum pretiosissimis rerum efferri iubet, fugam si-
mulans, re vera, ut praedam hosti offerret.

6 Multa milia virorum feminarumque excedentem oppido 34
sequebantur, omnibus miserabilis turba, praeter eum, cuius
fidei commissa erat. Quippe quo maior proditionis merces
foret, obiicere hosti parabat gratiorem omni pecunia prae-
dam, nobiles viros, praetorum· Darei coniuges liberosque,
7 praeter hos Graecarum urbium legatos, quos Dareus velut

§. 3. *cum manu exigua*] Additur in omnibus codd. mss. *cumque rex tenens ipsum* (deteriores *eum*) *reliquisset*, in quibus verbis coniectura experienda est. Puto olim fuisse: *cui traderet quaecunque rex penes ipsum reliquisset.* Sequitur *Itaque Mardum* (nam in Leid. non esse *itaque* vix credo), sed interiiciunt editores eodem consensu, quo superiora illa sustulerunt, *re cognita*, quod in margine cod. E legitur, a ceteris prorsus abest.

§. 5. *gazam Persae vocant*] Edd. praeter Modianam e deterioribus libris ductae *quam gazam Persae vocant.* Ignorant additamentum ex olim collatis Bong. Leid. Voss. 1, e nostris Flor. ABCG Bern. A. Solet Curtius in eiusmodi explicationibus omittere pronomen: IV, 9 *ferreae manus (harpagonas vocant)*, VI, 31 *fontem (solis aquam vocant)*, IV, 21 *filiam (Statirae erat nomen)*, IV, 36 *amnem (Boumelo nomen est)*, VI, 26 *ad fratrem (Cebalino erat nomen)*, VI, 31 *Arabes spectant (Troglodytis cognomen est).* Cf. ad IV, 56 extr. VI, 10, 6.

Cap. 34, §. 6. *omnibus miserabilis*] *omnis* Flor. DEFHI, *mirabilis* Bern. A Flor. AB (sed factum recentiore manu *mirantibus turbis*) CG (corr. alt. m.). Vides ne optimos quidem mendis carere.

commissa erat] Sic libri mss. nostri et Snak.; omnes editi praeter Modianum eadem pertinacia *fuerat;* quasi iam soluto officio. Item deinceps *proditionis merces* mss. quidem omnes, ni Voss. 2 cuius non fit mentio numerare vis; editi praeter Mod. *proditoris*, male sine dubio.

Graec. urbium legatos] Vulgo *urbium*

in arce tutissima, in proditoris reliquerat manibus. Gangabas Persae vocant humeris onera portantes: hi cum tolerare non possent, quippe et procella subito nivem effuderat, et humus rigebat gelu, tum astrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro et purpura insignes, induunt, nullo prohibere auso, cum fortuna regis etiam humillimis in ipsum licentiam faceret. Praebuere ergo Parmenioni 8
non spernendi agminis speciem: qui interiore cura suos, quasi ad iustum proelium paucis adhortatus, equis calcaria iubet subdere, et acri impetu in hostem evehi. At illi, 9
qui sub oneribus erant, omissis per metum, capessunt fugam; armati quoque, qui eos prosequebantur, eodem *metu* arma iactare, ac nota diverticula petere coeperunt. Prae- 10
fectus, quasi et ipse conterritus, simulans cuncta pavore compleverat. Iacebant totis campis opes regiae, illa pecu-

Graecarum contra libros mss. nostros quidem omnes et Snakenburgii Vossianos. (Leid. non appellat, sed ne eum quidem a consensu reliquorum discedere puto.) *Urbes* dicuntur pro civitatibus: cf. Vorstium ad Valerii Maximi praef. ubi docet *Urbem Romam* saepissime sic pro populo Rom. dici.

§. 7. *cum tolerare non possent*] Editi libri, etiam Mod., *cum frigus tolerare non possent*, sed *frigus* in nullo libro ms. invenitur. Absolute dicitur *tolerare*, sicut *sustinere* et *sustentare*, Germ. aushalten, de qua re vide Gronov. ad Liv. XXXIX, 31. In Flor. B supra lineam adiicitur *honera; tollere* pro *tolerare* legitur in deterioribus libris Flor. DEFHI Bern. B Voss. 2 Pal. 1.

tum astrictas vestes — induunt] i. e. iter ingressi sarcinas vestium solvunt et parte illarum pro amiculis utuntur. *Tum* rei temporisque occasionem natam significat, quod cum redundare putaret Acidalius *humus rigebat gelu tum adstricta* correxit, me quidem non probante.

§. 8. *iubet subdere*] Hoc verborum ordine libri mss. omnes, vulgo *subdere iubet*. Tum meliores Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB atque etiam CDE Voss. 2 *in hostem evehi* pro vulg. *in hostem invehi* commendant. Familiaris est Livio dicendi ratio, vide exempla a Drak. ad libr. XXIX, 34, 12 collecta; et ipse Curtius VII, 31 *equo in cuneos barbarorum effusis habenis evectus.*

§. 9. *omissis per metum*] Subintellige *his*, quod facile fieri potest, cum idem casus praecesserit: neque enim in ullo codice ms. constat esse, quod Raderus in aliquot se vidisse dixit, et quod in edit. Ald. est, *omissis illis qui eos prosequebantur* et Modius edidit et ego in *omnibus* codd. Flor. inveni. Vulgatum *persequebantur*, quod contra sermonis usum videtur esse, repertum est in Bern. A; sed quod Snak. tradit in Flor. Voss. 1 et vulgo *sequebantur* legi, de Flor. A et vulgata scriptura falsum est.

nota diverticula] Bern. B Flor. H et Voss. 2 *diversoria*, interpretamentum male sensum vocis intelligentium librariorum. Sunt enim *diverticula* viarum transversae semitae, pro quo si quis *deverticula* maluerit, non magnopere repugno, nisi quod in nullo libro ms. extare video.

§. 10. *simulans cuncta pavore compleverat*] Haec verba coniungenda esse et a praegressis segreganda lineola significatur in Flor. B et in Bern. utroque. *Simulans* est *simulatione*, nimirum se et ipsum conterritum esse.

nia stipendio ingenti militum praeparata, ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium feminarum, aurea vasa, aurei freni, tabernacula regali magnificentia ornata, vehicula quoque a suis destituta, ingentis opulentiae plena, facies etiam praedantibus tristis, si qua res avaritiam moraretur. Quippe tot annorum incredibili et fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia stirpibus lacerata, alia in coenum demersa eruebantur: non sufficiebant praedantium manus praedae.

2 Iamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat: feminae pleraeque parvos trahentes liberos ibant. Inter quas fuere virgines, Ochi, qui ante Dareum regnaverat, filiae, olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractae, sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna. In eodem grege uxor quoque eiusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic erat Darei) filia, et coniunx Artabazi, principis purpuratorum, et filius, cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritimae orae rex dederat, uxor cum filio excepta est, Mentoris filiae tres, ac nobilissimi ducis Memnonis coniunx et filius. Vix-

aurei freni] *Freni aurei* Flor. DEFI, unus Bern. B *aurea frena*, sed cf. grammaticam nostram §. 99.

§. 11. *si qua res avaritiam moraretur*] Significat militibus avaris ne miserandi quidem tempus superfuisse. Sed Bern. B Flor. H et quod miror etiam Voss. 1 (ni Voss. 2 est) *si qua re avaritia moveatur*, quo eodem pertinet etiam Flor. DFI scriptura *si qua res avaritia moveatur* et Flor. E a pr. m. *si qua et avaritia moveatur*.

in coenum demersa eruebantur] Flor. E cum Pal. 1 *ruebant* et aliquot Flor. BDFI *cernebantur*. Optima est vulgata scriptura, nam verbum ad proxima applicatum per figuram ζεῦγμα etiam ad remotiora pertinet.

Cap. 35, §. 12. *inter quas fuere virgines*] Vulgo *tres fuere virgines*. Sed illam vocem Leid. Voss. 1 uterque Bern. omnes Flor. praeter unum G ignorant, neque tanta esse potest illius libri auctoritas et multo minus Vossiani 2, qui cum vulg. conspirare censendus est, ut contra probatissimos libros additamentum istud in ordinem recipiamus. Quamquam non nego verisimile esse ut tres Ochi filiae fuerint, quoniam Arrianus VII, 4 Alexandrum Susa ex India reversum Parysatin τῶν Ὤχου θυγατέρων τὴν νεωτάτην in matrimonium duxisse Aristobuli fide tradit.

aggravante fortuna] Haec non est emendatio Aldini editoris, sed vetus lectio unius certe codicis Flor. G, cum in ceteris Flor. et in plerisque aliis (neque enim constat in quo libro olim collato *fortuna* fuerit) legatur *natura*. Quod quamquam I. F. Gronovius obs. II, 12 *sexum* interpretatur, negari tamen nequit longe rectius ac simplicius esse quod iam editur.

§. 13. *et filius*] Annoto *et* in nullo libro ms. inveniri. Nomen in Bern. A Flor. B scribitur *Illioneo*, in Bern. B et Flor. H (a pr. m.) *Illionio*. Alio verborum ordine *nomen fuit* Bern. B Flor. G.

que ulla domus purpurati expers fuit tantae cladis. Lace- 15
daemonii et Athenienses societatis fide violata Persas secuti: Aristogiton et Dropides et Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longe clarissimi, Lacedaemonii Pausippus et Onomastorides, cum Monimo et Callicratide, hi quoque domi nobiles. Summa pecuniae signatae fuit ta- 16
lentum duo milia et sexcenta, facti argenti pondus quingenta aequabat. Praeterea triginta milia hominum, cum septem milibus iumentorum, dorso onera portantium, capta

§. 14. *expers fuit tantae cladis*] Sic Flor. DEFI et in marg. ab eadem manu correctum B. In ceteris Flor. et utroque Bern. et Leid. Voss. 1 et 2 vocabulum *expers* desideratur, vulgo etiam ab editoribus in fine periodi ponitur.

§. 15. *Aristogiton et Dropides* cet.] Nomina quidem legatorum, ut nunc leguntur, a Freinsh. ex Arriano II, 15 et III, 24 probe correcta sunt, quamvis non magna in hac re ipsius Curtii, vel potius Graeci illius quem expressit, diligentia fuit. Nimirum nomina legatorum Damasci captorum eorumque qui mortuo Dareo cum Graecis militibus Alexandro se dediderunt (de quibus in universum Curt. VI, 15) coniuncta et confusa videntur. Cf. Schmiederi annotationem. In codicibus et olim collatis et nostris corrupta leguntur, in Flor. quidem AB sic: *aristogitane* [B *aristogitanes*), *thropides* (B *thopides*) et *Lehicrates* (B *leucrates*), *passippus* — *cum Omaio;* nec sane multum diversi sunt Bern. A Leid. Voss. 1. Equidem a Freinsh. non discessi, nisi quod *et Dropides* addita coniunctione cum Modio, et pro Arriani *Pausippo* potius *Pasippum* scripsi, quod nomen et propius ad Curtianos libros accedit (habent etiam DFGI) et Graecae analogiae convenientius ideoque etiam apud Arrianum fortasse restituendum est. Praeterea initio huius periodi vocabulum *quoque*, quod vulgo post *Lacedaemonii* legitur, omisi, quoniam non invenitur in ullo libro ms. de iis quorum copia mihi suppetit. Deinde extr. periodo *hi quoque* consensum librorum mss. secutus scripsi pro eo quod vulgatur *ii quoque*. Sed mirabitur aliquis *fide non violata* in omnibus mss. Snakenburgii nostrisque praeter Flor E legi, quod quin contra sententiam scriptoris sit nemini potest dubium esse, nam Athenienses quidem publice societatem cum Alexandro fecerant et Lacedaemonii, quamvis auxilia illi adversus Persas non misissent, pacem tamen adhuc agere maluerant. Sed equidem saepe animadverti promptos esse librarios veteres, ut, ubi honos agi virtutis aut historiae videtur, addita negatione pueriliter rem in contrarium vertant. Cf. infra ad IV, 40, 17.

§. 16. *talentum duo milia et sexcenta*] Sic vulgatum *talentorum — sexaginta* fuit emendandum ex optimis codd. Flor. A et Leid. Voss. 1. Et *sexcenta* quidem legitur etiam in Flor. CG, *sescenta* in Bern. A, *trecenta* in Flor. BFI, *sexaginta* in DEH; genitivus deinde *talentorum*, nisi quod in Flor. BG *talenta* legitur, praeter Flor A ceteros Flor. et Bern. libros omnes insederat. Verum de ea re nemini potest dubium esse, quoniam de usu et aliorum scriptorum et Curtii constat, nam unus locus quo altera forma supererat in editis libris V, 20 emendatus est a me manuscriptorum consensu. Etiam *denarium* habes V, 6 et VII, 23. Quod sequitur *facti argenti* ex certissima emendatione Modii est, cum in libris mss. omnibus et editionibus antiquis sit *facile argenti*. De argento vel auro facto nota res post Gronovium de pecunia vetere; sed adscribam tamen Isidori ex Orig. 16, 7 locum a Cellario laudatum: *Tria sunt genera argenti et auri et aeris: signatum quod in nummis est, factum quod in vasis et signis, infectum quod in massis est.*

sunt. Ceterum tantae fortunae proditorem superi ultores celeriter debita poena persecuti sunt. Namque unus e consciis eius, credo, regis vicem etiam in illa sorte reveritus, interfecti proditoris caput ad Dareum tulit, opportunum solatium prodito: quippe et ultus inimicum erat, et nondum in omnium animis memoriam maiestatis suae exolevisse cernebat.

§. 17. *ceterum tant. fort. proditorem superi ultores*] Omnes codd. mss. *Ceterum (caet.) tantae fortunae proditorem sepulturae celeriter debita poena persecuti sunt*, nisi quod *pena persecuta est* in *Pal. 1*, Flor. DFI, *pena prosecuta est* in Flor. G legitur. Primus editor *dii* post *ceterum* adiecit, ut oratio subiecto ne careret, idque reliqui omnes retinuerunt, *sepulturae* contra Iunius et Modius sustulerunt. Nihil autem manifestius quam inesse in eo verbo subiectum periodi, et ipsam manum auctoris assecutum puto I. Fr. Gronovium qui Observ. II, 12 pro e quod est *sepulturae* emendavit *superi ultores*. Non indecet Curtium poëticus color. Ovid. Metam. XIV, 729 *Si tamen, o superi, mortalia facta videtis, este mei memores*, Iphis ludibrio habitus ait, et mox puellam superbam *iam deus ultor* persecutus est. Recepi igitur coniecturam Gronovianam reliquorum emendandi conatibus feliciorem. (Unam commemoro novissimam H. E. Fossii in progr. Altenburg. a. 1845 *dii — seri saepe ultores*, sed cur *dii* defendantur, nulla causa est.).

Finis libri III et initium IV sic indicatur in Flor. A *Q. Curti Rufi Historiarum liber tertius explicit. Incipit liber quartus feliciter;* in Bern. A *Q. Curti Rufi Historiarum Alexandri Magni Macedonis* III *exp̄. incipit* IIII *feliciter.*

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

(1) Dareus ad Issum victus, collectis copiarum reliquiis, Euphraten superat: Alexander Parmenione Coelesyriae praesidere iusso, Phoenicum urbes Aradum et Marathum in deditionem accipit. (2) Ad Marathum castra habenti afferuntur Darei litterae de reddendis captivis societateque jungenda superbe scriptae. Quibus respondet Alexander magnifice, crimen belli iniuste coepti in illum reiiciens. (3) Procedenti deinde Byblus et Sidon traduntur. Huius quidem urbis rex Strato dignitate se abdicare iubetur, qua nemo ipsis Sidoniis dignior videtur, quam Abdalonimus quidam, pauper sed e regio genere. (4) Is, diu cunctatus, regem tandem se renuntiari patitur, et ab ipso Alexandro modestiae et continentiae causa ornatur.

(5) Interea Amyntas transfuga cum Graecis mercenariis post pugnam Issicam Tripoli Cyprum, inde in Aegyptum transmiserat, eam terram sibi occupare festinans. Sed cum initio res prospere cecidissent, mox Memphim obsidens una cum suis a praefecto Darei caesus est. (6) Res in Asia minore a praetoribus Persicis infeliciter geritur, classis vero Persarum Andrum Siphnumque insulas tenet, suspensis Graecorum et Cretensium animis ad eventum maioris belli.

(7) Tyrii, opulentissimi Phoenicum, Alexandrum Herculi sacrificaturum, intra moenia recipere recusant, et obsidionem ferre malunt, (8) a continenti satis lato freto derempti et Carthaginiensium auxilio freti. (9) Belli apparatum expediunt, ominibus ancipitibus confirmantur, caduceatores etiam contra ius gentium interficiunt. (10) Urbs igitur oppugnari coepta est, (*extremo anno ante Chr. nat.* 333) moles, quae insulam continenti adiungeret, iacitur. (11) Id opus, quo longius a litore ducitur, eo difficilius fit. Adversus incessentes Tyrios coria obtenduntur munientibus, turres excitantur. Ipse rex, copiis divisis, agrestes Arabes in Libano (Antilibano) monte aggreditur. (12) Interea Tyrii, nave oneraria aridis sarmentis aliisque rebus igni spargendo idoneis referta et ad molem compulsa,

urres incendunt, opus paene totum diruunt. (13) Novam molem orditur Alexander, classem etiam Cypriorum et ipsorum Phoenicum, iam partibus accedentium, colligit, Tyrias naves intra portum compellit. (14) Iam e navibus moenia oppugnantur, iunctis quadriremibus et pontibus constratis, sed tempestas tamen Tyrios adiuvat. (15) Legati Carthaginiensium auxilii spem auferunt, nihilo tamen magis Tyrii desperant, deorum opem superstitiose paciscentes. (16) Nova etiam auxilia imminens necessitas docet. (17) Plures naves admovet Alexander, eodem augurio animi et Macedonum et Tyriorum, ut fere fit, confirmantur. (18) Pugna navalis committitur, cuius ad extremum victores fiunt Macedones, et (19) tertio die post, impetu undique facto, urbs expugnatur, victoribus exacerbatis saevientibus, (20) septimo mense postquam oppugnari coepta est (*medio anno a Chr. nat.* 332, *mense Attico Hecatombaeone*).

(21) Afferuntur alterae litterae a Dareo, quibus filiae matrimonium et Asiam cis Halyn Alexandro offert: respondet hic irridens muneris vilitatem. (22) Praefecti provinciarum instituuntur. Graeci ludis Isthmiis Alexandro coronam auream decernunt. (23. 24) Res interim in Asia minore et insulis gestae enarrantur. Chios occupatur, capiuntur Pharnabazus dux et Aristonicus tyrannus; Mitylene traditur. (25) Dareus bellum strenue parat, Besso Bactrianorum satrapa accersito, quarum rerum omnium ignarus Alexander (26) Gazam, urbem extremam Aegyptum versus, obsidet. Oppugnatio cum parum procederet, rex corona urbem capere statuit, sed ab Aristrando vate deterritus, exercitum recipit. (27) Oppidani erumpunt, pugna facta Alexander vulneratur. (28) Tandem urbem, subruto muro, Macedones intrant, Betis praefectus, egregia pugna edita, captus supplicio crudeli afficitur.

(29) Gaza profectus septimo die ad fines Aegypti pervenit. Et incolae et praesidia Persica eius fidei sese permittunt. Nilo vehens interiora regionis perlustrat, cumque Iovis Hammonis templum adire statuisset, (30) secundo amne ad Mareotin descendit et per solitudines molesto itinere (*media hieme anni incip.* 331 *a Chr.*) ad sedem dei penetrat. (31) Describitur ea regio et sacrum nemus. (32) Alexander Iovis filius ab oraculo appellatur, et divino honore coli se patitur. (33) In Aegyptum reversus Alexandriam condit, Memphim petit, res Aegypti componit.

(34) Inde adversus Dareum proficiscens (*incipiente vere anni* 331) ob Hectoris mortem dolore afficitur. Samaritas in Syria male parentes ulciscitur, (*Tyri*) de postulatis sociorum Graecorum statuit. (35) Dareus copias Babylone collectas instruit ac diligenter armat, (36) per Mesopotamiam profectus, Tigri superato, Arbelis impedimenta relinquit, locum trans Lycum amnem prope alterum amnem Bumadum (*vicumque Gaugamela*) proelio aptissimum legit, equestres copias hostium agmini obiicit. (37) Alexander cum Euphraten ponte traiecisset (*media aestate*), Mazaeo Persici equitatus praefecto fugato, ad Tigrim pervenit, (38) eumque feliciter audax nemine prohibente vadis superat. (39) Cum ibi stativa haberet, luna deficiens animos Macedonum terruit, quem metum cum vatum interpretatione ad tempus apta discussisset, (40) adversus Dareum duxit, Persarum equites refugientes et vicos incendentes persequens. (41) In illo itinere Darei captiva coniunx mortua est, lugente Alexandro. (42) Spadonum unus id factum Dareo nuntiavit, ac suspiciones regis de male habita uxore sustulit; (43) eaque opportunitate usus Dareus denuo legatos de pace misit, terras usque ad Euphraten pro dote filiae offerens. (44) Consuluit ea de re Alexander amicos, sed Parmenionis consilio spreto, bello opus esse respondit. (45) Ambo exercitus paulum progrediuntur et Dareus acie instructa hostes expectat. (46) Macedones subitus pavor invadit; collem opportunum occupant, sed a rege intra castra tenentur. (47) Alexander ipse dubius de eventu pugnae consilium adhibet, no-

cturnum impetum non probat, proelium decernit. (48) Ambo reges noctem inter suos solliciti agunt, Alexandrum cum diu secum deliberasset (49) somnus usque ad multam lucem oppressum tenuit. A Parmenione excitatus (50. 51) aciem diligentissime instruit, quae facienda, quae cavenda sint praecipit, (52) duces militesque interequitans alloquitur, vanum metum demit, se intueri iubet, necessitatem vincendi ostendit. (53. 54. 55) Etiam Dareus suorum animos excitat, quo reducti sint, et quam spem boni eventus habeant ostendens, obsecrans denique et obtestans. (56) Pugnae initium (*Calendis Octobr. a* 331) fit a curribus falcatis, equites Persici impedimenta Macedonum diripiunt, captivos liberant. (57) Curruum pugna improspera, sed apud impedimenta Persae rem felicius gerunt. (58) Ipse rex in hostes ubi Dareus constitit invehitur, acerrima pugna fit circa reges. (59) Omine quoque adiuti vincunt Macedones, Dareus falso occisus creditur et fuga suorum abripitur. Strenue insequitur Alexander, (60) sed desistit a persecutione, cum laevum cornu suum in pugna laborare audit. Sed iam ipse Parmenio Mazaeum repulerat. (61) Dareus Lycum amnem ponte transgressus Arbela pervenit, ceterorum Persarum praeceps ac miserabilis fuga describitur. (62) Alexander usque ad eundem pontem victos persecutus revertitur, et in ipso reditu gravi periculo defungitur. (63) De numero caesorum et virtute cum *ipsius* regis tum principum ducum exponitur.

1 Dareus tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis, quam dimicantis more, curru sublimis inierat proelium, per loca, quae prope immensis agminibus impleverat, iam inania et ingenti solitudine vasta, fugiebat. Pauci re- 2
gem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant, et deficientibus equis cursum eorum, quos rex subinde mutabat, aequare non poterant. Onchas dein pervenit, ubi 3
excepere eum Graecorum quattuor milia, quibuscum ad

Cap. 1, §. 1. *Dimicantis more*] Nulla codd. mss. est varietas. Recentior Bipontina editio anno 1801 excusa mendose *modo* de versu superiore retractum dedit, quod mea edit. minore propagatum esse doleo.

impleverat] Sic pro vulg. *compleverat* omnes libri Flor. Bern. uterque, Voss. 1, 2 et edit. Modiana; a quorum librorum numero Leidensem abesse miror, nisi forte error aut Snak. aut typothetae est. Ceterum nihil magnopere interest, sed tamen iusto fortius videtur *complere*.

§. 2. *quos rex subinde mutabat*] Vox *rex* deest in Pal. 1 Leid. Voss. 1, sed cum legatur in melioribus Flor. (abest tantum a CDEH) neque Modius alioquin brevitatis etiam cum detrimento elegantiae studiosus omiserit, id quod argumentum esse debet inventam esse vocem ab eo in Colon., servandam existimavi.

§. 3. *Onchas deinde pervenit*] Vulgo *Unchas*, sed quemadmodum et ego et Modius incertum nomen scripsimus, sic Leid., uterque Bern. et omnes Florentini habent. Mox pro vulg. *deinde* Flor. ACFHI et Bern. A *dein*, Bern. B *dē*: cf. IV, 62; VI, 2.

quibuscum ad Euphraten contendit] Locus corruptus: nam libri integerrimi habent *iam regius tum ad Euphrat.*, alii (Bern. B Flor. CH) *iam regnis tum* idemque relicto aliquot vocabulorum spatio ante haec verba Flor. DFI, denique Pal. 1 Voss. 2 Flor. E. *iam rex tum*, Flor. G *iam rex his cum*. Editiones inde a principe *cum quibus ad Euphraten contendit* habent, nisi quod Ald.

Euphraten contendit, id demum credens fore ipsius, quod celeritate praecipere potuisset.

4 At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat praeda, iussum eam ipsam et captivos diligenti asservare custodia, Syriae, quam Coelen vocant, praefecit. 5 Novum imperium Syri, nondum belli cladibus satis domiti, aspernabantur: sed celeriter subacti obedienter imperata 6 fecerunt. Aradus quoque insula deditur regi. Maritimam tum oram et pleraque longius etiam a mari recedentia rex eius insulae Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra movit ad urbem Marathon.

7 Ibi illi litterae a Dareo redduntur, quibus ut superbe 2 scriptis vehementer offensus est. Praecipue eum movit, quod Dareus sibi regis titulum, nec eundem Alexandri no- 8 mini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat, ut accepta pecunia, quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem sibi et coniugem liberosque restitueret: de regno 9 aequo, si vellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet alieni imperii finibus: socius amicusque esset. In ea se fidem et dare paratum et accipere.

10 Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit: *Rex Alexander Dareo. Cuius nomen sumpsisti, Dareus Grae-*

cum omittit. Haud dubie tamen *quibuscum* propius accedit ad veterem scripturam, quamobrem interim praetulimus. Possis etiam emendare *iam regi similis*, sed displicet oratio membratim discerpta. Eam offensionem non habet Fossii coniectura in program. supra laudato *iam regius exercitus* (quod ad *Graec.* IV *milia* referatur). *Tum*, modo spatium in codicibus nonnullis relictum loco competeret. *Euphraten*, quod sequitur, Bern. A Flor. AB; reliqui et vulgo editi *Euphratem*.

praecipere] Sic Snakenb. codices et Bern. A et Flor. omnes exceptis tantum EH qui cum edd. *praeripere* habent. Legitur *viam praecipere* IV, 60, IX, 23; IX, 40. Cur igitur *praeripere*, quod fere cum vi et iniuria aliorum fit?

§. 4. *Parmenionem praefecit*] Ad tempus nimirum, nam Menonem Cerdimnae filium Arrianus Coelesyriae satrapam institutum tradit II, 13, Andromachum a Parmenione relictum infra Curtius c. 22, et cum Andromachus a Samaritis crematus esset, Memnonem institutum c. 34. Est igitur hic Memnon Curtii idem qui Menon apud Arrianum.

Cap. 2, §. 8. *et coniugem*] Vulgo *ac*, sed *et* omnes codd. nostri.

§. 10. *cuius nomen sumpsisti Dareus*] Vulgo *Celes, cuius nomen sumpsisti*, sed vocabulum illud, de quo explicando frustra adhuc interpretes laborarunt, rectius omiseris auctoribus usus libris optimis Flor. ABG Leid. Voss. 1, nam quod ex his Flor. A et Leid. Voss. pro *Dario* sive *Dareo* legunt *Dareus* non

cos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Ionias, omni clade vastavit, cum magno deinde exercitu mare traiecit, illato Macedoniae et Graeciae bello. Rursus Xerxès gentis 11
eiusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit: qui navali proelio victus, Mardonium tamen reliquit in Graecia, ut absens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat ab his interfectum 12
esse, quos ingentis pecuniae spe sollicitaverant vestri? Impia enim bella suscipitis, et cum habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti. Repello igitur bellum, non in- 13
fero. Et Dii quoque pro meliore stant causa; magnam partem Asiae in dicionem redegi meam, te ipsum acie vici. Quem etsi nihil a me impetrare oportebat, utpote qui ne belli quidem in me iura servaveris, tamen si veneris supplex, et matrem et coniugem et liberos sine pretio recepturum esse promitto. Et 14
vincere et consulere victis scio. Quod si te committere nobis

movet me. (In reliquis libris hae tantum varietates sunt, ut pro eo quod est *Celes*, Flor. B *Cedes*, Flor. II Bern. B *Xerxes* habeant. In Bern. A rasura est, nec eius verbi quod fuit nisi ultima littera *s* extat.) Explica igitur: Ille, cuius tu nomen rex factus sumpsisti, primus Dareus, Hystaspis filius. Nam Orientalium more reges Persici potestatis potius quam hominis ipsius nomen habuerunt, sicut de Cyro inter omnes constat. Sic Ochus regnum adeptus μετωνομάσθη Artaxerxes, Diodoro teste XV, 93.

§. 11. *rursus Xerxes*] Vulgo additur *rex Xerxes*, sed eam honoris significationem libri veteres quos Snak. contulit et Bern. et Florentini praeter unum G omnes, recte, ut opinor, omittunt.

§. 12. *ab his interfectum esse*] *His* omnes codd., editi tamen *iis*.

licemini hostium capita] Sic edit. Mod. et e nostris Bern. A et unus tantum Flor. A, idem quem Snak. cum Leid. et Voss. 1 laudavit, sed rectius, opinor, quam vulgata *licitamini*. Non opus enim verbo frequentativo, quod iustam potius auctionem significaret. Item sic V, 32 *ad nutum licentium circumferri*.

§. 13. *et dii quoque pro meliore stant causa*] Quod vulgo editur *diis — stantibus* in nullo codice ms. inveni, contra Bernenses et Flor. praeter G omnes *di* vel *dii*, ceteri sine *et*, sed Flor. A B et Bern. A addita coniunctione. Praeterea ne *stantibus* quidem in ullo codice, sed in Leid. Bern. A et Flor. A B *stantes*, in Pal. 1 Voss. 1. 2 Bern. B Flor. C DEFHI *stant*, in G *stante*. Itaque *dii — stant* et fidei et sententiae causa recte edidisse mihi videor.

in dicionem redegi] Bern. A et Flor. A *dicionem*, Flor. B *dictionem*. Ego scripturam eam probavi, quam constanter antiquissimi codices Vergilii Mediceus et Vaticanus habent per *c* litteram. Itidem sese res habet in *condicione*, vide Niebuhrii orthogr. Vatic. ad Cic. de republ. eamque scribendi rationem in Gaii institutionum codice rescripto esse usitatam editores testantur.

recepturum esse promitto] Vulgo post Aldum additur *te: recepturum te esse;* sed ignorant Bern. A Flor. A B C et Leid. Voss., nec habet G nisi ex correctione. Neque enim raro hic scriptor, ubi personae iam facta mentio, pronomen omittit, sicut mox *dabimus fidem impune venturum*, scil. te.

§. 14. *committere nobis*] Hoc verbo-

times, dabimus fidem, impune venturum. De cetero, cum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere. Ad hanc perferendam Thersippus est missus.

Ipse in Phoenicen descendit, et oppidum Byblon tra- 3
ditum recepit. Inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaque conditorum inclitam. Regnabat in ea Strato, Darei opibus adiutus, sed quia deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus, Hephaestionique permissum, ut, quem eo fastigio e Sidoniis dignissimum arbitraretur, constitueret regem. Erant Hephaestionis hospites clari inter suos iuvenes: qui, facta ipsis potestate regnandi, negaverunt, quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephaestion magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent, *Vos quidem macti virtute*, inquit, *estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset regnum fastidire, quam accipere. Ceterum date aliquem regiae stirpis, qui*

rum ordine omnes codd. nostri et Voss. 1. 2 (miror non commemorari Leid.) et edit. Modiana. Vulg. *nobis committere.*

§. 15. *Thers. est missus.* Vulgo *Thers. missus*, sed interiicitur *est* in Leid. Flor. B et fuisse etiam videtur in Bern. A ubi nunc rasura est et in margine adiectum *vel est.* In Flor. A *Thers. t est* ^ *et missus.* Apparet olim dissensum fuisse utrum addendum an omittendum esset vocabulum: ac fortasse rectius omittitur.

Cap. 3, §. 15. *Ipse in Phoenicen descendit]* Omnes mss. in omittenda voce *deinde*, quae vulgo post *Phoenicen* additur, consentiunt. Tum mirum est, verbum *ipse* non inventum esse in Bernensibus nec in Florentinis nisi in uno G neque in Snakenburgianis praeter Leidensem: satis tamen semet ipsum videtur defendere. Denique *Phoenicen* accusativum recte per *n* litteram scribunt Bern. A et Flor. A de meis, reliqui et vulgo editi *Phoenicem. Mox Byblon* primus dedit Aldus, princeps et mss. omnes *Biblo* ant *Byblo.*

§. 16. *quem eo fast. e Sidoniis]* Mss. omnes *fastigio Sidonis dign. arbitraretur: eo* abest a Flor. B D F I et Bern. A supra lineam a manu recentiore adiectum legitur. Editi adhuc fere *quem eo fastigio Sidones dign. arbitrarentur* habent, contra consilium scriptoris, quem apparet regem ex ipsis Sidoniis eligendum voluisse sicut tradit etiam Diodorus lib. XVII, 47 (quamquam ad Tyrum male referens) et contra sermonis usum, quoniam incolae urbis non *Sidones*, sed *Sidonii* apellantur. Itaque I. F. Gronovius Obss. II, 8 *e Sidoniis* emendavit, atque sic Snakenb. edidit, recte, opinor, et nunc sequor ipse, cum in priore editione librorum mss. lectionem simpliciter restituissem, *fastigium Sidonis* pro regia in illa civitate potestate dici posse ratus. Verum pronomen tum delendum esset, quod etiam illi videntur sensisse qui sustulerunt *eo. Sidonis* autem pro *Sidoniis* exaratum esse non mirabere, cf. cap. 5, 30 *Aegyptii.* Paulo post *Hephaestionis* pro vulg. *Hephaestioni* consensum optimorum codd. secutus edendum curavi; e nostris enim *Ephestioni* (sic scribunt) non habent nisi Flor. DFI. Ceterum in nominativo eius nominis paulo post non *o* sed *on* exhibent uterque Bern. et omnes Flor., qua eadem forma Curtius utitur VI, 31, cum *Hephaestio* sit VII, 30. Vulg. *Hephaestio* primus dedit Ald. editor.

meminerit, a vobis acceptum habere se regnum. Atque illi, 19
cum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, statuunt, neminem esse potiorem quam Abdalonymum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiae annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. 20

4 Subito deinde de quibus ante dictum est, cum regiae 21
vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tum rege eo salutato, alter ex his: *Habitus,* inquit, *hic vestis, quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuvie aeternisque sordibus squalidum: cape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam perfer. Et cum in regali solio residebis, vitae necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris huius status, in quo accipis* 22

§. 19. *atque illi*] Sic edit. Mod. et omnes codd. nostri et Snakenburgii, prorsus recte, cum ad finem tendat narratio: vulgo *at.*

adulantes] Codd. quidem omnes *adulantibus* mendose, quod ab eo primum scriptum videtur qui ad praegressum *singulis* participium referret. Parum probabilis opinio Acidalii videtur, *singulis amicos adulantibus* corrigendum existimantis, nam illa ipsa vox *singulis* non habet quo recte referatur nisi genitivum *amicorum Alexandri* addideris. Recte omnino Aldinus editor *adulantes* restituit.

quam Abdalonymum] Edebant vulgo *Abdolominum.* Sed *Abdalonimum* scribunt codices Leid. Voss. 1, Bern. uterque et Flor ABDEFHI, sicut dudum est apud Iustinum XI, 10; cui scripturae nihil nisi Graeca littera y addenda est. Hinc etiam Diodori *Βαλλώννμος* XVII, 46 emendandus est.

Cap. 4, §. 22. *tum rege cet.*] *Tunc* quod in editis praeter Mod. legitur, in uno tantum Flor. B est, neque aptum ad narrationem.

habitus, inquit, hic vestis, quem] Sic codices mss. omnes et edit. princeps, a qua Merulae non discrepat nisi quod mendose *hic* omittit. Sed Aldus primus genitivum *vestis* omisit eumque reliqui sine ulla dubitatione secuti sunt, Modius quidem sic ut etiam *hic* omitteret. Putant enim nominativum esse *vestis* et scholion eius quod est *habitus.* Verum ut supra *insignia regiae vestis* dicuntur, sic h. l. *habitus vestis* dicitur, quasi cultus regiae vestis: *habitus* enim proprie forma externa est, atque ita III, 6, 3, *in eo vestis habitu* legitur, unde paulatim eo devenit ut non tam vestem, quam vestitum significaret. Bern. B et Flor. G *quam* habent.

istam continentiam perfer] Sic Voss. 1 et omnes Flor. pro vulg. *profer*, rectissime; est enim pro transfer, immutatam affer. Etiam edit. princeps *pfer* quod est *perfer*, non *profer* sicut Ald. expressis litteris scripsit. Abest tamen ab illo librorum mss. consensu Leid. et Bern. A, ex quibus nihil a vulg. scriptura diversum notatum est.

huius status] Abest *status* a codd. Bern. A Flor. ABC, in margine codicis G aliena manu adscriptum, nec in iis

pium, immo hercule, propter quem. Somnio similis res bdalonymo videbatur: interdum, satisne sani essent, qui m proterve sibi illuderent, percontabatur. Sed ut cunanti squalor ablutus est, et iniecta vestis purpura auroe distincta, et fides a iurantibus facta, serio iam rex, dem comitantibus in regiam pervenit.

Fama deinde, ut solet, strenue tota urbe discurrit: iorum studium, aliorum indignatio eminebat: ditissimus nisque humilitatem inopiamque eius apud amicos Alexanri criminabatur. Admitti eum rex protinus iussit, diuque ntemplatus, *corporis*, inquit, *habitus famae generis non regnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris?* Tum e, *utinam*, inquit, *eodem animo regnum pati possim! hae mus suffecere desiderio meo: nihil habenti nihil defuit.* agnae indolis specimen ex hoc sermone Abdalonymi ce-t. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attrii ei iussit, sed pleraque etiam ex Persica praeda, regiom quoque urbi appositam dicioni eius adiecit.

Interea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro 5 ansfugisse diximus, cum quattuor milibus Graecorum, sum ex acie persecutis, fuga Tripolin pervenit. Inde in

entum est quos Snakenb. contulit. rere tamen non possumus eiusmodi abulo, nec aliud aptius aut Curtio itatius (vid. X, 10) invenias. Ad hoc iquam certe a ceteris Flor. et Bern B uctoritatem habet, quam etiam Aldinus litor, *qui primus* recepit, secutus vitur.

§. 23. *somnio similis*] *Somno* Bern. erque et Flor. ABCEG; vide Drak. ad vium VIII, 6, §. 11. Sed vulgatam tueor, m etsi *somno* et *in somno* aliquid *videre* quens est, ubi expectares in somnio, i tamen non videtur recte dici *somno ilis*. Mox pro *serio* omnes codd. noi et Snak. praeter Leid. ut videtur o, mendose, idque Aldus correxit.

§. 24. *fama deinde*] Addidi *deinde* pter codd. consensum et meorum et akenburgii. Mox *tota urbe discurrit* t Modium editur, et legitur in uno r. A. Alii libri et mei et Snakenrgii *totas urbes* vel mendosius etiam ern. B Flor. DEFHI Voss. 2) *tantas urbes* exhibent. Sed *discurrere* non dicitur nisi intransitive. Denique quod Snakenburgius in Leid. Voss. 1 se invenisse scribit praeterque eos ex Bong. 1. 2 et Flor. (Heinsii) rarior forma notatur *divitissimus*, hoc ego e nullo Flor. enotatum inveni; unus de nostris Bern. A *diutissimus* habet. Eadem res libro X, c. 8 accidit, ut, cum nescirem quibus fidem addicerem, vulgatam *ditissimus* retinere coactus fuerim. Modius hoc quidem loco *ditissimus*, altero *divitissimarum gentium* edidit.

Cap. 5, §. 27. *ipsum — persecutis*] Leid. Voss. 1 et omnes codd. nostri *ipsius*, Snakenburgiani et Bern. uterque, et Flor. ACEH etiam *persecutos*, mendose ut opinor.

Tripolin dedi pro vulg. *Tripolim* ex Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A et edit. Mod. Nam in hac terminatione, quamvis Curtius Graecam formam in universum praetulisse videatur, singulis tamen locis codices mss. inspiciendi sunt, ne

naves militibus impositis Cyprum transmisit, et cum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur velut certo iure possessum, Aegyptum petere decrevit: utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens. Hortatusque milites ad spem tantae rei, docet, Satacem praetorem Aegypti cecidisse in acie, Persarum praesidium et sine duce esse, et invalidum, Aegyptios, semper praetoribus eorum infestos, pro sociis ipsos, non pro hostibus aestimaturos. Omnia experiri necessitas cogebat: quippe cum primas spes fortuna destituit, futura praesentibus videntur esse potiora. Igitur conclamant, duceret quo videretur. Atque ille utendum animis dum spe calerent ratus, ad Pelusium ostium penetrat, simulans a Dareo se esse praemissum. Potitus ergo Pelusii, Memphim copias promovit: ad cuius famam Aegyptii, vana gens et

Graecam ubique invehens, sicut Snakenburg. fecit, vim afferas scriptori.

in illo statu] Abest *in* a deterioribus omnibus, Bern. B Flor. CDEFHI Voss. 2 Mox *utique* mendose pro *utrique* omnes codd. nostri et Snak. praeter Voss. 1 et Flor. D, sed in hoc et in Voss. 2 Pal. 1 Flor. EFGHI Bern. B etiam *hostis erat*.

§. 28. *Satacem* omnes libri nisi quod deteriores *Stacem*. Vulgo Arrianum secuti nunc edunt *Sabacem*. Vide supra III, 27.

praetoribus eorum infestos] *Infensos* editi libri inde a principe editione, sicut Aegyptii infra c. 29 *olim Persarum opibus infensi* dicuntur: sed longe praestat manuscriptos sequi, qui ad unum omnes *infestos* exhibent; significat enim in armis esse aut ad arma sumenda paratos. De permutatione vocabulorum vide Drakenb. ad Liv. II. 46 extr.

§. 29. *necessitas cogebat*] Modius *nec. subigebat* lectoribus illudens Sallustiana constructione, cuius ne vestigium quidem ullum in libris mss. est.

ad Pelusium ostium] Adhuc editum fuit *ad Pelusii ostium*, sed *Nili* quidem ostia novimus, singula autem de nominibus urbium adiective appellantur, Pelusiacum, Taniticum, Sebennyticum. *Pelusius* vero aeque et Graece et Latine est ac *Pelusiacus*. Codices quidem alias integriores Flor. AB Bern. A Voss. 1 *Pelusii*, sed reliqui omnes *Pelusium ostium* s. *hostium* et optimus Leid. *Pelusum*.

§. 30. *Memphim* h. l. Leid. et uterque Bern. et Flor. omnes praeter CG, etiam editiones princ. et Ald., nec Voss. 1 *Memphin* sed *Memphi* quod ad terminationem *im* potius pertinet. Sed *potitur*, quod est in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AD, recipere non potui, nisi simul ex Flor. EHI Bern. B *et* ante *Memphim* adiicerem, quod abest a melioribus codicibus.

Aegyptii vana gens — — ex suis quique vicis] Codd. quidem nostri praeter Flor. GH *Aegypti*, sed, opinor, quod geminata vocalis olim non solita fuit exprimi. Deinde *quique* scripsi pro vulg. *quisque*, quod in uno tantum de nostris Flor. C et de Snakenb. in Voss. 2 legitur, nec ad rem aptum est, cum singulae civitates, non singuli homines, intelligantur. Mox editi *ad hoc ipsum concurrunt*, *ad delenda praesidia*, sed mss. ignorant prius illud *ad:* nostri certe omnes, praeter Flor. G, in quo est *ad hunc ipsum:* Snak. in Leid. deesse *ad*, in Voss. 2 *quod hoc ipsum* legi notavit, de Voss. 1 silet. Mihi neque adiicere *ad* tutum videtur, multoque minus totum *hoc ipsum* delerim, veritus ne quid antiquae proprietatis tollam. *Hoc ipsum* ad totum membrum *ad delenda praesidia Persarum concurrunt* ita pertinere

iovandis quam gerendis aptior rebus, ex suis quique vicis irbibusque, hoc ipsum, concurrunt ad delenda praesidia Persarum. Qui territi, tamen spem retinendi Aegyptum non omiserunt. Sed eos Amyntas, proelio superatos, in urbem compellit, castrisque positis victores ad populandos agros, velut in medio positis hostium cunctis, agebantur. Itaque Mazaces, quamquam infelici proelio suorum animos territos esse cognoverat, tamen palantes et victoriae fiducia incautos ostentans, perpulit ne dubitarent ex urbe erumpere et res amissas recuperare. Id consilium non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit: ad unum omnes cum ipso duce occisi sunt. Has poenas Amyntas utrique regi dedit, nihilo magis ei ad quem transfugerat fidus, quam illi quem deseruerat.

Darei praetores, qui proelio apud Isson superfuerant, 6
cum omni manu, quae fugientes secuta erat, assumpta etiam Cappadocum et Paphlagonum iuventute, Lydiam recuperare temptabant. Antigonus, praetor Alexandri, Lydiae praeerat: qui, quamquam plerosque militum ex prae-

videtur, ut significet *hoc ipsum* fuisse quod Amyntas fore praedixerat. Similiter Graeci *τοῦτ' ἐκεῖνο* adiiciunt extra ordinem.

spem retinendi Aeg. non omiserunt rectissime tuentur codd. nostri et Snak. omnes, ut mirari subeat unde editores multo deteriorem lectionem *obtinendi — amiserunt* duxerint, quae superscripta est in Flor. E.

§. 31. *velut in medio positis*] Locus corruptus, quem editores veteres quodam quasi emplastro ita texerunt ut ederent *victores ad populandos agros eduxit ac velut in medio positis omnibus hostium cuncta agebantur*. Sed libri mss. (praeter Flor. E in cuius margine leguntur) ista verba *eduxit ac* prorsus ignorant, et pro eo quod factum est *omnibus* Voss. 1 Bern. A Flor. A *dis*, Flor. BC *diis*, Leid. *odis*, ceteri Flor. et Bern. B. *cunctis* habent. Flor. G liberius correxit *velut in medio positi hostium cuncta agebant*. Alia recentiorum librorum somnia omitto. Sed is qui editionem principem curavit, addito illo suo *eduxit ac* quae sequuntur *velut in medio positis dis hostium* intacta reliquit, donec Aldus pro *dis hostium* correxit omnibus hostium. Equidem olim de coniectura dedi *victores ad populandos agros, velut in medio positos, hostium cuncti agebantur*, sed nunc ad Modianam scripturam item coniectura natam devenio *velut in medio positis hostium cunctis. Cuncta hostium* omnia hostium bona videntur esse.

§. 32. *recuperare*] Leid. Voss 1 Bern. A Flor. A *reciperare*, sicut c. 6, §. 34 *reciperare* in tribus illis sed nullo Flor., §. 36 *reciperandum* in illis et Flor. AB: verum IV, 58, 22 *reciperare* in uno tantum Flor. B est, et III, 16, 16, IV, 56, 7 omnes *recuperavit* habent. Utraque igitur scribendi ratio testes habet idoneos, veruntamen cum res non sit ex eo genere ut Drakenborchium imitari velim ad Liv. VII, 18 in singulis locis se codd. sequi profitentem, *recuperare* praetuli.

sidiis ad regem dimiserat, tamen barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit: tribus proeliis alia atque alia regione commissis, Persae funduntur. Eodem tempore classis Macedonum ex Graecia accita, Aristomenen, qui ad Hellesponti oram recuperandam a Dareo erat missus, captis eius aut mersis navibus superat. A Milesiis deinde Pharnabazus praefectus Persicae classis pecunia exacta, et praesidio in urbem Chium introducto, centum navibus Andrum, et inde Siphnum petiit. Has quoque insulas praesidiis occupat, pecunia multat.

Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Europae Asiaeque regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur, Graeciae quoque et Cretae arma commoverat. Agis, Lacedaemoniorum rex, octo milibus Graecorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniae praefecto moliebatur. Cretenses has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum praesidiis occupabantur. Sed leviora inter illos fuere discrimina, unum certamen, ex quo cetera pendebant, intuente fortuna.

7 Iam tota Syria, iam Phoenice quoque, excepta Tyro, Macedonum erat, habebatque rex castra in continenti, a

Cap. 6, §. 36. *Aristomenen*] Graecam terminationem, quam Snak. expressit more suo, Bern. A et Flor. ABG tuentur; ceteri vulg. *Aristomenem*.

aut mersis navibus] Codd. *eversis*, item primae editiones, donec Iunius *demersis* dedit, quod Modius servavit. Freinshemius recte *mersis*, quod codicum scripturae proximum est, quamquam ad dicendi rationem usumque scriptoris nostri etiam *demersis* probabile.

§. 37. *in urbem Chium*] Vide h. l. corruptionis gradus in libris mss. Integriores Leid. Voss. 1, Bern. A Flor. A *hium*, Flor. B *humi*, inde profecti correctores *humili*, quod est in Flor. DEFGHI, sapientius etiam Bern. B *exiguo vel humili*. Verum nomen iam edit. princeps habet et Flor. C et marg. Flor. EF.

has quoque] Plerique codd. et editiones antiquae *is*, nonnulli Flor. DEFI et Voss. 1 *his*, Bern. B *hic*, Flor. G *has*, nullus *eas* quod Freinsh. dedit. Equidem cum Modio *has* probavi.

§. 40. *nunc Spartanorum*] Mirum quam alte haeserit vulgare mendum: Voss. 1 Bern. AB Flor. ABCEH *parianorum*, Leid. *Arrianorum*.

Cap. 7, §. 1. *Macedonum erat*] Singularem numerum et disiunctio nominum commendat et postulat codicum nostrorum consensus. a quo non abest de Snakenburgianis nisi Voss. 2. Editi tamen praeter Mod. *erant*.

in continenti a quo cet.] De genere masculino huius vocis (nam neutrius non esse cap. 9 accusativus *continentem* demonstrat) cf. Schneideri Gr. lat. p. 124. Heinsius *a qua* legendum censuit, sed nulla h. l. varietas est codicum mss. Et apud Florum II, 2, 2 meliores libri *ad continentem suum* tuentur.

quo urbem angustum fretum dirimit. Tyros, et magnitudine et claritate ante omnes urbes Syriae Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream donum legati afferebant, commeatusque large et hospitaliter ex oppido advexerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi iussit, benigneque legatos allocutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare velle se dixit: Macedonum reges credere, ab illo deo ipsos genus ducere, se vero ut id faceret etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem, in ea sede, quam Palaetyron ipsi vocent: ibi regem deo sacrum rite facturum. Non tenuit iram, cuius alioqui potens non erat. Itaque, *vos quidem*, inquit, *fiducia loci, quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis: sed brevi ostendam in continenti vos esse. Proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum.* Cum hoc responso dimissos monere [amici] coepe-

§. 2. *Tyros et magnitudine et claritate*] Edidi quod in plerisque omnibus codd. et meis et olim collatis fuit, cum vulgo legatur *Tyrus et clar. et magnitudine.* Nam Graecam nominum formam Curtius amat, quamquam in accusativo casu magis quam in nominativo; sic etiam *Tyros* IV, 20, 19 est, *Aegyptos* apud Vergil. Georg. IV, 210.

donum legati omnes codd. mss., editi *legati donum.* Post paulo *advexerant* Bern. A Flor. ABCD et Snakenburgii tres, quod aptius recte Modius iudicavit, quam quod vulgo legebatur in editis *adduxerant.* Sic VI, 6 *commeatibus undique advectis.*

§. 3. *Macedonum reges*] Nota res est, primum Macedonum regem fuisse Caranum, eumque genus ducere ab Hercule: vid. Diod. Sic. frg. libri VII, tom. IV edit. Bip. p. 18. Vicesimum a Carano fuisse Perseum ultimum Macedoniae regem Liv. XLV, 9 tradit. Sed en tibi infideles libri Pal. 1, Voss. 2 Bern. B Flor. DEFHI, dum pro regibus Macedoniae ipsos *Macedones* subiiciunt, totam gentem nobilitant. Tum Modius edidit *ab illo deo ipso* male, nec invenitur in ullo libro nostro nisi in Flor. G.

§. 4. *in ea sede, quam — vocent*] Ablativos *ea sede* nostri et Snak. codd. ad unum omnes tuentur, ut mirum sit soloecum istud *in eam sedem* adhuc (praeter Modian.) in edd. obtinuisse. Item quod sequitur *vocent* et usus sermonis et fides librorum (Leid. Voss. 1, 2 Bern. A Flor. ABCEFI) postulat. Vulgo (etiam apud Modium) *vocant.*

Palaetyron hanc Strabo l. XVI triginta stadia a Tyro abesse in continenti meridiem versus tradit.

§. 5. *non tenuit iram, cuius alioqui* cet.] Omisimus quod nomen vulgo additur *iram Alexander*, quod et a plerisque et optimis libris (Snakenburgianis tribus et Bern. A et Flor. praeter CD et marg. E omnibus) abest et facile subintelligi potest. Statim *alioqui* sine littera *n* in paucioribus quidem sed fidelioribus libris (Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1) scribitur, eamque auctoritatis rationem sequor, quoniam certum quoddam discrimen aut sensus aut collocationis non inveni.

§. 6. *dimissos monere (amici) coeperunt*] Uncis inclusi quod in Bern. et Flor. codd. non legitur nisi superscriptum in E, nec in iis quos Snak. con-

runt, ut regem, quem Syria, quem Phoenice recepisset, ipsi quoque urbem intrare paterentur. At illi loco satis 7
fisi, obsidionem ferre decreverant.

8 Namque urbem a continenti quattuor stadiorum fretum dividit: Africo maxime obiectum, crebros ex alto fluctus in litus evolvit. Nec accipiendo operi, quo Macedones 8
continenti insulam iungere parabant, quicquam magis quam ille ventus obstabat. Quippe vix leni et tranquillo mari moles agi possunt, Africus vero prima quaeque congesta pulsu illisa mari subruit: nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae et per nexus operum manantes, et, ubi acrior flatus existit, summi operis fastigio superfusae. Praeter hanc difficultatem haud minor alia erat: mu- 9
ros turresque urbis praealtum mare ambiebat: non tormenta nisi e navibus procul excussa mitti, non scalae

tulit libris inventum est, ut vix talis libri qualis est Pal. 2 auctoritas supersit qua vocabulum defendatur. Nec tamen ineptum existimandum est. *Dimissos* unice verum est, sed *demissos* legitur in Bern. A Flor. AB Leid. et *demissis* in Voss. 1 mendose.

§. 7. *decreverant* in plerisque codd. meis et Snak. legitur, habetque eam significationem ut certi iam destinatique Tyrii, quippe veteres Graecae gentis aemuli, ad Alexandrum profecti videantur. Vulg. *decreverunt* non defenditur nisi Voss. 2, de quo nihil notatum est.

Cap. 8, §. 7. *evolvit*] Quod vulgo legitur *evolvens* non est in nostris et Snak. codicibus nisi in Flor. E ex emendatione, neque ea opus est si post *dividit* maiore distinctione interpungatur. Sed displicet tamen quod fretum evolvere fluctus dicitur, quod ventus efficit. Itaque fortasse *evolventi* corrigendum.

§. 8. *pulsu illisa mari subruit*] Sic codd. omnes praeter Pal. 1 in quo *maris* esse dicitur. Hoc idem emendaverat Modius. Mihi autem non videtur necesse quicquam mutare: *pulsus* certe Africo tribuitur subruenti, et subruit ventus dum extantia quaeque icta in mare deiicit et praecipitat; *illisa* autem non modo sunt quae in aliud iniiciuntur, sed etiam icta, sicut Forcellinus in lex. e Plinii nat. hist. XXXVII, 10 §. 154 laudat *Chalcophonos illisa aeris tinnitum reddit, tragoedis, ut suadent, gestanda.*

et per nexum operum manantes, et ubi acrior flatus existit summi op. fast. superfusae]. Codd. meliores et edit. princ. *et per enixus*, neque erat cur Aldus et insequentes editores prius illud *et*, cui respondet alterum, damnarent. *Nexus* in codd. Flor. DFGI extat et a Freinshemio recte contra Modium, revocantem quod intelligi non possit *enixus*, defensum est: sunt enim h. l. *nexus* quae cap. 11 extr. *compages operis* vocantur. Quod sequitur *existit* pro vulg. *extitit* Modio praeeunte edidi plurimorum codd. fidem secutus. *Summi* autem libri omnes servant, pro quo Acidalius *summo* voluit, sicut *summum fastigium* legitur V, 5 et VII, 12, sed quod est summum fastigium, idem summi operis fastigium est, et parce dicenti utrumque abundat.

§. 9. *non tormenta — mitti*] Vulgo *emitti* adversantibus libris mss. nostris et Snak. omnibus. Ceterum *tormentum* etiam de saxis aliisque rebus machina excussis dici ex Caesaris libris lexica docent: ex. gr. confer bell. civ. III, 51 *tantum aberat a nostro castello ut telum tormentumve missum adigi non posset.*

moenibus applicari poterant: praeceps in salum murus pedestre interceperat iter: naves nec habebat rex, et, si admovisset, pendentes et instabiles missilibus arceri poterant.

Inter quae parva dictu res Tyriorum fiduciam accendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum sacrum anniversarium more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Poeni coeperunt, ut obsidionem forti animo paterentur; brevi Carthagine auxilia ventura. Namque ea tempestate magna ex parte Punicis classibus maria obsidebantur.

Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta 9
disponunt, arma iunioribus dividunt, opifices, quorum copia urbs abundabat, in officinas distribuunt. Omnia belli apparatu strepunt: ferreae quoque manus, (Harpagonas vocant,) quas operibus hostium iniicerent, corvique et alia tuendis urbibus excogitata praeparabantur. Sed cum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impositum esset, admotisque follibus ignem flatu accenderent, sanguinis rivi sub ipsis flammis extitisse dicuntur: idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque cum forte panem quidam militum frangerent, manantis sanguinis guttas notaverunt. Territoque rege, Aristander, peritissimus vatum, si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum, ait: contra, cum ab interiore parte

§. 10 *sacrum anniversarium*] Hoc iusto verborum ordine Voss. 1 Bern. A Flor. ABDFGI.

Cap. 9, §. 12. *opifices — distribuunt*] Vulgo *opificesque*, quo pigro additamento ad unum omnes codd. carent nisi forte Pal. excipias.

harpagonas) *Arpagonas* omnes codd. nostri: agnosces recentiorum Graecorum vitium omittendi spiritus asperi; is tamen superscribitur in Flor. H sic ⊢.

iniicerent] Voss. 1, Bern. A Flor. omnes praeter GH *inicerent*, Bern. B *inincerent*.

§. 14 *apud Macedonas*] Latinam nominis formam *Macedones* e nostris libris soli Flor. CH Bern. B praebent, cf. infra ad c. 23, 15. Paulo post *frangerent* pro vulg. *frangeret* omnibus libris nostris et Snakenburgii iubentibus edidi; respondet certe melius sequenti *notaverunt*.

Macedonibus id triste futurum ait] Sic omisso verbo *respondit*, quod vulgo auguris verbis praemittitur, sicut omnium librorum mss. fides postulat, edidi. Aldina lectio et *respondit* et *ait* habet: oblitus videtur esse corrector alterutrum tollere. Infaustum sane eleganti scriptori accidit, ut primi editores aut in pessimos codices incurrerent aut quidvis sibi licere opinati sua commenta pro illius verbis venditarent. Sed mox *manaverit* vera emendatio principis editoris videtur, quam insequentes omnes retinuerunt: mss. quidem *manaverat*. Denique pro plurali numero *destinassent* plurimi co-

manaverit, urbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere. Alexander cum et classem procul haberet, et 15
longam obsidionem magno sibi ad cetera impedimento videret fore, caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit: quos Tyrii contra ius gentium occisos praecipitaverunt in altum. Atque ille suorum tam indigna morte commotus, urbem obsidere statuit.

Sed ante iacienda moles erat, quae continenti urbem 16
committeret. Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope posset impleri: quae saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri? exhauriendas esse regiones, ut *illud* spatium exaggeraretur: exaestuare semper fretum, quoque artius volutetur inter insulam et continentem, hoc acrius furere. At ille haudquaquam rudis pertractandi militares 17

dices, sed deteriores (Flor. omnes praeter AB, Bern. B Voss. 2), singularem *destinasset* habent, quod ad Alexandrum non male referri posset, ni meliorum auctoritas praevaleret. Ceterum Aristandrum Telmissensem fuisse ex Lycia Plutarchus in Alex. 2 tradit, quod oppidum haruspicinae sedem vetus Graecia novit, testibus Herodoto I, 78 et Arriano II, 3. Comitatus est regem Aristander usque ad Iaxartem, in cuius fluminis traiectu ultimum nominatur VII, 31. Lib. IX, 18 Demophon illius loco circa regem est.

§. 15. *tam indigna morte*] *Nece* per editiones propagatur, sed nostrorum et Snak. librorum in uno Flor. F invenitur. Sed pro *tam* in plerisque codd. *iam* legitur, quod tuto recipiat cui placet. Nobis mendum videbatur recte a Iunio sublatum, a Modio vero restitutum. Et legitur *tam* in Bern. A et (sicut e silentio Snakenburgii coniicio) in Voss. 1.

Cap. 10, §. 16. *continenti urbem*] Hoc ordine verborum omnes codd. nostri itemque a Snak. collati cum edit. Modiana.

cernentium] Sic quidem participium cohaeret cum praegresso *militum*, verum lectio incerta est, nam Flor. AB Bern. A Leid. Voss. 1 fragm. Darmstad. non *cernentium* sed *cernentibus* habent. Quaeritur autem num ablativus absolutus poni possit, ubi idem subiectum alio casu praecesserit, et si potest, num etiam participium omisso ablativo subiecti solum sic poni possit. Quod cum non existimem fieri posse, veteris mendi correctionem ex altera codd. mss. classe recipio. Modius quidem in membranis suis se dicit invenisse *animis militum desp. incessit* et ipse edidit, sicut III, 2 et VII, 40 *cupido incessit animo vulgo* legitur, *cernentibus* autem prorsus sustulit contra Curtii rationem scribendi et librariorum, opinor, sententiam, qui *animis* videntur eam ob causam correxisse ut coiret cum *cernentibus*.

ut illud spatium exaggeraretur i. e. aggere expleretur. Vulgo *aggeraretur*: sed codd. nostrorum et Snak. consensus pro nobis stat nec minus usus loquendi, cf. VI, 17. *Aggerare* enim poëtarum est.

exaestuare semper fretum] Addunt vulgo *et*. Sed ortum hoc ex praepositione verbi compositi, nam aliquot codd. cum edit. pr. *et aestuare (estuare)* Flor. CEH Bern. B, plerique vero sicut edidimus, *et exaestuare* (quod Aldus invexit) unus Flor. G.

§. 17. *pertractandi militares animos*] *Pertractandi* libri mss., editi *tractandi*. *Pertractare animos hominum* non raro Cicero dixit, quamquam idem in orat. 28 eloquentiae esse ait *tractare animos*.

animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat, dextram porrigentis: illo duce, illo aperiente in urbem intrare se visum. Inter haec caduceatores interfectos, gentium iura violata referebat: unam esse urbem, 3 quae cursum victoris morari ausa esset. Ducibus deinde negotium datur, ut suos quisque castiget: satisque omnibus stimulatis, opus orsus est. Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere praebente: materies ex Libano 9 monte ratibus et turribus faciendis advehebatur. Iamque a fundo maris in altitudinem modicam opus creverat, non- 10 dum tamen aquae fastigium aequabat: cum Tyrii, parvis navigiis admotis, per ludibrium exprobrabant, illos armis inclitos dorso sicut iumenta onera gestare: interrogabant etiam, num maior Neptuno Alexander esset? Haec ipsa insectatio alacritatem militum accendit.

1 Iamque paulum moles aqua eminebat, et simul agge- 11
ris latitudo crescebat, urbique admovebatur: cum Tyrii

§. 18. *materies-advehebatur*] *Vehebatur*, quod vulgo editur, in Flor. CGH Bern. B legitur, ceteri Flor. Bern. A Leid. Voss. 1 *advehebatur*.

§. 19. *in altitudinem modicam opus creverat*] Sic libri non solum meliores Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, sed etiam Bern. B Flor. CEH. Verum alii libri, Flor. quidem DFGI et vulgo editi praeter Mod., quasi qui Curtium nihil modice dicere paterentur, *altitudinem montis* fecerunt, estque ea lectio in marg. Flor. E, quemadmodum in G et edit. Iuniana in margine *modicam* ab aliis scribi annotatur. *Excreverat* autem etiam plures, reliqui Flor. praeter AB et Voss. 1.

§. 20. *onera gestare*] Miror quod non plures quam Flor. FGI et Pal. 1 *portare* habent, sicut III, 35 *septem milia iumentorum dorso onera portantium*. Nam *gestamus* fere nostra, *portamus* aliena. Sed hoc ipsum est irridentium. Mox ex integrioribus libris mss. Bern. A Flor. AB et rel. *Alex. esset* dedimus, cum vulgo inverso ordine legatur.

Cap. 11, §. 21. *paulum moles aqua eminebat*] Vulgo *paululum-aquam*. Nos *paulum* ex integrioribus libris et aliis non paucis Flor. CEH Bern. B etiam fragm. Darmstad. dedimus, neque enim attinuit, quod aliquid, sed non multum fuisse traditur, imminuere etiam. Sed *aqua* non est nisi in meliore classe Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, *aquae* in Flor. CE Bern. B fragm. Darmstad. legiturque a manu recentiore adscriptum in Bern. A, *aquam* reliqui et Modius habent. Hoc quidem certatim olim laudarunt grammatici, nec Latinum esse nego, sed similem locum non afferunt nisi Lactantii in carmine de phoenice vs. 8 *sed nostros montes eminet ille locus*. Vide Munker. ad Hygin. fab. 199. *Exiluit cathedram* apud Plin. epist. III, 16, 12 dudum mutatum est et *cathedra* factum. *Exit Mycenas* apud Senec. trag. Agam. vs. 959 restat. *Eminere* autem, nisi cum praepositione coniungitur, ablativum casum assumit, ut apud Ovid. Metam. IV, 689 *belua ponto eminet* et ap. Lucan. II, 667 *nullae aequore rupes emineant*.

urbique admovebatur] Nimirum *agger*, quod non difficile videtur cogitatione supplere. Gronovii coniectura apud Snak. *urbsque admovebatur* minime placet. Sed

magnitudine molis, cuius incrementum eos antea fefellerat, conspecta, levibus navigiis nondum commissum opus circumire coeperunt, missilibus quoque eos, qui pro opere stabant, incessere. Multis ergo impune vulneratis, cum et 22
removere et appellere scaphas in expedito esset, ad curam semet ipsos tuendi ab opere converterant: et quo longius moles agebatur a litore, hoc magis quicquid ingerebatur praealtum absorbebat mare. Igitur rex munientibus coria 23
velaque iussit obtendi, ut extra teli iactum essent: duasque turres ex capite molis erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra Tyrii navigia procul 24
a conspectu hostium litori appellunt, expositisque militibus, eos, qui saxa gestabant, obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes incompositos Macedonas adorti, triginta

mirum sane *admovebantur* legi in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABD.

antea fefellerat] Vulgo (etiam Mod.) *ante*, sed plenior forma in Leid. et Flor. omnibus praeter CH itemque in fragm. Darmst. est. Ex Voss. 1 et Bernensi B nihil a vulg. scriptura diversum notatur.

missilibus quoque eos] Non putabam ferri posse quod vulgo legitur *missilibus eos quoque*, qua collocatione verborum accentus iniicitur in pronomen quod latere debet. Opponitur illi quod praecedit *circumire coeperunt* hoc *missilibus incessere*. Itaque aut *incessere quoque* aut *missilibus quoque* adiungi poterat, atque hoc ipsum legitur ex olim collatis in cod. Fauch., de nostris in Flor. DFGI. Iidem codd. Florentini praeter G et ex olim collatis Pal. 1 *invasere* habent pro *incessere*, quod natum videtur ex falsa interpretatione eorum, qui *incessere* tertium perfecti putarent, cum sit infinitivus.

§. 22. *et quo longius-absorbebat mare*] Colon hoc cum huc pertinere non videretur, ab Aldo primum paulo supra post verba *nondum tamen aquae fastigium aequabat* collocatum est. Ego non sustinui ceteros editores in hac transpositione sequi, nam, si recte animadverteris, ne illo quidem loco ad ceteram constructionem apte coit, hoc autem certe verborum coniunctio grammatica quadrat, neque sententia non ferre videtur, si cogites tanto plures homines in aggere comportando occupatos fuisse.

§. 23. *igitur rex munientibus*] Haec est verissima Gronovii emendatio, a Freinshemio recepta, cum antiquitus editi haberent *ig. ex iumentis*, libri autem mss. meliores *ex munientibus*, deteriores *ex eminentibus*. Modius vocabulum *ex* abiecit, sed melius Gronovius duplicavit extremam literam *r*.

extra teli iactum] Auctoribus Lipsio Poliorc. v, 9 et Acidalio nunc quidem editur *extra teli ictum* contra libros omnes, certe nostros. Volunt enim sic inter *iactum* et *ictum* distingui, ut *iactus* sit quousque tela pertineant, *ictus* quoad vim suam vulnerandi exhibeant. Neque ego dixerim vanum esse ipsorum verborum discrimen, quatenus alterius etymon *iacere*, alterius *icere* est, sed nego servari posse ubi quis *extra teli iactum* coniunxerit. Nam sive longius remotus sive interiecto aliquo munimento tutus est, tela certe ad ipsum non perveniunt. Sed libri variant, nam c. 13 *procul teli iactu* omnes consentiunt verum esse, et tamen optimi libri eo loco *ictu* habent. Ceteris autem locis in hac coniunctione verborum sine varietate *iactus* legitur: *extra teli iactum* III, 25; V, 10; V, 12; VI, I.

§. 24. *incompositos Macedonas adorti*] Vulgo editi *aggressi*, quod ne in uno

11. fere interficiunt, paucioribus captis. Ea res Alexandrum dividere copias coëgit: et ne segniter assidere uni urbi videretur, operi Perdiccan Crateronque praefecit, ipse cum expedita manu Arabiam petiit.

2 Inter haec Tyrii navem magnitudine eximia, saxis12 arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam remis concitaverunt: et cum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad 3 molem successit: tum prora eius accensa, remiges desiluere in scaphas, quae ad hoc ipsum praeparatae sequebantur. Navis autem igne concepto latius fundere incendium coepit, quod, priusquam posset occurri, turres et cetera opera 4 in capite molis posita comprehendit. At qui desiluerant in parva navigia, faces, et quicquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem: cum hi, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, par- 5 tim armis omissis, in mare semet ipsi immitterent. At Tyrii, qui capere eos, quam interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati im- 6 pune navigiis excipi possent. Nec incendio solum opera consumpta, sed forte eodem die vehementior ventus

quidem libro mss. nostro aut Snakenburgii inventum est.

§. 1. *Perdiccan* Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 pro vulg. *Perdiccam* praestant, *Crateron* autem mss. omnes et editiones Aldi, Iunii, Modii. Rara quidem haec forma in hominum nominibus, cum frequens sit in urbium nominibus, sed *Coenon* v, 15 et viii, 48 legimus.

Cap. 12, §. 3. *tum prora eius accensa*] *Tunc* quod vulgo editur falsum evincitur consensu codd. et editionis quoque principis. Est enim nostrum dann, darauf, non damals. Post paulo *desiluere* et *desiluerant* pro *desiliere*, *desilierant* scripsi codd. meis quidem omnibus et Snak. Leid. Vossianisque iubentibus, nam composita verbi *saliendi* in temporibus perfectis per vocalem *u* formantur: cf. quos in grammat. §. 206 laudavi. Qui in contrariam sententiam nostri scriptoris et Caesaris loci a Ruddimanno gramm. Lat. afferuntur, omnes aut correcti iam sunt aut a me ex codd. corriguntur, praeter unum vii, 37 init. qui sine libris emendandus fuit. Cf. ad. v, 21, 14. vi, 19, 26. Item de vitiosa forma *prosilivi* ad vii, 16 extr.

comprehendit] Flor. AB *comprendit*, Bern. A *conprendit*.

§. 4. *hi qui*] Sic libri mss. praeter Flor. AB et Bern. A qui *hii* habent.

§. 5. *quam interficere mallent*] *Mallent* in Bern. A omissum erat suppleturque in margine. Sed haec fortasse causa extitit, cur in Modii membranis Coloniensibus et Flor. DF *voluerunt* et in Flor. C *malebant* factum est. Nimirum coniunctivus elegantior est, quam quem librarii aut invenirent aut (si aliter rem explicare velis) facile paterentur.

totum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatae laxavere, saxaque interfluens unda medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumu- 7
lis, quibus iniecta terra sustinebatur, praeceps in profundum ruit, tantaeque molis vix ulla vestigia invenit Arabia rediens Alexander.

13 Hic, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebant, cum omnes verius de saevitia maris queri possent. Rex novi operis molem orsus, in adversum 8
ventum non latere, sed recta fronte direxit: ea cetera opera, velut sub ipsa latentia, tuebatur: latitudinem quoque aggeri adiecit, ut turres in medio excitatae procul teli

§. 6. *totum ex profundo mare illisit*] Elegans est Palmerii emendatio a Modio et insecutis editoribus recepta *motum*, neque tamen necessaria. Est enim illa quidem hyperbole, sed ab usu hominum non abhorrens, et mare opponitur freto.

campages operis laxavere] Contra codd. nostros quidem omnes et Snak. Leid. Voss. 1 (ut, si accurate egit, Voss. 2 ad consensum desideretur) vulgo post Aldum additur *se lax.* Equidem quamquam aliud simile exemplum afferre non possum praeter Liv. XXVI, 10 extr. *annona haud multum laxaverat, quia remoto maritimo praesidio subvehi frumentum non poterat*, ubi offenderat Gronovius; crediderim tamen etiam neutrali sensu verbum illud adhiberi potuisse (Germanice nachgeben, nachlaſſen), certe ambo loci sese invicem defendere possunt.

saxaque interfluens unda] *Interfluens* restitui codd. omnium vel si hoc de ceteris contendere non liceat certe Florentinorum omnium et Bernensis utriusque et eorum quos Snak. contulit lectionem, pro eo quod verbo commendavit Modius *interluens*. Esse hoc videtur ποιητικώτερον et parum ad vehementiorem maris motum aptum.

§. 7. *prorutis igitur lapidum cumulis*] Codd. Voss. duo et Bern. et Flor. omnes *proruptis* (nisi quod CD *preruptis* habent), sed recte veteres iam editores *prorutis* emendarunt, sicut etiam IV, 50 *proruto vallo* edendum curavi. Nam lege quae interpretes ad Caes. de b. G. III, 26 et ad Livium IV, 29 abunde collegerunt. Nostro quidem loco, si fides silentio, etiam Leid. liber *prorutis* habet.

Arabia rediens] *Ab Arabia rediens* adversus libros mss. Infra c. 45 *Parthi Scythia profecti*, et de Aegypto saepe sine praepositione ad locum significandum constructa cf. ad c. 35.

Cap. 13. §. 7. *quod in adversis rebus solet fieri*] Ultimam hanc vocem Modius, ut ait, veterum librorum auctoritate usus delevit. Ego tamen ex Flor. et Bern. nihil enotatum invenio, nec Snakenb. e suis quicquam protulit. Itaque Modii vociferationes non curavi. Sed eadem periodo *referebant* edidi, quod in optimis libris Leid. Voss. 1 Bern. A et Flor. A B C D F legebatur. Solet enim scriptor noster post *alius alium* pluralem numerum ponere, neque id ab aliorum bonorum Latinitatis auctorum more abhorret. Dixi ea de re in gramm. Lat. §. 367. Livius XXII, 7 *quamquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domum referunt, consulem cum magna parte copiarum caesum.*

§. 8. *ea cetera opera velut sub ipsa latentia tuebatur*] Vulgo *quod — ipso* minus recte, neque enim potest hoc referri ad genitivum *novi operis*. Quod ego post Modium edidi legitur in omnibus libris nostris et Snakenburgii, nisi quod Flor. G *eam* habet et Voss. 2 in hoc quidem vocabulo siletur.

turres in medio excitatae] Hoc quidem loco correctorum libido manifesta est; nam cum omnes codd. nostri et Leid. Voss. 1. 2 haberent *excitatae*, ta-

iactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum iaciebant, deinde saxis onerabant, rursusque cumulo eorum alias arbores iniiciebant, tum humus aggerebatur, superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant.

Nec Tyrii, quicquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exequebantur. Praecipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem usque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes, quae ubi secutae erant, pleraque secum in profundum dabant: tum levatos onere stipites truncosque arborum haud aegre moliebantur: deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso sequebatur.

Aegro animi Alexandro, nec perseveraret, an abiret satis certo, classis Cypro advenit, eodemque tempore Cleander cum Graecis militibus in Asiam nuper advectus. Centum et octoginta navigia in duo dividit cornua: laevum

men ne quid a vulgari usu paulo remotius inesset, editum fuit *erectae*. Quamvis *erigere turres* frequenter dicatur, tamen etiam *excitare turres* apud Caesarem legitur B. C. I, 25 et *aggeres* apud Livium XXXVIII, 3; ipse autem Curtius *excitare munimenta* VII, 28 dicit et *excit. molem* VIII, 8. De *iactu* et *ictu* vide supra c. 11 : sed non est *iactu* nisi in Flor. CEGH et Bern. B.

§. 9 *rursusque*] Adieci copulam propter *librorum* meorum consensum: Snak. non commemorat nisi Leidensem. Post aulo *humus aggerabatur* in libris Flor. st praeter FG omnibus eamque ob cauam restituendum putaveram in priore ditione, nunc ad vulgatam scripturam *ggerebatur* revertor, et reliquorum librorum imprimisque Bern. A causa, et quod *unus* minus recte videtur dici *aggerari*, ase ipsa dum aggeritur, agger fit. Aliae a aggerantur, cum in modum aggeris mulantur. Confusio autem inde nata t quod praepositio *ad*, quae est in gerendi verbo, insequenti consonae in erisque libris assimilabatur.

§. 11 *nec perseveraret an abiret satis rto*] Vulgo inde ab Aldina editur *et utrum pers. an abiret satis incerto*, cum in principe legeretur *ergo animi Alexandro ne persev. an abiret satis incerto*. Codd. quidem meliores *ne perseveraret — satis certo*, quod cum una addita littera ut *nec* fieret emendandum esset, sicut factum est in Bern. A et plane extat in Voss. 1, deteriores ad varias coniecturas delapsae sunt, ut scriberetur *incerto* in Flor. EH Bern. B, simulque *perseveraretne*, aut stulte *utrum ne*, ut est in Flor. DFIG (in hoc autem sic ut *non* ante *satis certo* adderetur). Non dubium est quin recte a nobis praeeunte Modio correctum sit. Interrogationis forma similem confusionem peperit III, 21, 17. V, 37, 18.

centum et nonaginta navigia] Codd. mss. deteriores et primum editi *navium*, meliores Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB et praeter eos CEH Bern. B Voss. 2 *navigium:* utrique omisso accusativo. Itaque Aldus *navium classem* de coniectura dedit, eamque vulgo secuti sunt reliqui, nos *navigia* potius, quod item voluerat Heinsius, correximus. Dicitur quidem fere exercitum dividere in cornua, sed summa navium relata pro

Pnytagoras, rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur, Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Ty- 12
rii, quamquam classem habebant, ausi navale inire certamen: tris omnino ante ipsa moenia opposuerunt, quibus rex invectus, ipsas demersit.

14 Postera die classe ad moenia admota, undique tor- 13
mentis et maxime arietum pulsu muros quatit: quos Tyrii raptim obstructis saxis refecerunt, interiorem quoque murum, ut, si prior fefellisset, illo se tuerentur, undique orsi. Sed undique vis mali urgebat: moles intra teli iactum erat, 14
classis moenia circumibat, terrestri simul navalique clade obruebantur. Quippe binas quadriremes Macedones inter se ita iunxerant, ut prorae cohaererent, puppes intervallo, quantum capere poterant, distarent. Hoc puppium inter- 15
vallum antennis asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleverant:

exercitu esse potest, sicut IV, 38 pr. *pedes divisus in cornua* legitur. Terminationes autem nominum facilius corrumpuntur quam integra vox omittitur. Ceterum numerus navium, qui vulgo est *C et octoginta*, Flor. quidem AB auctoritate defenditur, sed reliqui non solum boni Bern. A Leid. Voss. 1 sed etiam deteriores *centum et nonaginta* praestant. Eum igitur numerum praetuli, quod propius accedit ad Arrianum qui 223 naves computat, et Plutarchum in Alex. c. 24 qui ducentis triremibus Tyrum oppugnatam tradit.

Pnytagoras rex Cypriorum] Nomen regis secundum Arrianum II, 20, 6 editur: in codd. Curtii *Pythagoras*, *Pithagoras*, *Pitagoras*, *Pyctagoras*, *Pictagoras* inventum est.

§. 12. *tris omnino-opposuerunt*] Ediderunt vulgo *triremes omnes*, quod non inveni nisi ex Flor. G enotatum: ceteri libri aut sicut edidimus aut correcta veteri terminatione *tres omnino*, Voss. 2 et Bern. B *triremes omnino*. Modius ex suis libris ut contendit *tres omnino naves* edidit: non male, sed *naves* tamen in nullo, quantum scio, codice ms. adiectum legitur praeterquam quod in margine Flor. G adscriptum est. (Fossius *triremes tris omnino* proposuit in laudato progr. pag. 31.) Nos *naves* putavimus subintelligi posse, adiuvante quod praecedit *navale certamen*. *Tris* non sustinuimus corrigere, quamquam in nostris codd. vetusta accusativi terminatio in ceteris quidem vocabulis non extat nisi rarissime, nam in hoc numerali magis videtur obtinuisse, sicut in Vergilii codice Mediceo, cum in reliquis nominibus varietur, in hoc *is* perpetuo scribitur, vid. Wagneri Orthogr. Vergil. p. 392, idemque in Cicerone observavi v. c. orat. p. Mur. c. 5 pr. Ceterum de *tribus* Tyriorum triremibus ante portum oppositis et demersis Diodorus et Arrianus cum nostro scriptore concordant: omnes vero triremes non fuisse depressas vel ex c. 18 patet, ubi de altera maiore pugna navali narratur.

Cap. 14, §. 13. *postera die*] *Postero* Flor. DEFGI, optimi femin. genus tuentur: vide ad III, 31 pr. In fine § *undique* ante *orsi* dicitur a Flor. Heinsiano abesse, e nostris Flor. nihil enotatum est. Et confert aliquid ad sententiam, quamquam non nego frequentem eiusdem vocabuli repetitionem ingratam videri posse.

§. 14. *binas quadriremes*] Complura ita iuncta inter se habebat navigia Alexander, quod significans scriptor numerali distributivo usus est.

sic instructas quadriremes ad urbem agebant: inde missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, cum classem, sicuti dictum est paratam, circumire muros iubet, iamque naves urbi undique admovebantur, et Tyrii desperatione torpebant: cum subito spissae nubes intendere se coelo, et quicquid lucis internitebat effusa caligine extinctum est. Tum inhorrescens mare paulatim levari, deinde, acriore vento concitatum, fluctus ciere, et inter se navigia collidere. Iamque scindi coeperunt vincula, quibus connexae quadriremes erant, ruere tabulata, et cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere. Neque enim conserta navigia ulla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat; et, quod in eiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant; quippe gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis iussa exequebantur. Tandem remis pertinacius everberatum mare veluti eripientibus navigia classicis cessit, appulsaque sunt litori, lacerata pleraque.

Iisdem forte diebus Carthaginiensium legati triginta 15

§. 15. *sic instructas quadriremes*] *Quadriremes* certe manserunt; itaque non video quae necessitas sit cur Modius scribendum iudicarit *remis*. Legitur tamen hoc in Flor. DF.

§. 16. *circumire muros iubet*] *Muros* est in omnibus Flor. et in Bern. aliisque libris et edit. pr. *Urbem* Aldus edidit et reliqui praeter Modium retinuerunt; sed *sustulit* iam Snakenburgius. Ceterum *muros circumire* Flor. H Bern. B, et *circuire* Flor. omnes praeter AD.

§. 17. *acriore vento*] *Acriori* vulgo, etiam Modius; nos Bern. A Flor. AB et Leid. Voss. 1 secuti sumus. Et VII, 39 pr. omnes codd. *maiore ex parte* habent; sed VIII, 39, 4 et VII, 40 pr. ablativus comparativi in *i* formatus relinquendus fuit. Post *scindi coeperunt vincula* ex iisdem optimis Flor. sed etiam aliis compluribus pro vulg. *coeperant* scripsimus, neque enim sequitur apodosis. Voss. 1 *coepere*.

§. 18. *remex militis officia turbabat*] Meliores libri (Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG) *remex*, plures etiam *turbabat* pro vulg. *remiges turbabant* praeferunt. Nominativus singularis eius vocabuli paulo rarior alicuius, qui Phocae grammatico crederet (p. 1708 sq. Putsch.), corrigendi libidinem videtur movisse, sed vide Ruddiman. Instit. gramm. Lat. p. 132 Stallbaum. repetit. ubi loci indicantur quibus *remex* legitur: Cic. de divin. II, 55 Propert. eleg. II, 20, 71 (III, 27, 13 Lachmann). Mox *in eiusmodi casu* pro vulg. *huiusmodi* dedimus, secuti librorum nostrorum praeter Flor. H omnium fidem itemque Leid. Voss. 1 auctoritatem. Ceterum ad descriptionem naufragii et militum nautarumque officia confusa iuvat comparare Taciti Ann. l. II, c. 23, ubi Gronovius huius loci immemor alterum Curtii laudat VII, 36. Cf. etiam Livium XXII, 19.

Cap. 15, §. 19. *iisdem forte diebus*] Hoc verbb. ordine omnes libri nostri: plerique autem eorum *isdem*. Vulgatur *iisdem diebus forte*, quasi ipse adventus ad fortunam referendus sit, non tempus.

superveniunt, magis obsessis solatium, quam auxilium: quippe domestico bello Poenos impediri, nec de imperio, sed pro salute dimicare, nuntiabant. Syracusani tum Africam urebant, et haud procul Carthaginis muris locaverant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant; sed coniuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius quicquid accideret laturi, si carissimam sui partem extra sortem communis periculi habuissent. Cumque unus e civibus in contione indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis, molemque a Macedonibus in salo iactam in silvestrem saltum esse mutatam: quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena devinxere simulacrum, araeque Herculis, cuius numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturo. Syracusis id simulacrum devexerant Poeni, et in maiore locaverant patria, multisque aliis spoliis urbium a semet captarum non

magis obs. solatium quam] Sic edebatur olim donec Freinsh. tacite *maius* dedit, nec id Snakenburgius animadvertit. Inventum est revera *maius* in Flor. G Bern. B, sed longe praestat *magis*. Poterat auctor scribere *solatium potius quam auxilium*, sed etsi intersit aliquid, tamen saepe utrumque dici potest et dicitur, ut ap. Cic. de orat. 1, 42 *perfectam artem iuris habebitis magis magnam atque uberem quam difficilem et obscuram*, Liv. IX, 22 *nec ut fit ad ducis casum perculsa magis quam irritata est multitudo.*

§. 20. *Syracusani tum Africam urebant*] *Tum* in utroque Bern. Flor. ABCH legitur, praeterea in Leid. Voss. 1. Ceteri libri Flor. *tunc* sicut vulgo editur, neque nego posse probari. Ceterum Syracusanorum haec obsidio Carthaginis Agathocle duce quae una facta est post Alexandri tempora fuit, ut Curtius vel memoria lapsus hoc adiecisse, vel bellum civile ab Hannone motum cum illo externo confudisse videatur.

extra sortem communis periculi] Hoc ordine verba collocant omnes libri nostri, nisi quod *communis* omittitur in Bern. B Flor. H Voss. 2. Vulgo *extra communis periculi sortem* legitur.

§. 21. *in contione indicasset* omnes libri nostri et optimi ex olim *collatis*: veteres editiones et Voss. 2 *concione*, Modius et Freinsh. *concioni*. De scriptura vocis hoc annoto, ex undecim codd. nostris unum tantum Flor. B litera *c* vocem exprimere, ceteros sicut edidimus. Cf. C. Schneideri Elem. L. L. p. 251.

in salo iactam, sicut solus Modius edidit, praestant omnes nostri et Snak. codices pro vulg. *iactam in salo.*

§. 22. *quasi illo deo Apoll. retenturo*] Sic Leid. Voss. ambo, Bern. uterque, Flor. ABCEGH pro vulg. *retenturi*, quod minus elegans nec satis emendatum, quoniam *illo deo* non recte dicitur pro *illius opera* sive *per illum deum*. Ablativos absolutos autem non raro etiam participiis fut. act. fieri docui in gramm. §. 643. Apollinis autem simulacrum non Syracusis sed Gela abductum verius Diod. XIII, 108 tradit.

Carthaginem magis, quam Tyrum ornaverant. Sacrum quoque, quod equidem diis minime cordi esse crediderim, multis saeculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium verius quam sacrum Carthaginienses, a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suae fecisse dicuntur. Ac nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset.

Ceterum efficacior omni arte necessitas non usitata16
modo praesidia, sed quaedam etiam nova admonuit. Namque ad implicanda navigia, quae muros subibant, validis asseribus [corvos et ferreas manus] illigaverant, ut, cum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus inii-

§. 23. *quod equidem* aptissime libri mss.; quod nunc vulgo editur *quod quidem* ab Aldo est, ac dubito num in ullo libro ms. inventum sit, quamquam Snak. de Vossianis silet. Recte autem Aldus correxit quod in edd. primis erat et invenitur in multis iisque bonis mss. *repetentes*. Bern. A a pr. manu *repetens* habet, ab altera *repetente*.

usque ad excidium urbis suae] Unus Tertullianus in apologetico c. 9 diutius etiam et palam *usque ad proconsulatum Tiberii* fecisse tradit, additque vel suo tempore clam facere, nescio quam vere. Ceterum Schol. Platon. lib. I de rep. p. 143 Ruhnk. simile quid de Tyriorum sacro nefario a Clitarcho traditum scribit, unde fontem Curtii agnoscas.

Cap. 16, §. 24. *efficacior omni arte necessitas*] Addidit Aldus *imminens* ante *necessitas*, sed abest verbum et ab editionibus principibus et a codd. Leid. Voss. 1, 2 utroque Bern. et Flor. AB CEH. In eadem periodo pro *admonuit* legitur quidem in nostris omnibus aliisque multis codicibus *admovit*, nec aliter in editionibus antiquis est, ut praeter Modianos codices Coloniensem et Sigebergensem certos auctores lectionis nunc vulgatae non habeamus. Est etiam ut haudubitem de fide Modii. Sed etiamsi illa Modii emendatio fuerit, nihilo minus veram esse puto: neque enim datius in promptu est, cui praesidia *admovere* necessitas dicatur, cum contra *admovere* facile intelligatur sensu suadendi, commendandi. Schefferus contradicit et genitivum postulat, pueriliter regulae vulgari adhaerens, nam novorum praesidiorum non admonemus aliquem, quippe quae non iam nova essent, si admonitione revocarentur. Zeugmatis quoddam genus est, cum verbum imprimis ad vetera et olim *usitata praesidia* referatur. Simili sed inversa ratione c. 17 extr. *praeceperant* ponitur.

corvos ac ferreas manus cum uncis ac falcibus] Verba haec a codd. Bern. et Flor. omnibus absunt, nec leguntur nisi in marg. cod. E ab eadem tamen manu. Desunt etiam in illis quos Snak. contulit, quamquam miror Voss. 1 mentionem factam esse nullam. Quod in cod. Petri Danielis et Pal. 2 verba priora tantum *corvos ac ferreas manus* desiderari traduntur, falsum esse puto; de Daniel. certe libro, qui Bern. A est, dubitari nequit. Modius sola postrema verba *cum uncis ac falcibus* spuria habuit atque omisit: recte, nam quod sequitur *quoque* satis indicat nondum de illis dictum esse. Agnoscamus igitur lacunam hic in vetustissimo exemplari fuisse, quae a veteribus emendatoribus ex sequenti oratione expleta sit. Simili certe supplemento opus est. Ceterum quod ad rem ipsam pertinet, verba haec *ut, cum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus iniicerent* mutata rhetorice constructionis forma posita sunt pro *ut, laxatis funibus, asseres tormento promotos iniicerent* (navibus).

cerent. Unci quoque et falces, ex iisdem asseribus depen- 25
dentes, aut propugnatores aut ipsa navigia lacerabant. Clypeos vero aereos multo igne torrebant, quos repletos fervida harena coenoque decocto e muris subito devolvebant. Nec ulla pestis magis timebatur: quippe ubi loricam 26
corpusque fervens harena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, et quicquid attigerat perurebat, iacientesque arma laceratis omnibus, quis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corvi vero et ferreae manus tormento remissae plerosque rapiebant.

17 Hic rex fatigatus statuerat soluta obsidione Aegyptum IV.
petere. Quippe cum Asiam ingenti velocitate percurrisset, circa muros unius urbis haerebat, tot maximarum rerum

§. 25. *clypeos aereos* pro vulg. *aeneos* omnes codd. nostri et Snakenburgii habent, sicut IX, 29 *aereum clypeum*. (*Clipeos* libenter equidem scriberem, sed optimi codd. in hoc verbo Graecam litteram servant.) Ciceronianae aetatis forma est *aeneus*, et dubito num vera sit Doederlinii distinctio T. VI etymolog. *aereum* de materie, *aeneum* de arte dici, nam ap. Nep. Iphicr. 1 *aeneae loricae* ad materiem maxime pertinent. Ceterum eam formam Bentleius ad Hor. Serm. II, 3, 183 scribit non esse trium syllabarum, certe non apud poëtas veteres, sed *aëneum* pronuntiandum, de quo etsi dubitat Schneiderus in Elem. ling. Lat. p. 130, tamen Bentleianam sententiam non refellit. Erit igitur ab eo quod est aes, aeris, adiectivum *aereus* sed ab aheno sive (omissa aspiratione) aëno formatum adiectivum *aheneus* sive *aëneus*. Mox *harena* et h. l. et reliquis constanter codices Curtiani, quae eadem scriptura est in Vergilii codice Mediceo.

§. 26. *loricam corpusque-penetraverat*] Noli de corrigendo loco cogitare, ut efficiatur quasi *inter loricam corpusque*: dicitur enim hoc oratorio quodam colore pro ubi fervens harena per foramina loricae usque ad corpus pervenerat. Nam *penetrare* cum accusativo non modo illud significat *permeare aliquam rem*, quod est penetrare *per* aliquam rem, sed etiam per alias res usque ad aliquam rem pervenire, quod est penetrare *ad* vel *in* aliquid. Sic Iuvenal. 5, 106 *cryptam penetrare mediae Suburae*. Val. Flacc. Argon. VII, 43 *Asiam penetravit Iason*.

tormento remissae] Restitui auctori quod in libris omnibus legitur et nostris et quos Snakenb. adhibuit atque editum fuit a Modio. Vulgo *tormentis emissae*. *Remitti* dicuntur illa tela laxatis funibus, quod eadem contentis adducebantur; estque verbum huius rei proprium.

Cap. 17, §. 1. *Hic rex*] Recte *hic*, i. e. rebus ita comparatis (ut c. 13 pr.), dedit Aldus; priores *his*, quod inventum est in Flor. C. *Hinc* Bern. B Flor. DH.

ingenti velocitate omnes codd. nostri et Snak. pro vulg. *celeritate* ediditque Modius, in eo vanus quod ubicunque in vulgatis exemplaribus *celeritas* exstaret ibi in suis libris *velocitatem* esse praedicavit. Nam coniunguntur ea verba VII, 7 *Velocitate opus est qua celeritatem famae antecedas*. Sed factum illud est quod Modius queritur V, 24, 2 *nullum intervallum adversus velocitatem* (vulgo *celeritatem*) *eius satis longum videbatur*, ubi praecesserat *veritus ne celeritate Alexandri occuparetur*. Cf. Append. VI, 7, 5. Utraque vox sed magis *velocitas* ad insitum hominum ingenium refertur, nam potest aliquis celer esse necessitate, qui natura non est velox. Sed quid meruisse putes corruptores, quorum in ludibriis expurgandis otio viribusque abutimur?

opportunitate dimissa. Ceterum tam discedere irritum, quam morari pudebat; famam quoque, qua plura quam armis everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naves admoveri iubet, delectosque militum imponi. Et forte belua inusitatae magnitudinis, super ipsos fluctus dorso eminens, ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus applicuit, diverberatisque fluctibus allevans semet, utrimque conspecta est: deinde a capite molis rursus alto se immersit, ac modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis urbis emersit. Utrisque laetus fuit beluae aspectus: Macedones iter iaciendo operi monstrasse augurabantur, Tyrii Neptunum, occupati maris vindicem, abripuisse beluam, ac molem brevi profecto ruituram. Laetique omine eo ad epulas dilapsi oneravere se vino, quo graves orto sole navigia conscendunt, redimita floribus coronisque: adeo victoriae non omen modo, sed etiam gratulationem praeceperant.

Forte rex classem in diversam partem agi iusserat, triginta minoribus navigiis relictis in litore: e quibus Tyrii duobus captis, cetera ingenti terruerunt metu, donec, suorum clamore audito, Alexander classem litori, a quo fre- 18

§. 3. *belua* in optimis libris mss. scribitur *simplici l*, quod vel eam ob causam probo quia Varro ap. Nonium III, 69 eam vocem disyllabon habet, id quod fieri certe non posset si *l* geminata audiretur.

§. 5. *abripuisse beluam*] Sententia non mutatur, sive vulgatum *arripuisse* retines, sive quae lectio est optimorum codd. Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. A (praeterea Bern. B Flor. EH) *abripuisse* corrigis. Flor. B *eripuisse*. Paulo post *ad molem* fere omnes libri, Leid. et Flor. D *ab*, Flor. I et manus correctrix Flor. E *ac*. Sic etiam editi inde a principe, a quibus non discedo.

§. 5. *floribus coronisque*] Sic omnes libri nostri et Snak. pro vulg. *coronis floribusque*. Est haec figura ἓν διὰ δυοῖν licetque flores et coronae, coronae et flores pro *coronis florum*. Sed uti nunc h. l. sic item Curtius v, 3. IX, 42 bis.

Cap. 18, §. 6. *ingenti terruerunt metu*] Tempus perfectum longe plurimi codices et Modii editio, vulgo *terruerant*, quod non est nisi in Flor. I. *Terruere* Bern. B Flor. EH.

a quo fremitus acciderat — prima e Mac. navibus] Vulgo mutatis sedibus praepositiones iniquo loco positae leguntur: *e quo* et *prima a*. Corrigendi auctores fiunt nostri libri omnes, e quibus unus tantum Flor. G. cum vulg. consentit, aliquot tamen (Flor. DFI cum Pal. 1) pro *prima e* habent *primo*. Sed legitur praeterea in tribus Flor. ABC Bern. A Leid. Voss. 1 *fremitus*

mitus acciderat, admovit. Prima e Macedonum navibus 7
quinqueremis velocitate inter ceteras eminens occurrit, quam ut conspexere Tyriae, duae ex diverso in latera eius invectae sunt, in quarum alteram quinqueremis eadem concitata et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit. Iamque ea, quae non cohaerebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus invehebatur, cum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam, quae quinqueremi imminebat, tanta vi impulsa est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi. Plures deinde Macedo- 9
num naves superveniunt, et rex quoque aderat: cum Tyrii inhibentes remis aegre evellere navem, quae haerebat, portumque omnia simul navigia repetunt. Confestim rex insecutus portum quidem intrare non potuit, cum procul e muris missilibus summoveretur, naves autem omnes fere aut demersit, aut cepit.

19 Biduo deinde ad quietem dato militibus, iussisque et 10
classem et machinas pariter admovere, ut undique territis instaret, ipse in altissimam turrem ascendit, ingenti animo, periculo maiore. Quippe regio insigni et armis fulgentibus 11
conspicuus, unus praecipue telis petebatur. Et digna prorsus spectaculo edidit: multos e muris propugnantes hasta

acciderant, quod fortasse recipiendum erat, et sine dubitatione recepissem si pluralis numerus alicuius subiecti v. c. *pugnantium* adesset. Dixi ea de re in gramm. Lat. §. 92.

§. 7. *quam ut conspexere Tyriae, duae ex diverso*] Vulgo *Tyrii* et *e diverso*, sed nos consensum codd. Flor. et Snak. secuti sumus, nec dubitamus quin sicut *ex transverso* dicitur, ita etiam de more fuerit *ex diverso*, non *e diverso*. Est certe multo frequentius. Ceterum Bern. A a pr. m. *et div.*, Bern. B utrumque vocabulum omittit.

§. 8. *tanta vi impulsa est ut*] Tria haec verba postrema in Flor. A desunt: duo tantum *impulsa est* abesse a Flor. Heinsii, Leid. Voss. 1 Dan. dicuntur, et verum est de Dan. qui est nobis Bern. A.

§. 9. *inhibentes remis aegre evellere*] Corrupit locum corrector, cuius manum secuti Flor. DFI *incumbentes remis* dederunt. Simile quid Acidalius voluerat, *innitentes*, cum Modius ex aliquo libro Voss. 1 simili (an eodem?) *inhibentes remos* dedisset. Modius nihil se audire contra stulte gloriatur: at illum nemo hodie audiet, postquam Gronovius Obss. IV, 26 rem plene exposuit iamque etiam lexica vulgaria docent esse remis retro navem impellere. Tum infinitivus historicus praesenti iunctus offendit Aldinum editorem, qui eam ob causam *evellunt* correxit (Voss. 2 *evulsere*). Sed nihil prorsus opus est mutatione. Dixi ea de re in gramm. Lat. §. 582.

Cap. 19, §. 10. *ut undique territis instaret*] Vulgo *utrimque*, sed omnes Snak. codd. et uterque Bern. et e Florentinis A B C D G H I quod edidimus praestant. Modiana scriptura *et — instare* in nullo libro ms. quod sciam invenitur.

transfixit, quosdam etiam comminus gladio clypeoque impulsos praecipitavit, quippe turris, ex qua dimicabat, muris hostium propemodum cohaerebat. Iamque crebris arietibus saxorum compage laxata, munimenta defecerant, et classis intraverat portum, et quidam Macedonum in turres hostium desertas evaserant: cum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium, nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri, magna pars summa tectorum obtinebat, saxa et quicquid fors manibus dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis iniici iubet. His per praecones pronuntiatis, nemo tamen armatus opem a diis petere sustinuit: pueri virginesque templa compleverant, viri in vestibulo suarum quisque aedium stabant, parata saevientibus turba. Multis tamen saluti fuere Sidonii, qui intra Macedonum praesidia erant. Hi urbem quidem inter victores intraverant, sed cognationis cum Tyriis memores, (quippe utramque urbem Agenorem condidisse credebant,) multos Tyriorum, etiam prote-

§. 13. *quicquid fors manibus dederat*] Non contendo veram hanc esse auctoris manum, nam Bern. A Flor. AB *quid fors in manibus*, C *quid sors in manibus*, Fl *quod fors in manibus*, E Bern. B *quicquid sors in manibus*, D *quod fors in manus*, G *quod sors in manus*. Vides *igitur* in nullo codice esse solum *dativum*, pro quo sane malim et ipse *in manus*, nisi qui hoc haberent codicum auctoritas levis esset. Itaque locum nisi quod ad ordinem verborum pertinet intactum reliqui, quoniam in Leid. videtur inventum esse *quicquid* et *in* ortum fortasse est ex sequenti litera initiali vocis *manibus*. Principes autem editiones *quicquid manibus sors*, Iuniana *quicquid in manibus sors*, Mod. *quod in manus fors*, Basileenses rursus *quicquid manibus sors*.

§. 14. *a diis*] *Dis* scribitur in Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1.

§. 15. *qui intra Macedonum praesidia erant*] Miratur dicendi formulam Schefferus et explicare studet Schmiederus. Sed non opus est longa explicatione, quoniam *praesidia* saepe sic dicuntur pro exercitu. Cic. pro Ligario c. 9 *tantummodo in praesidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant;* pro Rosc. Am. 43 *scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona veneant qui proscripti sunt - aut eorum qui in adversariorum praesidiis occisi sunt. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit.* Sunt enim *praesidia* stationes militum pro castris, ut igitur qui in exercitu sint atque in castris versentur, iidem intra praesidia sive in praesidiis esse dici possint. Vide interpr. ad IV, 44 *temere illati praesidiis.*

Agen. condidisse credebant] Nihil variant libri aut scripti aut impressi; Modius tamen se sustulisse *credebant* gloriatur. Quod sequitur *etiam protegentes* explica adeo defendentes illos adversus Macedonas qui abstrahere captivos vellent. *Occultati* denique olim ediderat Bipontino exemplari usus, et legitur sic in Iuniana et Mod. editio-

gentes, ad sua perduxere navigia, quibus occultatis Sidona devecti sunt. Quindecim milia hoc furto subducta saevitiae sunt. Quantumque sanguinis fusum sit, vel ex hoc 16
aestimari potest, quod intra munimenta urbis sex milia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum vi- 17
ctoribus ira praebuit regis. Duo milia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus affixi per ingens litoris spatium pependerunt. Carthaginiensium legatis pepercit, ad- 18
dita denuntiatione belli, quod praesentium rerum necessitas moraretur.

20 Tyros septimo mense, quam oppugnari coepta erat, 19
capta est, urbs et vetustate originis et crebra fortunae varietate ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab Agenore diu mare, non vicinum modo, sed quodcunque classes eius adierunt, dicionis suae fecit. Et si famae libet credere, haec gens litteras prima aut docuit, aut didicit. Coloniae certe eius paene orbe toto diffusae sunt: 20
Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari saepiusque adeundo ceteris incognitas terras, elegisse sedes iuventuti, qua tunc abundabant: sive quia crebris motibus terrae, nam hoc quoque

nibus, sed contra librorum mss. consensum. Restituendum est *occultatis* ut idem orationis subiectum maneat: Sidonii subductis et celatis Tyriorum multis domum reverterunt.

§. 16. *vel ex hoc aestimari potest*] Vulgo h. l. *existimari* solita commutatione verborum legitur, qua de re vid. Drak. ad Liv. XXXIV, 2. Nos secuti sumus Bern. A Flor. ABC et Voss. 1, recte ut nobis videmur, nam dicitur de coniectura facienda. *Extimari* Bern. B Flor. EG, *aextimari* Flor. H, solita scribendi ludibria.

§. 17. *in quibus occidendis defecerat rabies*] *Occidendis* in Bern et Flor. et Snak. omnibus legitur, itaque Modium secutus recepi. Sed quod idem Modius paulo post edidit *crucibus affixa* pro *affixi*, fecit illud quidem ex praeceptis vulgaris grammaticae et auctoritate codicum nonnullorum (e Flor. enim sic habent DFGI); sed et meliores codd. genus masculinum tuentur et Livium sic saepe dixisse docet Drak. *ad lib.* XXXVII, 39 extr. Etiam Curtianum habes III, 4 *Barcanorum equitum duo milia fuere, armati* cet. Cf. ad IX, 14, 5.

Cap. 20, §. 19. *Tyros*] Graeca forma in Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 est pro vulg. *Tyrus*. Vide supra c. 7. Mox *septimo mense quam* sicut IX, 31 *tertio die quam coeperat obsidere*. Unus Flor. G *quo*. Unus item Flor. C *coeperat* pro *coepta erat:* cf. Gramm. §. 220. Denique pro *quodcunque* unus e Flor. B *quocunque*.

§. 20. *Gades*] Optimi et plerique codices mss. *Gadis;* fortasse *Gadis* scribendum, ut est apud Plinium in fine libri IV nat. hist. Apud Curtium X, 3 *Gadis* accusativus est, neque huc pertinent *Sardis* quod Graecum est Σάρδεις, cum Gades sint τὰ Γάδειρα.

abundabant, sive] Codd. mss. nostri et Snak. omnes *abundabat*, sed accipere non possum: pluralis numerus *abunda-*

traditur, cultores eius fatigati, nova et externa domicilia armis sibimet quaerere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, et post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, sub tutela Romanae mansuetudinis acquiescit.

Iisdem ferme diebus Darei litterae allatae sunt, tan-21
dem ut regi scriptae. Petebat, uti filiam suam, (Statirae erat nomen,) nuptiis Alexander sibi adiungeret: dotem fore omnem regionem inter Hellespontum et Halyn amnem sitam, inde Orientem spectantibus terris contentum (se fore.) Si forte dubitaret quod offerretur accipere: nunquam diu eodem vestigio stare fortunam, semperque homines, quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen sentire maiorem. Vereri se, ne avium modo, quas naturalis levitas ageret ad sidera, inani ac puerili mentis affectu efferretur. Nihil difficilius esse, quam in illa aetate tantam capere fortunam. Multas se adhuc reliquias habere, nec semper inter angustias posse deprehendi: transeundum esse Alexandro Euphraten, Tigrimque et Araxen, et Hydaspen,

bant a pr. m. fuerat in Flor. A. Verum *sive* pro vulg. *seu* non modo codicum nostrorum consensus, sed etiam scriptoris usus postulat ut scribatur.

§. 21. *nunc tamen*] *Tandem* legi voluerunt olim Bongarsius ac Sebisius, nuper Hirtius et Niebuhrius in commentationibus de aetate Curtii.

Cap. 21, §. 1. *Statirae* nomen in codd. varie corruptum: Bern. A *stati p erat*, Flor. ABC *Stati praeerat nomen*, DFI *Statipne erat*, E *Staptine erat*, G *Statimne*, H *Statipere*, Bern. B *statripe*, sed quo haec omnia pertineant dubium esse non potest. Mox *alyn* Bern. A Flor. AB, *halim* Flor. FI, *alim* Flor. H Bern. B, *alin* Flor. G.

contentum (se fore)] Verba uncis inclusa Modius de coniectura addidit, nam desunt in omnibus libris et manuscriptis et ante illum excussis. Neque ego iis carere nos posse censeo; immo verisimile est omittendi opportunitatem dedisse quae sequuntur *si forte*.

§. 3. *vereri se ne-efferretur*] Vulgo post Iun. *ne se - mentis affectu efferret*, sed edd. principes et codd. mss. omnes *se ne* (nisi quod Voss. 2 Bern. B Flor. GH *se se ne* habent); tum *mentis afferret* Bern. A a pr. m. Flor. A sine verbo *affectu*, quod etiam a Leid. Voss. 1 et Modii Colon. abesse traditur, *efferrebat* Flor. H, *efferretur* Bern. B. Hoc probavi et recepi, quamvis coniectura veteris librarii natum videretur, sed facile tamen ac saepe in terminationibus verborum adhibenda. Eandem Freinshemius excogitaverat, quamquam transpositionem vocabulorum *ne se* magis probavit. *Affectu* autem excidisse in libris alioquin probis propter vicinitatem similis verbi videtur. Prorsus ineptiunt Pal. 1 olim collatus et Flor. DEFI qui pro verbis *ad sidera inani ac puerili mentis affectu* haec habent *ea quae possederat inanibus ac puerilibus liniamentis*, quae tamen nihil aliud sunt nisi vanum experimentum loci omisso verbo *affectu* corrupti restituendi.

§. 4. *inter angustias*] Sic omnes libri mss.: vulgo editi *in angustiis*.

Euphraten, *Tigrim*, *Araxen*, *Hydaspen* scripsi sicut optimorum librorum mss. fides postulat. Constat enim

magna munimenta regni sui. Veniendum in campos, ubi paucitate suorum erubescendum sit. Mediam, Hyrcaniam, 5
Bactra, et Indos Oceani accolas quando aditurum? ne Sogdianos et Arachosios nominem, ceterasque gentes ad Caucasum et Tanaim pertinentes. Senescendum fore tantum terrarum vel sine proelio obeunti. Se vero ad ipsum vo- 6
care desineret, namque illius exitio se esse venturum. Ale- 7
xander his, qui litteras attulerant, respondit, Dareum sibi aliena promittere, et quod totum amiserit velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ionas, Aeolidem, Hellesponti oram, victoriae suae praemia. Leges autem a victoribus dici, accipi a victis. In utro statu ambo essent, si solus ignoraret, quamprimum Marte decerneret. Se quoque, cum 8
transiret mare, non Ciliciam, aut Lydiam, (quippe tanti

nomina barbarica, quae apud Graecos in ης Gen. ου terminantur, accusativum apud Latinos scriptores, quamvis ceteroquin tertiam declinationem sequantur, in *en* formare. Itaque quoniam h. l. certum est *Araxen*, etiam V, 17 et VII, 14 eandem formam ex paucioribus libris revocavi. *Tigrin* quod Snak. de more suo scripsit unus Flor. G habet. Idem Snak. retinuit posthac *Tanaim*, quod mss. fides postulat, itemque *Persepolim*. Iam ad rem quod pertinet, quid est quod Curtius Hydaspen inter munimenta regni Persici commemorat, cum is post Indum extra fines Persicos manet? Dicit quidem Vergilius Georg. IV, 210 *Medum Hydaspen*, sed poëtica libertate *Medum* de ultimo oriente appellans. Putamusne Dareum mentitum esse falsoque gloriatum, an Curtium veritatis securum amnem, in cuius transitu multum laborasse Macedones sciret, iam hoc loco inter impedimenta expeditionis commemorasse? Sic equidem censuerim, nam de corrigendo nomine substituendoque *Choaspe* (quod Cellarius temptavit) aut *Idaspe*, quod nomen ex corrupta codicum scriptura V, 8 pro Choaspe invenit Valchius in ephem. litt. Hal. anni 1829 p. 139, nihil est.

§. 5. *Mediam, Hyrcaniam* cet.] Omnes libri mss. et olim editi *in Mediam*, sed apparet eam praepositionem insequenti littera *m* natam esse. Paulo post in codd. et antiquis editionibus *ne Sogdianos et Arachosios nominem* legitur, quod recte se habet neque ita mutari debuit, ut omni fide posthabita pro *ne* scriberetur *vel*, et librorum nonnullorum mendum *nomine* adiectis vocibus *tantum notos* adiuvaretur. Hoc quidem excogitavit Aldinus editor, *vel nomine tantum notos* primus dedit Hadr. Iunius servavitque cum reliquis etiam Modius. Prima persona utitur scriptor paulo inconsideratius, sed nihil aliud volebat dicere nisi: omissa reliquarum gentium mentione.

§. 6. *se esse venturum*] *Se* addidi iussu Bern. utriusque et Flor. praeter I omnium. Snak. de suis codd. auctorem non commemorat nisi Leidensem.

§. 7. *Alexander his qui*] Vulgo inepte *iis illis qui*, coniuncta duplici lectione. Sic tamen Flor. A, ceteri *hiis* aut *his qui*.

et quod totum amiserit] Sic omnes libri nostri; vulgo omittitur *et*.

Lydiam, Ionas] Non ausus sum librorum mss. fide deserta *Ioniam* scribere cum vulgatis inde a Iunio edd. (Princeps enim *Ionidas*, Aldus *Ionas*). Potest enim etiam h. l. quod saepe alibi gentis nomen pro terra collocari, quamquam huius quidem nominis nullum mihi exemplum suppetit praeter VI, 7 *Ionas, Aeolidem servitio exemimus*.

§. 8. *cum transiret mare*] *Transisset*

belli exiguam hanc esse mercedem,) sed Persepolim caput regni eius, Bactra deinde, et Ecbatana, ultimique Orientis oram imperio suo destinasse. Quocunque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse.

Reges quidem haec invicem scripserant. Sed Rhodii 22 urbem suam portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat, Philota regioni circa Tyrum iusso praesidere. Syriam, quae Coele appellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, bello quod supererat interfuturus. Rex, Hephaestione Phoenices oram classe praetervehi iusso, ad urbem Gazam cum omnibus copiis venit.

Iisdem fere diebus sollemne erat ludicrum Isthmiorum, 1 quod conventu totius Graeciae celebratur. In eo concilio Graeci, ut sunt temporaria ingenia, decernunt, ut quindecim legarentur ad regem, qui ob res pro salute ac libertate

vulgo, nostrum in Bern. A Flor. ABD GI Leid. Cetera deteriorum librorum monstra dudum explosa in appendicem reieci.

imperio suo destinasse] Miror unde in principes editiones venerit *suo*, quod abest a Snakenburgii codd., utroque Bern. et Florentinis praeter AB omnibus. Non magnopere desiderarem, sed Florentini optimi satis opinor tuebuntur.

Cap. 22, §. 9. *haec invicem scripserant*] Sic omnes libri veteres, vulgo *invicem haec* ordine mutato.

bello quod supererat interfuturus] Omnes libri veteres et olim editi *ab illo quod supererat iter facturus*, aut *iter futurus* Flor. DFI, peius *facturus iter* Flor. CFH Bern. B. Felix quamquam non difficilis emendatio: Modii *bello interfuturus*, nam Colonienses eius membranae *interfuturum*, Sigebergensis optimus liber *interfuturis* dicuntur praestitisse, quibus lectionibus tuta via ad reliqua monstrabatur.

§. 10. *Phoenices oram*] Ridiculum quod recentiores editores veterem mendam complexi sunt *Phoenicis:* quid enim certius esse potest illa emendatione Aldini editoris? Unus tamen Flor. G quasi verum subodoratus *Phoeniciae*, quae forma nominis postremam Latinitatis aetatem sapit, vide Drak. ad Liv. epit. libri CI. Mox *Gazan* edidit Snak., habet de meis libris unus Bern. A. Cf. ad c. 26.

§. 11. *Graeci ut sunt temporaria ingenia*] Sic plane Modii membranae et Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, quod cur Modio minus probatum fuerit non intelligo, nam sive *eorum* subintelligas, sive in universum dictum existimes de hominum variis ingeniis, nihil inest difficile. Quod vulgo editur *ut sunt Graecorum* in nullo codice legitur, nam Flor. EH Bern. B *ut sunt Graecis*, C *ut sunt Graeci*, DFGI autem ut edidimus. Sed hi omnes et editiones ante Modium pro *temporaria* exhibent *temporalia*, vocem non huius significationis: *temporarium* enim est ad tempus accommodatum, *temporale* quod per aliquod temporis spatium durat.

ut quindecim legarentur] Vulgo *duodecim*, sed quod nos ex Leid. Voss. 1 Flor. ADFGI edidimus Curtium cum Diodoro XVII, 48 conciliabit. Agebatur illud festum aestate a. 332 a Chr., qua eadem aestate Olympias 112 celebrabatur.

pro salute ac libertate Graeciae] Sic Bern. A et Flor. ABEFGI cum Leid. Voss. 1, vulgo *pro salute Gr. ac libertate.*

Graeciae gestas coronam auream donum victoriae ferrent. Iidem paulo ante incertae famae captaverant auram, ut quocunque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. 12

23 Ceterum non ipse modo rex obibat urbes, adhuc iugum imperii recusantes, sed praetores quoque ipsius, egregii duces, pleraque invaserant. Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam; Balacrus, Hydarne Darei praetore superato, Miletum cepit: Amphoterus et Hegelochus centum saxaginta navium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in dicionem Alexandri redegerunt. Tenedo quoque recepta, Chium, incolis ultro vocantibus, statuerant occupare: sed Pharnabazus, Darei praetor, comprehensis qui res ad Macedones trahebant, rursus Apollonidi et Athenagorae, suarum partium viris, urbem cum modico praesidio militum tradit. Praefecti Alexandri in obsidione urbis perseverabant, non tam suis viribus, quam ipsorum, qui obsidebantur, voluntate. Nec fefellit opinio. Namque inter Apollo- 13 14 15 16

§. 12. *quocunque pendentes animos tulisset fortuna* post Modium ex emendatione Palmerii editur. Libri veteres et *animus* et *fortunam* exhibent, unus Bern. B *animos*, Pal. 1 *animis*. Mihi quidem verum vidisse videtur doctus ille Gallus.

Cap. 23, §. 13. *adhuc iugum imperii recusantes* omnes libri mss., editi *imp. iug. adhuc rec.* Post aliquantum item omnes *Hydarne Darei (s. Darii) praetore;* vulgo *Idarne pr. Darii.* Apud Arrianum VII, 6, 7 Ὑδάρνης et Ὑδάρτης legitur.

Miletum cepit] Sic Flor. DEFGI, ediditque primus Hadr. Iunius, cum in principe fuisset *duo milia militum cepit*, in Aldina autem mendose *superato Hegelochus Amphoterus et Miletum cepit.* Nimirum *Miletum*, cum *militum* legeretur, ea ludibria scripturae provocavit, quibus optimi alioquin codices contaminati sunt: *duo militum* aut *II militum* (i. e. duo milia), *duos militum*, adeo *II duos militum* (ut Bern. A Flor. A Leid.)

§. 14. *Tenedo quoque recepta Chium* cet.] Optima ac felicissima haec est I. Fr. Gronovii emendatio, Observ. II, 8. Codd. enim *Tenedon quoque receptaculum*, quod ut intelligeretur, *hostium receptaculum* princeps scripsit. Iunius deinde cum Chii insulae mentionem fieri necesse videret esse (cf. Arrian. II, 2, 4), addidit *statuerant et Chion occupare*, id quod etiam Modius servavit cum *hostium* nomen rursus eiecisset. Sed Gronovii sagacitas omnia praeclare constituit.

§. 15. *ad Macedones*] Editiones quae auctoritatem habent variant, nam *Macedonas* Iun. Mod. Snak., *Macedones* Aldina et Freinsh., sed codices h. l. nostri quidem omnes praeter Bern. B *Macedones* habent, itemque Snakenburgii Leid. Voss. 2. Mox *Athenagorae* itemque §. 17 *Athenagora* pro vulg. *Athanagorae* dedi propter codd. mss. in altero certe loco consensum.

§. 16. *non tam suis viribus*] Ablativus hic est causae. Sensus est: movebantur ut obsidionem continuarent, non tam quod viribus abundarent, sed quod id volebant illi ipsi qui obsidebantur.

Apolloniden] Sic cum Leid. Voss. 1 Bern. A et Flor. AB; vulgo *Apollonidem.*

niden et duces militum orta seditio irrumpendi in urbem occasionem dedit. Cumque porta effracta cohors Macedonum intrasset, oppidani, olim consilio proditionis agitato, aggregant se Amphotero et Hegelocho: Persarumque praesidio caeso, Pharnabazus cum Apollonide et Athenagora vincti traduntur, duodecim triremes cum suo milite ac remige, praeter eas triginta inanes, et piratici lembi, Graecorumque tria milia a Persis mercede conducta. His in supplementum copiarum suarum distributis, piratisque supplicio affectis, captivos remiges adiecere classi suae.

Forte Aristonicus, Methymnaeorum tyrannus, cum pi- 24
raticis navibus, ignarus omnium quae apud Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit, interrogatusque a custodibus quis esset? Aristonicum ad Pharnabazum venire respondit. Illi Pharnabazum quidem iam quiescere, et non posse tum adiri, ceterum patere socio atque hospiti portum, et postera die Pharnabazi copiam fore, affirmant. Nec dubitavit Aristonicus primus intrare, secuti sunt ducem piratici lembi, ac dum applicant navigia crepidini portus, obiicitur a vigilibus claustrum, et qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur: nullo ex his auso repugnare, omnibus catenae iniectae sunt, Amphotero deinde Hegelochoque traduntur. Hinc Macedones transiere Mitylenen, quam Chares Atheniensis nuper occupatam duorum milium Persarum praesidio tenebat: sed cum obsidionem tolerare non posset, urbe tradita, pactus ut incolumi abire liceret, Imbrum petit. Deditis Macedones pepercerunt.

Dareus desperata pace, quam per litteras legatosque 25

§. 18. *praeter eas triginta inanes*, supple triremes, ut opponantur illis milite ac remige instructis. Secutus autem sum Bern. A Flor. AB cum Leid. Voss. 1 ac Modianis libris. Vulgo *naves*, quod, quamvis explicari possit, minus tamen ad rem videtur aptum esse.

Cap. 24, §. 19. *apud Chium* pro vulg. *ad Chium* omnes libri mss., nisi quod *apud Tyrum* Bern. B Flor. EH Voss. 2.

§. 20. *postera die* uterque Bern., Flor. ABCEH et tres a Snakenburgio collati. Vulgo *postero*. Vide ad III, 31, 13.

§. 21. *nullo ex his auso*] Sic omnes libri mss., editi praeter Mod. *nulloque*. Ceterum habet Bern. A *is*, Flor. A *iis*, B uti solet *hiis*, ceteri *his*. Mox *Mitylenen* Bern. A Flor. ABD, deteriorum turba *Mitylenem*, quod perperam edebant ante Snakenburgium.

impetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum. Duces ergo copia- 2
rum Babyloniam convenire, Bessum quoque, Bactrianorum praetorem, quam maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. Sunt autem Bactriani inter illas gentes prom- 3
ptissimi, horridis ingeniis, multumque a Persarum luxu abhorrentibus: siti haud procul Scytharum bellicosissima gente et rapto vivere assueta semper in armis erant. Sed 4
Bessus suspecta perfidia, haud sane aequo animo in secundo se continens gradu, regem terrebat. Nam cum regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur.

Ceterum Alexander, quam regionem Dareus petisset, 5
omni cura vestigans, tamen explorare non poterat, more quodam Persarum, arcana regum mira celantium fide. Non 6

Cap. 25, §. 2. *Babyloniam convenire*] Nomen urbis in Flor. EGI habes *Babylonem*, itaque edidit Modius de coniectura opinor, certe non ex illis suis optimis, ut coniicio ex nostris et Snak. silentio. Vide ad III, 4, 2.

Bactrianorum praetorem quam maximo posset exercitu coacto] Vulgo editi *Bactr. ducem, perquam maximo posset exercitu coacto*, sed omittunt *ducem* optimi Leid. Voss. 1 Flor. AB Bern. A, et ambo verba *Bactr. ducem* Bern. B Flor. CEH. Tum Gronov. Observ. II, 8 iure in constructione superlativi cum *perquam* offendit, quam si quis excusare voluerit levi postremorum scriptorum auctoritate, ex. gr. Appuleii Metam. II, 25 *tucetum perquam sapidissimum* et Pomponii in enchiridio §. 44 (Dig. de orig. iur.) *perquam brevissimos libros reliquit* (vid. Ruddim. Inst. Tom. II p. 306 Stallb.), tamen verbum *posse* adiectum prorsus condemnabit. Itaque me quidem iudice rectissime Gronovius emendavit *Bactrianorum praetorem*, sicut satrapae saepe appellantur (et gentis quoque, cui praesunt, genitivo adiecto appellari possunt, ut *Susianorum satrapa* est V, 12 pr. et *praetor Bactrianorum* IX, 31, 10); *quam maximo posset exercitu coacto*, pro quo elegantius quidem ac de more suo Curtius dicere poterat *quanto maximo posset*, sed verum esse etiam illud ad III, 21 demonstravimus.

§. 3. *procul Scytharum — gente*] Edd. veteres ante Modium *procul a Scyth.* sicut Flor. DFGI et quod miror Voss. 1. Est autem contra Curtii morem, qui semper uno loco IV, 11, 24 excepto *procul* cum simplici ablativo coniungit.

assueta semper in armis erant] Sic et codicum fidem et rei veritatem tuebimur, nam locus ab editoribus, partim ut elegantiorem facerent, partim quod historiae sic putarent convenire, varie corruptus sic circumfertur: *assueti semperque in armis errant*. Ex his *semperque* a principibus editionibus propagatum, *errant* pro *erant* fecit Modius et quod miramur fere in deterioribus accidisse studiosos imitatores invenit, Tan. Faber denique etiam *assueti* correxit, quod Cellarius et Snakenb. receperunt. Verum Bactriani non *vivebant rapto*, sed et agros colebant ubi solum permittebat et diligenter pascebant: cf. ne longius abeam lib. VII, 18. Itaque ne *errabant* quidem in armis, sed utrumque hoc cum Scythis proprium esset, propter turbulentos vicinos bello exercitati erant.

netus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta. Venus disciplina regum silentium vitae periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura.

Ob hanc causam Alexander omnium, quae apud ho- 26
stem gererentur, ignarus, urbem Gazam obsidebat. Praeerat urbi Betis, eximiae in regem suum fidei, modicoque praesidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander, aestimato locorum situ, agi cuniculos iussit, facili ac levi humo acceptante occultum opus, quippe multam harenam vicinum mare evomit, nec saxa cotesque, quae interpellent specus, obstant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspicere non possent, opus orsus, ut a sensu eius averteret, turres muris admoveri iubet. Sed eadem humus movendis inutilis turribus, desidente sabulo agilitatem rotarum morabatur, et tabulata turrium perfringebat, multique vulnerabantur impune, cum idem recipiendis qui admovendis turribus labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona circumdari iussit. Ortoque sole, priusquam

§. 6. *magnam rem sustineri*] Additur in edit. princ. et plerisque codd. *magis sustineri*, quod cum Aldus omisisset restituit in contextum Modius. Ego nescio quid eo faciam, nam ni ponatur pro *amplius* i. e. postea, quod fieri non posse puto, sententiam corrumpet. Itaque reliquorum exemplo delevi, sed itor etiam Bern. A et Flor. C auctoritate.

Cap. 26, §. 7. *urbem Gazam*] Mirum uod. Snak. tradit, in manuscriptis esse *Gazan* sicut edidit. Ego in meis libris ihil eiusmodi sed scribarum aberrationem *Garam* e nonnullis enotatam inveni, ec rarissimam poëtarum formam induxeim. Sed paulo post omnes libri (a uorum consensu unum Voss. 1 errore besse puto) *praeerat urbi:* edd. *ei*, cilicet delicatae aures non ferebant reetitionem.

Betis] Hominem vocat Arrian. II, 25 Batim: *εὐνοῦχός τις, ᾧ ὄνομα ἦν Βάτις, κρατῶν τῆς Γαζαίων πόλεως.* Diodorus hanc historiae partem contrahens nullum nomen habet.

§. 8. *vicinum mare evomit*] Omnes libri mss. *evomens* pro verbo finito. Iam cogitet aliquis num participium subintellecto verbo finito capi possit; aliud enim nihil video. Mox *obstant* edidi plerosque veteres libros secutus pro vulg. *obstabant*. Miror hoc in Flor. AB inventum esse, cum Leid. Voss. 1 Bern. A cum reliquis *obstant* praeferant.

§. 9. *movendis inutiles turribus*] Sic pro *admovendis* Bern. uterque Flor. ABCDH et E a prima manu, item Leid. Voss. 1 et 2. Post pro *morabatur* in Bern. utroque, Flor. ABCH et Leid. Voss. 1. 2 *morata*, Flor. G a pr. m. *moratur*, corr. *morabatur* ut in rel. Flor.

§. 10. *postero die*] Unus Flor. C *postera*.

admoveret exercitum, opem deum exposcens, sacrum patrio more faciebat. Forte praetervolans corvus glebam, quam unguibus ferebat, subito amisit: quae cum regis capiti incidisset, resoluta defluxit, ipsa autem avis in proxima turre consedit. Illita erat turris bitumine ac sulphure, in qua alis haerentibus, frustra se allevare conatus, a circumstantibus capitur. Digna res visa, de qua vates consuleret: et erat non intactae a superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, urbis quidem excidium augurio illo portendi, ceterum periculum esse, ne rex vulnus acciperet: itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille, quamquam unam urbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obstare aegre ferebat, tamen paruit vati, signumque receptui dedit.

27 Hinc animus crevit obsessis, egressique porta recedentibus inferunt signa, cunctationem hostium suam fore

§. 11. *bitumine ac sulphure*] Merito quaerunt interpretes quam ob rem turris materie, quae ignem non defenderet sed conciperet, illita fuerit. Plutarcho quidem auctore c. 25 corvus ἔλαθεν ἐνσχεθεὶς τοῖς νευρίνοις κεκρυφάλοις, οἷς πρὸς τὰς ἐπιστροφὰς τῶν σχοινίων, ἐχρῶντο id quod longe verisimilius videtur. Sed si quid de Curtio, vel eius auctore potius, divinandum, fortasse is de instrumentis incendio in urbe excitando comparatis cogitavit, quae in summa turri collocata erant.

se allevare conatus] Duo codd. Flor. CH et Bern. B *conata*, quod erunt qui malint quoniam praecessit proxime *avis*: sed *corvus* tamen subiectum est praecipuum.

§. 12. *de qua vates consuleret*] Sic optimi libri, ceteri *consuleretur*, nullus certus auctor vulgatae *consulerentur*.

non intactae a superstitione mentis scripsi de coniectura Freinshemii a Nic. Heinsio probata. Nam libri omnes mss. *intacta a superstit. mentis* habent, editi autem inde a principe *intactus ea superst. mentis*. Sed nec intelligitur cur *illam* sive *eam* superstitionem dicat, nec *superstitio mentis* alibi coniungitur. Genitivus ponitur ut VIII, 20 extr. *in Callisthenen pervicacioris irae fuit* aut Liv. IX, 16 *ipse erat invicti ad laborem corporis*. Quodsi ablativum malueris *intactae superstitione mentis*, ut Livius dixit et alibi et V, 15 *vir haud intacti religione animi*, praepositionem *ab* non pro ablativo positam puto, sed de parte explico, i. e. quod attinet ad superstitionem, sicut Cicero in Bruto c. 66 aliquem *mediocriter a doctrina instructum dicit*.

periculum esse ne rex cet.] Adiicitur vulgo post esse *inquit* contra legem Latinitatis, quae in oratione indirecta aut *ait* aut *dixit* postulat. Sed abest illa vox ab omnibus libris mss., nec desunt exempla verbi omissi etiam ubi non ipsa quae quis dixerit verba referuntur, sed a scriptore narrantur. Sic lib. VII. 2, 12. Cf. Drak. ad Liv. lib. XXIII, 45, 6. Attigi in gramm. §. 772.

Cap. 27, §. 13. *Hinc animus crevit*] Multi bonique codd. (Voss. 1 Bern. A Flor. ABC) *hic*, sed permutatio facilis est.

suam fore occasionem] Hoc verbi ordine cum Leid. Voss. 1 omnes nostri. Vulgo *ore suam* minus eleganter.

occasionem rati. Sed acrius quam constantius proelium inierunt: quippe ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum. Iamque ad regem proeliantium clamor pervenerat, cum denuntiati periculi haud sane memor, loricam tamen, quam raro induebat, amicis orantibus sumpsit, et ad prima signa pervenit. Quo conspecto Arabs quidam Darei miles, maius fortuna sua facinus ausus, gladium clypeo tegens, quasi transfuga genibus regis advolvitur. Ille assurgere supplicem, recipique inter suos iussit. At barbarus gladio strenue in dextram translato, cervicem appetit regis: qui exigua corporis declinatione evitato ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio, denuntiato in illum diem periculo, ut arbitrabatur ipse, defunctus. Sed, ut opinor, inevitabile est fatum. Quippe dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est: quam per loricam adactam, stantem in humero medicus eius Philippus evellit. Plurimus deinde sanguis manare coepit, omnibus territis, quia non, quam alte penetrasset telum, lorica obstante, cognoverant. Ipse, ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem et vulnus obligari iussit. Diu ante ipsa signa vel dissimulato, vel victo dolore perstiterat; cum suppressus paulo ante sanguis medicamento, quo retentus

§. 15. *gladium clypeo tegens* omnes libri veteres; vulgo *clypeo gladium tegens* Item paulo post *at barbarus gladio* longe rectius quam *glad. barb.*

§. 18. *quia non quam alte penetrasset*] Optime sic cum Leid. Florentini AB, a qua lectione non multum discedunt hi in quibus *nunquam — penetrasset* (Flor. H Bern. B) Modius alios codd. secutus *quia quam alte penetrasset — non cognoverant* edidit, emendationem suam venditans quod ego in Flor. DFGI inveni. Cum utra lectione conspirent Bern. A Voss. 1 Flor E a pr. m. dici nequit, quippe in quibus sit *quia quam alte penetrasset — cognoverant* (Flor. E *cognoverunt*) omisso *non*. Quod vulgo editur *quia nunquam tam alte penetrasse — cognoverant* cum non sit nisi in uno Flor. C, tum ipsa sententia parum commendatur. Quidni enim alias telum alte in corpus per loricam adactum viderint et altius etiam quandoquidem haud dubie etiam occidi homines teli ictu soliti sunt. Itaque vulgata scriptura damnata dedi quod librorum alioquin probatissimorum auctoritate fulcitur. In quo si forte *non* nimis longo spatio a verbo diremptum reprehendas, similes alios locos collectos a Mützellio confer IV, 62, 24; VII, 28, 24; VII, 28, 27. Item III, 32 *nihil ille conspectu tum primum a se visi conterritus.*

ne oris quidem omnes libri veteres, sed etiam edit. pr., ut nesciam unde Aldinus editor quod deinde propagatum est ceperit *nec oris quidem*, nisi fuerit in codice qualis est Voss. alter, quem ex silentio Snak. coniicere debemus habere *nec*. At Modius correxerat.

§. 19. *quo retentus erat, manare longius coepit*] Restitui librorum veterum scripturam, quam primi statim editores ita correxerunt ut pro *longius*

erat, manare longius coepit, et vulnus, quod stupens adhuc dolorem non moverat, frigente sanguine intumuit. Linqui 20
deinde animo, et submitti genu coepit: quem proximi exceptum in castra receperunt. Et Betis interfectum ratus urbem ovans victoria repetit.

28 At Alexander, nondum percurato vulnere, aggerem, 21
quo moenium altitudinem aequaret, extruxit, pluribusque cuniculis muros subrui iussit. Oppidani ad pristinum fa- 22
stigium moenium novum extruxere munimentum, sed ne id quidem turres aggeri impositas poterat aequare. Itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. Ultima pestis 23
urbis fuit cuniculo subrutus murus, per cuius ruinas hostis intravit. Ducebat ipse rex antesignanos, et dum incautius subit, saxo crus eius affligitur. Innixus tamen telo, non- 24

scriberent *latius*. Modius deinde eiecit verba **haec** ***quo retentus erat***, tamquam **interpretationis causa** ei quod praecessit ***suppressus sanguis*** adscripta, invenitque imitatorem **Freinshemium**. Sed vide num sic interpretari possis ut intelligas: *sanguis quo magis retentus erat, eo manare coepit longius*. Sanguis enim cum effluere non posset, intra vulnus longius diffundebatur ac frigescens et dolore afficiebat Alexandrum et ut vulnus tumesceret efficiebat. Quod sequitur *et vulnus quod recens adhuc dolorem non moverat* videtur recte se habere nec ulla emendatione egere: verum ubi inveneris in edit. Modiana et optimis aeque ac plurimis codicibus Leid. Voss. 1 et 2 Bern. utroque Flor. ABCH et E a pr. m. non *recens* legi sed *stupens*, facile illud inusitatae vocis complementum esse suspicabere. *Vulnus* autem *stupere* quin recte dici possit equidem vix dubitaverim, quasi quod diductis labris et aperto ore hiat: nam quod liquores *stupere* dicuntur cum immobiles fiunt, huc non rettulerim, ubi non de sanguine sed de vulnere agitur. Acidalius olim non male correxisse mihi videbatur *tepens*, veruntamen non tepet vulnus, sed sanguis.

§. 20. *submitti genu* Gronovius Obs. II, 8 p. 210 ed. Lips. defendit adversus Rutgersii coniecturam *subniti*, recte, estque ea coniectura prorsus inutilis. *Submittit* genua ex gr. elephantus cum sessorem recipit, et *se submittit* (vide Curtium VIII, 50 coll. VI, 17) et *submittitur* qui in terram se inclinat aut procumbit; putatque Gronovius *genu* cum verbo passivo sic dici ut Suetonii illud *dextrum genu lapide ictus*, sed interest tamen aliquid quoniam non partem sed quasi instrumentum intelligimus, ut *genu* ablativus habendus sit, sicut ipse Gronovius Lucretium I, 93 de Iphigenia laudat: *muta metu terram genibus submissa petebat*. Tum pro eo, quod in libris omnibus est, *quem proximi exceptum — receperunt* Acidalius coniecerat *cum — receperunt*, idque ego olim in textum receperam: nunc mutata sententia veterem scripturam restituo: nam relativum facile etiam rei consequentiam significat, ut paulo post c. 29, 4.

Cap. 28, §. 21. *pluribusque cuniculis*] Vulgo *et pluribus* quod est in Flor. C; *et plurimis* Flor. EH Bern. B habent, reliqui et plures et meliores quod edidimus.

§. 22. *poterat aequare* omnes libri veteres; item aliquanto post omnes *vulnera acceperat*. Utroque loco in editis praeter Mod. verborum ordo invertitur. Sequitur §. 25 *deseruerunt*; pro quo editi quidem habent *deseruerant*; nec hoc damnaverim quoniam sequitur *capessebat*, sed librorum tamen mss. constans auctoritas videtur esse praeferenda.

dum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat, ira quoque accensus, quod duo in obsidione urbis eius vulnera acceperat. Betim, egregia edita pugna, multisque vulneribus confectum, deseruerunt sui, nec tamen segnius proelium capessebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. Sed cum undique telis *** quo adducto, insolenti gaudio iuvenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, *non ut voluisti*, inquit, *morieris, sed quicquid in captivum inveniri potest, passurum esse te cogita.* Ille non interrito modo, sed contumaci quoque vultu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit vocem. Tum Alexander, *videtisne obstinatum ad tacendum?* inquit. *Num genu posuit? num vocem supplicem misit? Vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.* Ira deinde vertit in ra-

§. 26. *sed cum undique telis* xxx] Locus olim ex deterioribus codd. (Flor. quidem DEFI) sic edebatur: *sed cum undique telis est circumductus insolenti* cet. (Flor. G *circumdatus quasi ductus* sed deletis his postremis duobus verbis.) Modius, eiectis multis in quibus ne suspicio quidem ulla haeret, sic se restituisse gloriatur: *cum undique telis circumductus Alexander, alias virtutem etiam in hoste miratus, non, ut voluisti, inquit, morieris, Baeti.* Sed cum in optimis codd. (et aliis nonnullis ut Flor. CH Bern. B) post *telis* legatur *quo ducto*, longe praestat Freinshemii sententia, locum mutilum supplendum esse: sed cum undique telis *peteretur, ad postremum exhaustis viribus, vivus in potestatem hostium pervenit, quo adducto* cet. Quod sequitur *virtutis — mirator*, sic prorsus legitur in utroque Bern. et Flor. ABCH et Snak. libris, ceteri *virtutes — imitatur* (Flor. DEFI) aut *virtutes — miratur* ut Flor. G et edit. princeps et Aldina, deinde autem omnes hi *Tunc inquit Alexander, non ut voluisti* (G autem *Tunc Alexander non ut voluisti inquit*). Iuniana primum melioris scripturae vestigia habet: *virtutem — miratus, Tunc inquit, Non ut voluisti. morieris sed quicquid in capt. inveniri potest*] Additur vulgo e codd. deterioribus *morieris Beti* et *quicquid tormentorum.* Nos in omittendis istis verbis secuti sumus Bern. A et Flor. AB ac Sigebergensem Modii alioque multos.

§. 28. *vocem supplicem* omnes libri nostri: vulgo inverso ordine.

gemitu interpellabo i. e. interrumpam: si te cogere non potero ut supplex misericordiam meam implores, certe ne pertinaciter sileas perficiam. Modius magno cum strepitu, ut solet, et h. l. et VI, 5, 5 relicta codicum auctoritate *interpolandi* verbum huic nostro substituit, falsa ut videtur opinione de discrimine eorum concepta. Nam *interpolari* non dicitur nisi quod in novam formam mutatur, silentium autem cum expresso gemitu interrumpitur non iam silentium est. Sed annoto tamen *interpolabo* h. l. legi non quidem in ullo ms. de nostris, nec in principe edit., sed in Ald. et Iuniana. De ellipsi post *si nihil aliud* vide Drak. ad Liv. 30, 35 et nostram gramm. §. 771.

§. 29. *ira vertit in rabiem* edidit primus Modius ac deinde Freinshemius, codicibus mss. quantum intelligo non consentientibus (quid enim opus est quod Snakenb. de tribus, ego de undecim testamur Casp. Barthii commemotione cuiusdam schedae Coloniensis convellere?), sed tamen ex usu sermonis Latini. Neque enim dici posse puto *iram* i. e. suam *in rabiem vertit* quoniam hoc non est voluntatis. De *vertendi* significatione neutrali quae dicitur abunde constat: sic Curtius VII, 1 *invidia in miseri-*

biem, iam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora traiecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi: gloriante rege, Achillen, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse poena in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumque circa 30 decem milia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certe non tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis.

Qui Aegyptum adire festinans, Amyntan cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. Namque etiam secundis atterebantur copiae, 31 devictarumque gentium militi minor quam domestico fides habebatur.

29 Aegyptii, olim Persarum opibus infensi, quippe avare VII et superbe imperitatum sibi esse credebant, ad spem adventus eius erexerant animos, utpote qui Amyntam quoque transfugam, et cum precario imperio venientem, laeti recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, qua intraturus videbatur, convenerat. Atque ille septimo die postquam a Gaza copias moverat, in regionem Aegypti, quam nunc Castra Alexandri vocant, pervenit. Deinde, pedestribus 2 copiis Pelusium petere iussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est: nec sustinuere adventum eius

cordiam vertit pro eo quod est *vertitur*, sicut V, 12 *ira deinde in rabiem versa eminentia saxa complexi — conabantur ascendere.*

§. 29. *Achillen* pro *Achillem* Bern. A Flor. AB. Leid. Voss. 1, quamquam *Achillem* VIII, 16, 26 constanter libri mss. tuentur. Item post *Amyntan* iidem fere codd. praeter Flor. B, sed in seq. cap. nulla varietas.

§. 31. *namque etiam secundis atterebantur*] Addunt vulgo *proeliis*, sed vocem illam omnes libri nostri et qui a Snak. collati sunt ignorant, unde non incerta interpolationis suspicio oritur. *Secunda* pro rebus secundis dicuntur, vide lex. et cf. Liv. XXVIII, 11 *cum omnium secundorum adversorumque causas in deos verterent.* Sed annotandum in Bern. A a pr. m. Leid. Voss. 1 adiici *tamen* post *atterebantur*: tradit etiam in Flor. Heinsii sic inventum esse Snakenburgius, cui fidem habere non possum. Nec utique placet h. l. *tamen*, quod oppositio non sit qualis ex. gr. VII, 35 *etiam in pace belli tamen iura servantur* et magis etiam alibi.

Cap. 29, §. 1. *esse credebant*] Ultimum verbum tamquam a mente auctoris alienum eiecit Modius, non enim credidisse tantum, sed certo sibi persuasisse. Verum non haec causa est sed ineptum *βραχυλογίας* studium, quo in tales enuntiationes Modius grassatur. Vide ad III, 6, 6.

§. 2. *qua intraturus videbatur*] Addunt vulgo *rex*, etiam quod miror Modius, nam in libris mss. omnibus deest et potest intelligi ut saepissime in hac omni historia intelligitur. Deinde *post-*

ae, defectione quoque perterriti. Iamque haud procul phi erat; in cuius praesidio Mazaces praetor Darei re-s, Heroon amne superato, octingenta talenta Alexandro emque regiam supellectilem tradidit. A Memphi eodem ine vectus, ad interiora Aegypti penetrat; compositis-rebus ita, ut nihil ex patrio Aegyptiorum more muta-adire Iovis Hammonis oraculum statuit. Iter expedi-quoque et paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra oque aquarum penuria est, steriles harenae iacent, quas vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia, lerabilis aestus existit. Luctandumque est non solum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo lo, quod praealtum et vestigio cedens aegre moliuntur

librorum mss. auctoritate prae-ur, non *posteaquam*.

4. *Mazaces praetor — Heroon* Coniecturas hominum doctorum tum recepimus, de quibus ratio nda est. Nomen praetoris est es in plerisque mss. et in editt. *staces* in Flor. F, *sthaces* in Flor. *stace* in Flor. A Voss. 1 Bern. A m., *astases* in Flor. EH Bern. B, es in Flor. C. Raderus primus *Mazaces*, ut esset idem qui Amyn-ecciderat supra c. 5. Ego in priore ne *Satazes* scripseram, quod pro-accedere videretur ad mss. essetque n praetoris Aegypti a Dareo insti-eod. cap. 5. Eum quidem Amyn-ad Issum cecidisse vulgaverat, sed n auctorem mentitum esse putabam facilius provinciam occuparet. Nunc n redeo ad Raderi coniecturam, m quia Curtius supra non dixit itum esse Amyntam, partim quia nus III, 1 Mazacen tradit Ale-ro provinciam tradidisse, quamquam puto Arrianum minus accuratum quod Mazacen satrapam Aegypti it a Dareo institutum esse, qui a Satacis vicarius fuerit. Tum omnes *Oron amne*, pro quo s et reliqui fere *Orio* dederunt. verisimilius nihil censeo quam quod niederus invenit, esse *Heroon amnem* canalem qui ex Pelusiaco Nili bio per lacus usque ad sinum Ara-m prope *Heroonpolin* deductus erat. Ἡρώων πόλιν in ea parte Aegypti, quae ad Arabiam pertinet, commemorat Strabo XVI, p. 803 et Arrianus III, 5. Aspirationem in Graecis nominibus fere omitti in codd. Curtianis constat. Quodsi Mazaces cum thesauris solito more quam longissime regi obviam ivit, potuit ei circa urbem Bubastum occurrere.

§. 5. *ad interiora Aegypti*] Si comparaveris c. 33, 3 non poteris haec *interiora* de superiore Aegypto explicare, neque enim eam terrae partem adiit Alexander. Nilo devectus est usque ad Mareotin et ab Hammone Memphin reversus Aegyptum reliquit.

Iovis Hammonis] Apud Graecos constat esse *Ammonem*, sed sequenda est Latinorum consuetudo (vid. Schneid. Elem. L. L. p. 193) et codicum mss. auctoritas, quorum optimi ac plurimi et h. l. et post aspiratam habent, nisi quod hcc uno loco Bern. A a pr. m. habet *Ammonis*, ut Flor. GH, *amonis* Flor. E Bern. B, *hamonis* Flor. F.

§. 6. *exurente vestigia*] Codd. omnes *et urente*, sed illud quod recte emendatur iam in principe Vindelini editione extat. Paulo post pro *existit* in plerisque codd. et edit. principe legitur *exurit*, mendose. Correxit Aldus et inventum est *existit* in Flor. A et Leid. Voss. 1 (si Snakenburgio silenti fides habenda). In Bern. A extat quidem *exurit*, sed fuisse videtur *existit* antequam verbum rasura correctum est.

§. 7. *non solum*] Sic meliores sed

pedes. Haec Aegyptii vero maiora iactabant. Sed ingens 8
cupido animum stimulabat adeundi Iovem, quem generis sui
auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat
esse, aut credi volebat.

30 Ergo cum his, quos ducere secum statuerat, secundo 9
amne descendit ad Mareotin paludem. Eo legati Cyrenen-
sium dona attulere, pacem, et ut adiret urbes suas, po-
tentes. Ille, donis acceptis, amicitiaque coniuncta, destinata
exequi pergit. Ac primo quidem et sequente die tolerabi- 10
lis labor visus, nondum tam vastis nudisque solitudinibus
aditis, iam tamen sterili et emoriente terra. Sed ut ape- 11
ruere se campi alto obruti sabulo, haud secus quam pro-
fundum aequor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla 12
arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam
defecerat, quam utribus cameli vexerant, et in arido solo
ac fervido sabulo nulla erat. Ad hoc sol omnia incenderat, 13
siccaque et adusta erant ora: cum repente, sive illud deo-
rum munus, sive casus fuit, obductae coelo nubes condi-
dere solem, ingens aestu fatigatis, etiamsi aqua deficeret,
auxilium. Enimvero, ut largum quoque imbrem excusse- 14
runt procellae, pro se quisque excipere eum, quidam ob
sitim impotentes sui, ore quoque hianti captare coeperunt.
Quatriduum per vastas solitudines absumptum est. Iamque 15
haud procul oraculi sede aberant, cum complures corvi

simul etiam numero plures codd. (Flor. AB et DFGI) pro vulg. *non tantum*.

Cap. 30, §. 9. *ad Mareotin paludem* et plures et meliores codd. pro terminatione Latina *Mareotim*.

§. 10. *sequente die*] Sic longe plurimi codd.: *sequenti* quod in editis est de nostris unus Flor. G habet, de Snak. libris (si fides silenti) Voss. uterque.

§. 12. *cameli vexerant*] Editur vulgo *devexerant*; ego librorum mss. consensum sequor.

§. 13. *ad hoc* Bern. A Flor. ACDFI Leid. Voss. 1, 2, et sic fere solet hic scriptor, non ut vulgo editur *ad haec*. Cf. IV. 47, 4, V, 15, 24. Uno loco III, 25, 7 *Victor ad haec Atheniensium Philippus pater invocabatur* a consuetudine discedit. Etiam Sallustius, ubi est pro *praeterea*, nunquam *ad haec* sed *ad hoc* habet: cf. Cortium ad Catil. c. 44. Apud Livium Drakenb. ubique *ad hoc* restituit, quem vide ad l. I br. XXI, 52.

adusta erant ora Bern. A Flor. AB, item DFI quorum fide minus utor. Vulgo editur *omnia*, inepte, praesertim cum id ipsum paulo praecesserit. In edit. Snakenb. confusio quaedam variantium est, neque enim prius illud *omnia* in mstis variatur.

§. 14. *excipere*] *excepere* Flor. BCH Bern. B, etiam in Bern. A sic correctione effectum est. Mox *hiante* Flor. H Bern. B nullius fidei libri: scripsit tamen Modius.

agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes, et modo humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis levabant, antecedentium iterque monstrantium ritu.

16 Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. Incredi-31
bile dictu, inter vastas solitudines sita, undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est, multique fontes, dulcibus aquis passim manantibus, alunt
17 silvas. Coeli quoque mira temperies, verno tepori maxime
18 similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolae sedis sunt ab oriente proximi Aethiopum. In meridiem versam Arabes spectant, Troglodytis cognomen est: horum

§. 15. *antecedentium* non est in optimis codd. sed eius loco *cedentium;* quin etiam cum in codicibus Flor. E et Bern. B *praecedentium* legatur videri possit et *anteced.* et *praecedendi* verbum ex emendatione tantum ortum, verum potuit corruptelae locum praebere extrema syllaba praegressi verbi *aut*, certe *cedentium* h. l. nihil est.

Cap. 31, §. 16. *solitudines sita*] Omnes codd. et edd. vett. *ita*, quod annoto ut in simili ratione aliquis habeat quo utatur. Coniungebatur verbum cum insequentibus, sed postquam semel Acidalius *sita* correxit, nemo non quid rei esset intellexit.

§. 17. *verno tepori maxime similis*] Optime Flor. AB et Voss. 1 manum auctoris servarunt corruptioni obnoxiam (cf. hoc cap. §. 22, v, 13, 9, vi, 13, 22). Vulgo enim omnes *tempori*, quod et vulgare est neque sane apte *temperiei* adiungitur. *Tepor* contra optime convenit veri: Plin. nat. hist. xvii, 24 (37) §. 222 *pruina verno tepore invitatis et erumpere audentibus insidet*, et alter Plinius ep. ii, 17 pr. *armenta herbis et verno tepore nitescunt.*

§. 18. *accolae sedis sunt*] Scriptor situm regionis Ammoniae a populis circumiacentibus definiturus auctorem Graecum exprimit, quem eundem sed correctione adhibita Diodorus xvii, 50 secutus videtur: *τὴν ἱερὰν τοῦ θεοῦ περιοικοῦσι κατὰ μὲν τὴν μεσημβρίαν καὶ δύσιν Αἰθίοπες, κατὰ δὲ τὴν ἄρκτον Λιβύων νομαδικὸν ἔθνος καὶ τὸ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνήκον τὸ τῶν Νασαμώνων ὀνομαζόμενον ἔθνος.* Ab oriente Aegyptii sunt, sed Curtius *proximos Aethiopum* (i. e. si ad semet ipsi referuntur, extremos) nominat. Tum a meridie accolas nominaturus secundum vulgatam scripturam ait: *in meridiem versus Arabes spectant.* At non quam coeli regionem Arabes spectent, sed quam partem Ammonicae terrae spectent sive attingant dicendum erat. Atque id efficitur si *versam* restitueris, quae lectio est et optimorum et plurimorum codd. mss., utriusque Bern. Flor. ABCH et Snak. trium. Contra *in meridiem versus* legitur in Flor. FI et edit. Mod., *versi* in Flor. G et edit. princ. Ald. Iun., *versum* in Flor. DE Palat. 1. Hoc et ipse dederam in priore editione, quia propius quam *versus* accedere putabam ad codicum meliorum scripturam. Nunc nihil nisi illorum fidem sequor. *Troglodytas* hosce Arabes appellat, ut recte correxit Aldus, nam in codd. *tragoditis* est aut *trogoditis*. *Horum* (sic omnes mss. nostri et edd. vett., non quod nunc circumfertur *quorum*) *regio usque ad rubrum mare excurrit:* sane quam longe, nec opinor aliam ob causam quam quod vera Troglodytice ad sinum Arabicum est. Tum pro eo quod est in editis *ad occidentem*, ambo Bern. et Flor. ABCH *ad occidentalem* mendose et male repetito insequenti vocabulo. Denique *Scenitas* dedi de coniectura Aldini editoris et Raderi ab reliquis editoribus probata: codd. *Simuos*, Bern. B. Flor. H *Simios*, Voss. 1 *Simnos*, ed. pr. *Symnos*.

regio usque ad rubrum mare excurrit. At qua vergit ad 19
occidentem, alii Aethiopes colunt, quos Scenitas vocant. A septemtrione Nasamones sunt, gens Syrtica, navigiorum spoliis quaestuosa; quippe obsident litora, et aestu destituta navigia notis sibi vadis occupant. Incolae nemoris, 20
quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis habitant, medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum. Prima 21
munitio tyrannorum veterem regiam clausit: in proxima coniuges eorum cum liberis et pellicibus habitant; hic quoque dei oraculum est: ultima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. Est et aliud Hammonis nemus: 22
in medio habet fontem, (Solis aquam vocant:) sub lucis ortum tepida manat, medio die, cuius vehementissimus est calor, frigida eadem fluit, inclinato in vesperam calescit, media nocte fervida exaestuat, quoque nox propius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. Id, quod pro 23
deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt: umbilico maxime similis est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus. Hunc, cum re- 24

§. 22. *est et aliud*] Vulgo *est etiam aliud*, sed *et* in libris mstis meis quidem omnibus et in Leid. legitur. (In Voss. 1 et edit. Mod. omittitur.) Postea *solis aquam*, verborum ordine inverso, quam vulgo, optimi, deteriores (Flor. DFGI) etiam pronomen addunt *quem solis aquam vocant*. Hoc ipsum voluerat Cellarius oblitus aliorum locorum ut cap. 8 *Harpagonas vocant*, III, 30 *gazam Persae vocant*, V, 10 *Pasitigrim incolae vocant*. Fontis admirabilitatem nemo non veterum geographorum post Herod. IV, 180 descripsit.

cuius vehementissimus est calor] Sic plerique libri veteres, nisi quod Flor. H Bern. B *quando* pro *cuius* habent; editur tamen *cum vehementissimus est calor*. Item quod sequitur *quoque nox propius* sic legitur in codd., cum vulgo sit *quoque propius nox*.

§. 23. *id quod*] Sic unus Bern. A, reliqui codd. nostri et Snakenb., omisso *quod*, *id* tantum servant.

umbilico maxime similis est habitus, sive eius forma, species. Nulla in libris meis varietas est, resque ipsa satis iam videtur certa priscas gentes lapides coelo delapsos, rotunda fere omnes forma, pro diis coluisse. A quo tamen quasi ipso deo sive numinis pignore eiusdem *effigies* ad similitudinem humanae formae expressa iure discernitur. Verum Tacitus quoque Hist. II, 7, 3 de *forma* Veneris Paphiae exponens ait: *simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exurgens*. Hammonis hoc simulacrum cum aliis gemmis tum smaragdo coagmentatum erat, i. e. extrinsecus contectum, ut Diodorus l. l. ait τὸ τοῦ θεοῦ ξόανον ἐκ σμαράγδου καί τινων ἄλλων περιέχεται. Ceterum Bern. A Flor. AB *zmaragdo:* vide Schneid. Elem. L. L. p. 381. *Coagmentatus* recte editur inde a pr.; sed Bern. A Flor. A *coacmentatus*, Flor. BDFH Bern. B *coaugmentatus* a pr. m. et Flor. G sic corrigit cum fuisset *coagmentatus*, Flor. C *coamentatus*.

ısum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis nteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus: ıuntur matronae virginesque, patrio more inconditum ldam carmen canentes, quo propitiari Iovem credunt, ;ertum edat oraculum.

Ac tum quidem regem propius adeuntem maximus32
ı e sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi paren-
. Iovem reddere affirmans. Ille se vero et accipere ait,
agnoscere, humanae sortis oblitus. Consuluit deinde,
totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater? Aeque
adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore
;ndit. Post haec institit quaerere, an omnes parentis
interfectores poenas dedissent. Sacerdos parentem eius
at ullius scelere posse violari, Philippi autem omnes
;e supplicia: adiecit, invictum fore, donec excederet ad
ȝ. Sacrificio deinde facto, dona et sacerdotibus et deo
ı sunt, permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent
;m. Nihil amplius quaesierunt, quam an auctor esset

p. 32, §. 25. *Ac tum*] Sic longe ıs quam quod vulgo editur *at tum* i Bern. A Flor. ABCDFGI et Leid. 2 Snakenburgii cum Modiana me.

accipere ait et agnoscere] Elegan- hanc verborum collocationem om- nostri codd. praestant, ut dubitari ide nequeat, quamquam Snak. de libris silet. Edit. pr. *ille se vero t acc. et cognoscere.* Hoc *cogno-* , quod est in Flor. EH Bern. B, ıit Aldus, ordinem verborum et et reliqui praeter Modium reli- nt.

26. *aeque in adulat. compositus*] tellige ex praegressis sacerdotis a, ut *aeque* ad prius illud respon- pertineat, quo item adulatorem stenderit. Codd. plerique vocem huc trahunt, interpunctione maiore *destinaret* facta, atque sic editio- ;eteres, male impietatis turpem ;m in scriptorem coniicientes. In na primum *vates* additur, sed omit- *pater;* Modius utrumque coniunxit codicum fide posthabita, eaque facta est vulgata.

§. 27. *Philippi autem omnes luisse suppl.*] Omisi vocem quae in editis libris (etiam Modiano) additur *interfectores*, quia deest in codd. integrioribus et aliis (Leid. Voss. 1. 2, Bern. utroque, Flor. ABCEH) ac subintelligi potest. Quid enim? Interrogaverat rex: omnesne patris mei interfectores poenas luerunt? et sacerdos: noli patris dicere, sed Philippi omnes luerunt. Sentis quae pluribus verbis in medio interiecta legantur ad hanc summam referenda esse: „non veri patris tui." In Flor. B etiam *omnes* deest, et posset abesse. Ceterum de Philippi interfectoribus nondum omnibus punitis vide VI, 43, 26.

§. 28. *quaesierunt* pro vulg. *quaesiverunt* edidi, quia sic librorum fides postulavit (*Quaesiere* Flor. CH, *quaesierit* Flor. B.) Elisio literae *v* in quarta coniugatione cum sequente *s* non probatur, v. c. audiissem, non abhorret tamen ab usu optimorum ubi *er* sequitur. Dixi ea de re in gramm. Lat. §. 160. Cf. III, 21, 19 *expetierat.*

sibi divinis honoribus colendi suum regem? Hoc quoque acceptum fore Iovi vates respondet. Vera et salubri aesti- 29
matione fides oraculi vana profecto ei videri potuisset: sed fortuna, quos uni sibi credere coëgit, magna ex parte avidos gloriae magis, quam capaces facit. Iovis igitur filium 30
se non solum appellari passus est, sed etiam iussit, rerumque gestarum famam, dum augere vult tali appellatione, corrupit. Et Macedones, assueti quidem regio imperio, sed 31
in maiore libertatis umbra, quam ceterae gentes, immortalitatem affectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, aversati sunt. Sed haec suo quaeque tempori 32
reserventur: nunc cetera exequi pergam.

33 Alexander, ab Hammone rediens, ut Mareotin palu- VIII

colendi suum regem] *Sui regem* Bern. A Flor. AB Leid., mendose ut videtur.

vates respondet] Vulgo *respondit*, sed Flor. B *respondet*, eodemque pertinere videtur scriptura *respondent* in Leid. Bern. A Flor. AD. Deinde adiicitur in editis (etiam Mod.) *ut ipsi victorem regem divino honore colerent*, quae verba, cum nihil doceant nisi quod paulo ante satis perspicue dictum est ac desint in Leid. Bern. A Flor. ABC et a prima manu in EG et in aliis ut Pal. 1 Voss. 2 (in Voss 1 etiam plura e prioribus inde a voce *acceptum* desunt), hoc quidem mendose), addita esse ab interpolatore recensionem horum librorum agente abunde patet. Ceterum in quibus libris verba illa adsunt, non legitur tamen *victorem* sed *victores*.

§. 29. *vera et salubri aestimatione*] Sic legitur in mstis quantum scio omnibus. Sequuntur haec: *fidem oraculi vana profecto responsa si videri potuissent*, quae cum non coëant cum praecedentibus, Iunius primus edidit *vere et salubriter aestimanti*, secutique sunt reliqui, etiam Modius qui cod. Colonien-sem nescio quam vere tradit habere *vera et salubria aestimanti*. In extremis quidem particulam *si* omne', etiam principes editores, omiserunt. Quin corrigendum sit aliquid dubium videri nequit. Atque mihi quidem vox *responsa* a librariis interpretationis causa videbatur addita esse, qua eiecta facilis reliquorum emendatio esset, *fides*, et *ei*, denique *potuisset*, pro *fidem — si — potuissent*. Itaque sic olim edideram, libenter si quid melius inventum esset accepturus. Atque nescio an melius sit servatis reliquis pro *si videri* corrigere *subvertere*, quamquam etiam hoc parum lene remedium videtur.

§. 30. *dum augere vult — corrupit*] Vulgo *corrumpit*, sed recte Scheffərus tempus praeteritum quoniam praecesserit *iussit* restituendum censuit. Fecerat item Modius et confirmant e nostris libris Bern. A Flor. ADFI, Leid. praeterea et Voss. 1. Parum accurate Schmiederus se ipsum quoque recepturum fuisse dicit, ni praesens *vult* praecessisset: constat enim elegantioris hoc esse Latinitatis, ut particula *dum* cum praesente etiam inter cetera tempora praeterita coniungatur. Vide si opus fuerit gramm. nostram §. 507. Cf. ad VIII, 34 extr.

§. 31. *sed in maiore libertatis umbra*] *In* adieci post Modium ex Snak. libris et Flor. omnibus praeter C. Bernensium B *in*, A omittit, sed sine dubio insequenti littera deceptus. Vide ad III, 21, 7.

Cap. 33, §. 1. *ut Mareotin paludem — venit*] Quae verba in edd. praeter Modianam omnibus hic adduntur *ut a mari ad Mar.*, non inventa sunt in codd. nostris nec in Snakenburgianis, a quibus tamen nescio quam vere etiam *ut* abesse notatur. Nec sane quisquam istud additamentum *a mari* desideraverit. Sed quaeritur num etiam praepositio possit omitti; poëtarum enim hic mos potius quam castigatae orationis prosariae vi-

dem, haud procul insula Pharo sitam, venit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. Inde, ut apparuit magnae sedis insulam haud capacem esse, elegit urbi locum, ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quicquid soli est inter paludem ac mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat; et qui exaedificandae
3 urbi praeessent relictis, Memphim petit. Cupido, haud iniusta quidem, ceterum intempestiva, incesserat, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiam invisere: Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendae vetustatis
4 avidum trahebat paene extra terminos solis. Sed imminens bellum, cuius multo maior supererat moles, otiosae pere-

detur esse. Veruntamen Curtium ad poëticam dicendi rationem serioribus scriptoribus communem quamquam caute sed pedetentim tamen accessisse non est quod negemus. Cf. de poëtis Ruddim. Syntax. p. 284 Stallb. II not. 38; de terrarum nominibus apud prosarios scriptores nos in gramm. Lat. §. 398 not. 1. Curtius supra III, 9 pr. *regionem quae castra Cyri appellatur pervenerat*, quocum conferas Tac. A. VI, 44 *iamque propinqua Seleuciae adventabat*. Facilius etiam fit ubi gentis nomen proprium est: Curt. IX, 31 *inde Praestos et ipsam Indiae gentem perventum est*. Hinc VI, 24 *Drangas pervenit* recte suppletum esse veri simile fit. Tac. A. XII, 32 *ductus inde Caugos exercitus*, XII, 51 *ipse praeceps Iberos ad patrium regnum procedit*.

§. 2. *haud capacem esse*] Extremam hanc vocem adieci propter librorum mstorum consensum, a quo abesse Voss. 1 negligentiae adscribo. Voss. 2 *fore* habet.

quicquid soli est] Omnes codd. Bern. et Flor. *soli* habent pro vulg. *loci*, ut mirer Snakenburgium de suis codicibus laudare tantum Voss. 2, neque persuadere mihi possim non idem etiam in Leid. Voss. 1 fuisse. Habet etiam Modiana editio. Adeo veteres novique correctores proprietati sermonis Curtiani nocuerunt: nam *solum* id ipsum est quod poscimus, sicut VII, 28 *quantum soli occupaverant castris*. Illud autem solum Strabo sua aetate 30 stad. in longitudinem, 7 aut 8 in latitudinem, longe igitur amplius quam voluerat Alexander, patuisse tradit lib. XVII. Paulo post *ac mare* plerique et optimi codd. pro vulg. *et mare*.

qui exaedificandae urbi praeessent] Vulgo *aedificandae*, nos sequimur Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCH. *Dinocratis* architecti opera Alexander maxime in nova urbe usum esse constat, quem Plin. in nat. hist. male *Dinocharem* nominat: vide Sillig. catalog. artific. p. 185 sq. Mox *Memphim* vulgo editur nec ulla varietas e codd. mss. notatur, Modius tamen *Memphin*.

§. 3. *cupido — incesserat — invisere* pro *invisendi*. Sic Iustinus XII, 7 extr. *captus itaque cupidine Herculis acta superare*. Vide Drak. ad Liv. III, 4, 9 et quos alios laudat Stallbaumius in nova edit. Institut. Ruddimann. Tom. II, p. 225. Memnonis regia Straboni monstrabatur Abydi videbaturque illi opus esse admirabile, aliaque *Μεμνόνεια* Thebis erant (vide Strab. XVII p. 813 et Ritteri geogr. I, p. 776 seqq.): sed ea tamen omnia in superiore Aegypto, non in Aethiopia, cuius rex poëtis tradebatur fuisse Memnon eiusque pater Tithonus.

§. 4. *otiosae peregrinationi*] Non male Flor. B *ociosae peregrinationis*: alii libri Voss. 1 et Flor. CDEF *otiose*

grinationi tempora exemerat. Itaque Aegypto praefecit Aeschylum Rhodium et Peucesten Macedonem, quattuor milibus militum in praesidium regionis eius datis: claustra Nili fluminis Polemonem tueri iubet; triginta ad hoc triremes datae. Africae deinde, quae Aegypto iuncta est, prae- 5
positus Apollonius: vectigalibus eiusdem Africae Aegyptique Cleomenes. Ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam iussis, novam urbem magna multitudine implevit. Fama 6
est, cum rex urbis futurae muros polenta, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse, et polenta esse pastas: cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse vates, magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram.

34 Regem, cum secundo amni deflueret, assequi cupiens 7
Hector, Parmenionis filius, eximio aetatis flore, in paucis Alexandro carus, parvum navigium conscendit, pluribus, quam capere posset, impositis. Itaque mersa navis omnes 8

peregrinanti. Tractat hunc locum Drakenb. ad Liv. III, 46 *locum seditioni* an *seditionis*, *quaerere*.

Polemonem] Sic Aldus recte. Ed. princ. *Polymenem*, codd. aut *Polimonem* aut *Polimenem* praeter Flor. G qui verum nomen habet. Cf. Arrian III, 5 ubi *Polemon* nauarchus dicitur, diversus ab alio Polemone praefecto Pelusii.

§. 5. *quae Aegypto* cet.] Non male Flor. DFI Pal. 1 *qua:* sed tamen non debebam ex Bipontina assumere in pr. edit. *Cleomenis* nomen ex Arriani historia restituit primus Iunius: codd. quidem et edit. pr. *Clemens*, Aldus *demens*, quod et ipsum superest in uno Flor. I. Tum *iussis* subintellecto explica *hominibus*, quod non difficulter sequens praebebit *magna multitudo*.

§. 6. *urbis futurae muros polenta — destinasset*] Sic emendavit primum Modius in notis et postea Gronovius in Observ. lib. II c. 8, cum in vulgaribus edd. esset *urbis futuris muris polentam destinasset*, quo nihil ineptius esse potest. Codd. autem omnes mendosi sunt h. l.: Flor. AB Bern. A Leid. *urbem futuri muris*, Voss. 1 *urbis futuri muris* Bern. B Flor. CEGH *urbem futuris muris*, Flor. DFI *urbem futuri muri;* omnes autem *polenta* praeter Flor. EI in quibus est *polentam*. *Destinare muros* idem ferme est ac quod Modius voluit *designare*, sicut paulo ante *ambitum dest. muris*. Ceterum de more illo Macedonum in urbium ambitu designando polenta utendi non modo silent reliqui scriptores, sed penuriae etiam aut calcis aut cretae Alexandri factum adscribunt. Vide Freinsh. notam.

Cap. 34, §. 7. *secundo amni*] Vulgo *amne*, quod sane et alias et in hac locutione usitatius est, sed rariorem alteram formam Bern. A Flor. ABE Voss. 2 praebent, IX, 34 extr. *medio amni sitam*, et IX, 36 extr. *in amni* iam olim editum est. Nos IV, 35, 19 et IX, 15, 14 *cum amni* restituere debuimus ex probatioribus libris. Cf. Drakenborch. ad Liv. XXXII, 10, 8.

§. 8. *mersa navis omnes destituit*] Dictum est sicut apud Livium XXX, 24 *prospero cursu vectum destituit ventus*. Ipse Curtius IV, 5 *spem fortuna destituit*, VII, 1 *non memoria solum sed etiam mens eum destituit*, VI, 1 *femina per-*

destituit: Hector, diu flumini obluctatus, cum madens vestis et adstricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis evasit, et ut primum fatigatus spiritum laxavit, quem metus et periculum intenderat, nullo adiuvante (quippe in diversum evaserant alii) exanimatus est. Amissi eius desiderio vehementer afflictus est, repertumque corpus magnifico extulit funere.

Oneravit hunc dolorem nuntius mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae: vivum Samaritae cremaverant. Ad cuius interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit: advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Memnona substituit, affectis-

fossa — destituere pugnantem, Suetonius in Claud. 30 *ingredientem poplites destituebant*. Destituunt igitur omnia quibus antea nixi sive adiuti fueramus, cum eorum auxilio privamur.

quem metus et periculum intenderat] Sic omnes codd. pro vulg. *intenderant*, et accuratius, opinor, quoniam illa duo nomina in unam notionem coëunt. Tum *rex* in Snakenburgii et nostris praeter Flor. E omnibus deest, et possumus eo verbo carere, quia subiectum primarium facile intelligitur.

§. 9. *extulit funere*] In suis codd. *munere* legi annotat Modius: in meis tale quid non invenitur, sed prorsus abest illa vox a Flor. B.

§. 10. *quanta maxima celeritate potuit*] *Maxima* pro eo quod in edd. vett. legebatur *maxime* primus emendavit Acidalius et receperunt insequentes editores. Legitur sane *maxime* in Leid. Voss. 1 Flor. AB, ac deberem recipere ni in Bern. A et in reliquis Flor. *maxima* esset, quod usu et nostri et reliquorum probatissimorum auctorum commendatur. Cf. de Livii hac consuetudine Gronov. et Drakenb. notas ad lib. XLII, 15 init. Ad *quam* addi potest superlativus et adverbii et adiectivi cum verbo *posse* ac sine eo, ut h. l. dicere possis: quam celerrime potuit contendit, et quam maxima celeritate potuit contendit, item quam celerrime contendit, et quam maxima celeritate contendit. Sed ad id quod est *quantus* non convenit nisi adiectivum cum posse: quanta maxima celeritate potuit contendit, neque neutrum *quantum* recipit superlativum, sed dicimus *quantum potuit contendit*. Quae contra leguntur apud Livium IX, 10 extr. *quanta maxime poterat vi*, eod. lib. 24 med. *quanto maxime poterat cum tumultu*, lib. X, 40 med. *quanto maxime posset moto pulvere* dudum erant corrigenda ut *maxima* (*o*) scriberetur, nec apud Ciceronem or. p. Flacco 16, 38 verum est *quantum maxime possem contenderem* sed debet esse secundum meliores codd. *quam maxime possem contenderem*.

§. 11. *affectisque supplicio — tyrannos inter quos — Aristonicum — tradidit*] Locum ita constitui sicut in Leid. et in mstis Flor. uno H excepto omnibus legebatur ac Modius praeiverat, cum vulgo, deleta copula *que*, ante vocem *tyrannos* plenius interpungeretur et pro *inter quos* legeretur *inter eos*. Constat autem nunc, quod veteribus illis editoribus latuisse videtur, *inter quos* et *in quibus* ita in continua oratione poni, ut prorsus pro *et inter eos* non mutata reliqua verborum constructione dicantur. VI, 17 *exceptique sunt quidem, inter quos equus regis*. Cf. Gronovium ad Livii lib. VI, 14, eundem et Dukerum ad Liv. XXXVII, 23, 5 et Drakenb. ad epit. libri 107. Suet. Caes. 52 *dilexit et reginas, inter quas Eunoën Mauram*, Liv. VI, 20 *dona imperatorum ad quadraginta* (protulisse dicitur) *in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo*. Ovid. Metam. XIII, 164 *deceperat*

que supplicio, qui praetorem interemerant, tyrannos, inter quos Methymnaeorum Aristonicum et Chrysolaum, popularibus suis tradidit: quos illi ob iniurias tortos necaverunt.

Atheniensium deinde, Rhodiorum et Chiorum legatos 12
audit. Athenienses victoriam gratulabantur, et ut captivi Graecorum suis restituerentur, orabant: Rhodii et Chii de praesidio querebantur. Omnes aequa desiderare visi, impetraverunt. Mitylenaeis quoque, ob egregiam in partes fi- 13
dem, et pecuniam, quam in bellum impenderant, reddidit, et magnam regionem finibus adiecit. Cypriorum quoque 14
regibus, qui et a Dareo defecerant ad ipsum, et oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus est.

omnes, in quibus Aiacem, sumptae fallacia vestis. Quod autem Curtius adhibita coniunctione *que* duas res diversas, Samaritanorum rebellium poenam et Graecorum tyrannorum traditionem, una verborum continuatione amplexus videtur esse, fecit id oratoriae legi parens ne quid hians ac solutum esset. Eamque ob causam in Flor. DEFI *tyrannis* scriptum est, stulte quidem sed tamen cum aliquo sensu concinnitatis; plus vero ausi sunt Flor. H cum Bern. B cum sic scribunt: *affectis suppl. tyrannis qui praetorem interemerant. Itemque Methymnaeorum* cet. *Interque* in Leid. Bern. A mendum est, item Voss. 1 quod solum *inter* exhibet mendosus; *interque eos* in nullo libro invenitur.

quos illi ob iniurias tortos necaverunt] Edd. duobus verbis auctius *quos illi e muris* offerunt, quo additamento carent Leid. Voss. 1 Bern. A et Flor. omnes praeter E et H cum huius sequaci Bern. B. Posse explicari quis negaverit, ut *e muris necari* dicatur fere pro *e muris praecipitari*, sed frustra insumpta erit opera.

§. 12. *Athen. deinde, Rhodiorum et Chiorum*] Sic omnes libri vett., verum editiones *Rhodiorumque*, non male, atque sic adiuvimus lectionem supra III, 35, 15 et infra IV, 48, 15. Sed quamvis aegre feram coniunctionis defectum, auctoritati librorum parendum fuit. Et IV, 21, 6 *Mediam, Hyrcaniam, Bactra, et Indos, oceani accolas, quando adituram?* V, 19, 18 *Deos quod ipsi nunquam optare ausi forent, offerre; patriam, coniuges, liberos, et quicquid homines vel vita aestimant, vel morte redimunt.*

aequa desiderare visi] Codd. plerique et edd. vett. *ea quae*, sed felix emendatio est Modii *aequa*, cuius necessitatem sentientes extiterunt etiam olim qui *ea iure desiderare visi* in paucis codd. (Flor. EH Bern. B) exhiberent.

§. 13. *ob egregiam in partes fidem*] Omnes codd. ignorant quod in Aldina primum adiectum inveni *in partes suas*, et recte vocem damnant, cum sic fere Romani scriptores soleant, ut *partes* eorum intelligantur de quibus sermo fiat. Sic infra c. 35, 2 *nam et ceterarum gentium copiae partibus simul affuerunt*, et 60, 4 *fortuna partium territus;* supra 6, 35 *eadem illic quoque fortuna partium fuit;* lib. VIII, 45, 13 *perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum incensi.*

et pecuniam quam in bellum impenderant reddidit] In editis adiicitur ante *reddidit* vox *obsides*, ut accusativus *pecuniam* ex praecedente praepositione pendeat. Interpolatio ista antiquior est, legitur enim in marg. Flor. cod. E, sed tamen menti scriptoris et fidei librorum, ipsi denique orationis elegantiae contraria.

magnam regionem finibus adiecit] Locus corruptus legitur in codd. et edd. antiquis *finium adiecit:* correxit Aldus *finibus* sed ita ut adderet *eorum*, idque ceteri (etiam Mod.) retinuerunt. Ego *eorum* denuo exulare iussi, satis esse unius vocis emendationem ratus.

Amphoterus deinde, classis praefectus, ad liberandam Cretam missus, (namque et Persarum et Spartanorum armis pleraque eius insulae obsidebantur,) ante omnia mare a piraticis classibus vindicare iussus: quippe obnoxium erat praedonibus, in bellum utroque rege converso. His compositis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pateris dicavit: imminensque Dareo, ad Euphraten iter pronuntiari iussit.

At Dareus, cum Aegypto devertisse in Africam hostem comperisset, dubitaverat, utrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret, haud dubie potentior auctor praesens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi, quas aegre per praefectos suos molie-
batur. Sed ut idoneis auctoribus fama vulgavit, Alexandrum cum omnibus copiis, quamcunque ipse adisset regionem, petiturum: haud ignarus, quam cum strenuo res esset,

§. 15. *et Persarum et Spartanorum armis*] Edebatur *et piratarum armis*, sed recte in altera editione emendavit Freinshemius, collato loco IV, 6 ubi eadem fere codicum aberrationes quae hoc loco inveniuntur. Nimirum integerrimi alias codd. *Parthanorum* vel *Parthorum*, et hoc ipsum fuerunt nonnulli (Aldum nomino) qui ederent. Sed in nullo codice *piratarum* legitur, in multis autem et Flor. quidem DEFGI *Spartanorum* sive *Sparthanorum*. Itaque Snakenburgius non debebat contra Freinshemii mentem ad veterem lectionem redire. Cf. etiam Wesselingium ad Diod. XVII, 48.

in bellum utroque rege converso] Sic codd. alioquin minus probi Flor. DFGI; alteri, etiam qui optimi iure censentur, et edd. Aldina antiquiores *bello utrimque* (Flor. CEH *utrumque*) *in regem converso* exhibent, quod sensum aptum quidem non praebet. Simul ex illis libris, quos hac in re secutus sum, dedi *erat praedonibus* converso verborum ordine.

§. 16. *ad Euphraten iter pron.*] Vulgo alio nec deteriore verborum ordine *iter ad Euphraten*, sed obediendum est codd. Bern. A Flor. ABDEFGI; Flor. C *ad Euphratem pronuntiari iter*, H cum Bern. B *ad Eufratem pronunciare iter iussit;* Leid. Voss. 1. 2 dicuntur habere *pronuntiari iter ad Euphr.* quod in nostrorum quidem nullo est. Ceterum *Euphraten* Graeca terminatione Bern. A Flor. ABI.

Cap. 35, §. 1. *Aegypto devertisse in Afr. hostem* optimi codd. mei, alii Flor. *divertisse*, nullus tamen quod vulgo editur *ab Aegypto* neque in edd. Aldina antiquioribus praepositio comparet. Quapropter iure ab interpolatore addita censebitur, terrarum nomina saepe ut urbium construi nesciente, quod imprimis frequens in Aegypti nomine, quippe Graecae urbis simili. Sic Liv. XLV, 10 *navigare Aegyptum*, Val. Max. IV, 1 15 *duos egregiae indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos esse cognovit*, Tac Ann. II, 69 *Germanicus Aegypto remeans*. Cf. etiam supra ad c. 12 extr. et ad c. 33, 1. Ceterum *devertisse* ex codd. optimis eo tutius edendum erat, quod alibi librarii multo magis in alteram formam declinant. Vide ad IV, 61 et ad X, 19 init.

§. 2. *quam cum strenuo res esset*] Adverbium *quam* ab adiectivo suo remotum, quamquam haud rarum est atque plura etiam interiiciuntur, confudit tamen librarios; multi enim codices (Flor. DFGI) *quantum strenuior esset* habent,

omnia longinquarum gentium auxilia Babyloniam contrahi iussit. Bactriani Scythaeque et Indi convenerant: nam et ceterarum gentium copiae partibus simul affuerunt. Ceterum cum dimidio ferme maior esset exercitus, quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant, quae summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis: quis antea praeter iacula nihil dederat, scuta gladiique adiiciebantur: equorumque domandi greges peditibus distributi sunt, ut maior pristino esset equitatus: ingensque, ut crediderat, hostium terror, ducentae falcatae quadrigae, unicum illarum gentium auxilium, secutae sunt. Ex summo temone hastae praefixae ferro eminebant, utrimque a iugo ternos direxerat gladios, inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum, aliae deinde falces summis rotarum orbibus haerebant, et aliae in terram demissae, quicquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturae.

alii etiam (Flor. EH et Bern. B a m. correct.) addunt *stenuior eo*, Flor. C *quanto strenuior eo esset*. Princeps tamen editor rem intellexit. Cic. Acad. II, 26, 83 *videte quam in parvo lis sit*. Eadem est res in adverb. *tam*: utriusque particulae ab adiectivo suo diremptae exempla extant, ut infra c. 43, 4 *tam ab amico animo*.

Babyloniam contrahit] Hic plerique codd. *Babyloniam*, sicut vulgo editur, praeter Flor. DFGI qui *Babilona* aut *Babillona* praeferunt. Vide ad III, 4.

§. 3. *tegumenta*] Leid. Voss. 1 Flor. A Bern. A *tegimenta*, Flor. EH Bern. B *tegmenta*. Mox *conexis* Bern. A Flor. AC.

§. 4. *hostium terror*] Hoc ordine omnes nostri et Mod. editio. Vulgo *terror hostium*.

§. 5. *praefixae ferro*] Codd. et Snak. et nostri omnes praeter Flor. GI *praefixo ferro*, et recepissem auctoritatis causa ni de usu scriptoris nostri constaret locis similibus III, 4, 7 et 8, 20. Et quam facile fuit, cum fere *praefixe* scribatur, e transire in *o* ad insequentis vocabuli similitudinem? Sed *direxerat* recepi pro vulg. *direxerant* ex codd. Snakenb. et nostris Bern. A Flor. ABC, sicut supra est *dederat* pro eo quod est dari iusserat. Tum *et* sustuli quod vulgo legitur ante *inter radios*, quia in nullo cod. ms. extat nec desideratur. Codd. Flor. DEFGI *gladios*. *Inter gladios rotarum*, quod mendum effecit, ut et omissione et adiectione verborum in edd. veteribus peccaretur.

summis rotarum orbibus] Sic Modius e membranis, ut ait, scripsit, cum antea pro *summis* legeretur *submissae*. Est sane *summis* in Flor. DFGI, in reliquis Flor. et utroque Bern. et Snakenburgianis est *summissae* aut (in Flor. E) *submissae*. Nec tamen non potui Modii iudicium probare, et cum eodem scribere *demissae*, quamquam hoc non legitur nisi in Flor. D et ex corr. in E. Aliae falces ex orbibus rotarum extabant, ut simul cum spiculis inter rotas lacerarent quicquid a latere esset; aliae infra currum deorsum spectabant (eae autem sunt *in terram demissae* non *dimissae*), ut si qui sese inter rotas humum conicerent scinderentur. Ut his opponerentur, eam ob causam orbium falces dixit in *summis* orbibus haesisse, quod alioquin non necessarium fuisset addere,

Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone36
›ias movit. A parte dextra erat Tigris, nobilis fluvius,
vam tegebat Euphrates, agmen Mesopotamiae campos
pleverat. Tigri deinde superato, cum audisset, haud
›cul abesse hostem, Satropaten equitum praefectum cum
lle delectis praemisit. Mazaeo praetori sex milia data,
ibus hostem transitu amnis arceret: eidem mandatum,
regionem, quam Alexander esset aditurus, popularetur
que ureret; quippe credebat, inopia debellari posse nihil
›bentem, nisi quod rapiendo occupasset: ipsi autem com-
›atus alii terra, alii Tigri amne subvehebantur. Iam per-
nerat Arbela vicum, nobilem sua clade facturus. Hic
nmeatuum sarcinarumque maiore parte deposita, Lycum
nem ponte iunxit, et per dies quinque, sicut ante Eu-
raten, traiecit exercitum. Inde octoginta fere stadia pro-
›ssus, ad alterum amnem, (Boumelo nomen est,) castra
›uit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabi-
et vasta planities. Ne stirpes quidem et brevia vir-
ta operiunt solum, liberque prospectus oculorum etiam
ea, quae procul recessere, permittitur. Itaque si qua
ıpi eminebant, iussit aequari, totumque fastigium extendi.

ferendus imprimis Xenophon in Cy-
ed. VI, 1, 29, sq.

›ap. 36, §. 7. *Eutropaten* plerique omnes
i msti, ut cetera nomina barbara, non
ropaten, quod in editis est. Mox
em adieci ex Snak. nostrisque omni-
praeter Flor. CD codicibus, Modium
lemque Snak. secutus.

9. *pervenerat Arbela*] Vulgo *ad*
la, sed praepositionem omnes libri
es ignorant. Deteriores codd. *Ar-*
a vel *Harbelam*, sed Graecis per-
o est τὰ Ἄρβηλα. Mox *Euphraten*
. A Flor. ADEG, vulgo *Euphratem*.

10. *Boumelo nomen est*] Sicut
describendum curavi, ita codd.
que et alii et Flor., modo quod B
melo, C *Boum melo*. Nec dubium
cum Arrian. III, 7, 8 *Βούμωδος*,
11 *Βουμηλός* constanter habeat in
. mstis, quin haec altera scriptura
rum duorum consensu vera sit. Vulgo scribitur h. l. *Bumado*. Servavi autem diphthongum *ou* fidei causa, videntur enim Romani scriptores in Graecis nominibus ita maluisse, quamvis uno vocali *u* exprimere possent.

etiam ad ea quae procul recessere permittitur] Iam sanus est locus, et sanus non cuiusquam correctione, sed librorum optimorum ac plurimorum auctoritate, Leid. Voss. 1 Flor. ACDFGI. Vulgo voces *ad ea* omittuntur, et miror etiam in Bern. A omitti, certe non enotari. Modius scriptos libros ait exhibere *ad ea — permittunt*, edidit autem *prospectus oculorum etiam quae procul recessere permetitur*, quam coniecturam ei remittimus. *Prospectus oculorum permittitur* ποιητικώτερον dictum videtur, sed ex elegantia Latini sermonis. Silius Ital. III, 534 *quacunque datur permittere visus* et Hirt. de b. Gall. 9 *longius tela permittere*. Alia vide apud Gronov. in Obss. II, c. 13 p. 245: vidit enim

37 Alexandro, qui numerum copiarum eius, quantum pro- 11
cul coniectari poterat, aestimabant, vix fecerunt fidem, tot
milibus caesis, maiores copias esse reparatas. Ceterum 12
omnis periculi et maxime multitudinis contemptor, undecimis castris ad Euphraten pervenit: quo pontibus iuncto equites primos ire, phalangem sequi iubet, Mazaeo, qui ad inhibendum transitum eius cum sex milibus equitum occurrerat, non auso periculum sui facere. Paucis deinde, 13
non ad quietem, sed ad praeparandos animos, diebus datis militi, strenue hostem insequi coepit, metuens, ne interiora regni sui peteret, sequendusque esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. Igitur quarto die praeter Arbela 14
penetrat ad Tigrin. Tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio: quippe Mazaeus, quaecunque adierat, haud secus quam hostis urebat. Ac primo caligine, quam fumus 15
effuderat, obscurante lucem, insidiarum metu substitit: deinde ut speculatores praemissi tuta omnia nuntiaverunt, paucos equitum ad temptandum vadum fluminis praemisit: cuius altitudo primo summa equorum pectora, mox, ut in medium alveum ventum est, cervices quoque aequabat. Nec 16
sane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur,

et ille veram esse antiquissimi Florentini scripturam.

Cap. 37, §. 11. *quantum procul coniectari poterat*] Vulgo *poterant* contra libros veteres, meos certe omnes et Snakenburgii Leid. Voss. 1. Modium olim corrigentem nemo secutus est.

§. 12. *ad Euphraten pervenit*] Editi *perv. ad Euphratem:* nos in ordine verborum mss. consensum, in Graeca terminatione Bern. A Flor. AEFGHI secuti sumus.

periculum sui facere i. e. periclitari quid ipse posset efficere, suas ipse vires experiri. VII, 35 *facere inter se periculum virium.*

§. 13. *ad praeparandos animos*] Adhuc quidem vulgo editum est *ad reparandos animos*, quasi paucorum dierum itinere animis concidissent milites; sed ea scriptura non est nisi paucorum et infidelium librorum, nostrorum quidem Flor. CEH Bern. B, ceteri cum Leid. Voss. 1 et Modiana edit. *ad praeparandos* habent, Flor. FI *properandos*. Ordo verborum in Flor. CH: *paucis diebus, non ad — animos, datis militi*, et extrema in Bern. B *militibus datis.*

§. 14. *ad Tigrin*] Bern. A Flor. AB *tygrin*; et extrem. cap. Bern. A et Flor. A *tygrin*, Flor. BF *tygrum*, ceteri *Tygrim;* sed c. 40 init. omnes literam *m* in fine tuentur. Omnes autem Flor. et Bern. *y* litteram habent. Ceterum quod *praeter Arbela* ad Tigrin penetrasse narratur Alexander, eo pertinet quod iter ab Euphratis traiectu non directo orientem versus Arbela intendit, sed magis ad septentrionem conversus per superiorem Mesopotamiam ad eam partem Tigris pervenit, quae longe supra Arbela est. Quem circuitum cur maluerit, lege apud Arrian. III, 7, nimirum pabuli causa.

substitit] *Subsistit* Flor. ABG.

ıltorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa se-
m trahens. Itaque a celeritate, qua defluit, Tigri nomen
t inditum, quia Persica lingua Tigrin sagittam appellant.
Igitur pedes, velut divisus in cornua, circumdato equi- 38
tu, levatis super capita armis, haud aegre ad ipsum al-
ıum penetrat. Primus inter pedites rex egressus in ri-
ım, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non
ıterat, ostendit. Sed gradum firmare vix poterant, cum
ıodo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda
ıbduceret. Praecipuus erat labor eorum, qui humeris
ıera portabant: quippe cum semetipsos regere non pos-
ınt, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur,
dum sua quisque spolia consequi studet, maior inter
sos, quam cum amni, orta luctatio est, cumulique sarci-
ırum passim fluitantes plerosque perculerant. Rex mo-
ıre, ut satis haberent arma retinere, cetera se redditurum.
ıd neque consilium, neque imperium accipi poterat: ob-
repebat hinc metus, praeter hunc invicem nutantium mu-
ıus clamor. Tandem qua leniore tractu amnis aperit
ıdum, emersere, nec quicquam praeter paucas sarcinas
ısideratum est. Deleri potuit exercitus, si quis vincere
ısus esset, sed perpetua fortuna regis avertit inde hostem.
ic Granicum; tot milibus equitum peditumque in ulteriore

§. 16. *Persica lingua*] Medorum ngua ita appellatum tradunt Strabo b. XI pag. 529 et Plin. nat. hist. VI, 31. Cap. 38, §. 19. *quam cum amni*] *Amni* ıak. in Leid. Voss. 1 notavit esse, est-e item in Bern. A et Flor. BDFI, l Flor. A et edit. Mod. vulg. *amne* ınent. Videtur tamen in hoc dissensu o *amni* esse pronuntiandum. Cf. supra 34 princ.

plerosque perculerant] Modius in mem-anis, suis opinor, esse *percusserant* t, non in nostris; sed in paucis Flor. H et E a prima manu et Bern. B est rtulerant.

§. 20. *invicem nutantium mutuus cla-or*] Editi (etiam Mod.) *natantium*, d *nutantium* consensus librorum no-trorum omnium cum Leid. et Voss 1 t ipsa res postulat. Ceterum, ut in tota re, ita in hac confusione describenda Ovidiana quaedam imaginum verborumque luxuries notanda. Vocabulum *invicem* amat scriptor noster, videturque h. l. nihil aliud significare nisi modo hunc, modo illum nutasse et exclamasse. *Obstrepebat* autem ea figura, quae zeugma dicitur, positum est pro obstabat, nam quamvis *obstrepere* etiam mutae res dicantur, quae auditum impediant, ut VIII, 5 *clausae erant aures obstrepente ira*, et VI, 38 *conscientia obstrepit, quominus scelerati dormire non possint*, tamen et irae et conscientiae vocem tribuimus, id quod a metu alienum videtur. Verbum *mutuus* omittitur in Bern. B, nimirum quod superfluum videretur correctori.

§. 22. *si quis vincere ausus esset*] Hoc verborum ordine Modius et Leid.

stantibus ripa, superavit, sic angustis in Ciliciae collibus tantam multitudinem hostium: audaciae quoque, qua ma- 23
xime viguit, ratio minui potest, quia nunquam in discrimen venit, an temere fecisset. Mazaeus, qui, si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos, in ripa demum et iam perarmatos adequitare coepit. Mille admodum equites praemiserat. Quorum paucitate 24
Alexander explorata, deinde contempta, praefectum Paeonum equitum Aristona laxatis habenis invehi iussit. Insi- 25
gnis eo die pugna equitum et praecipue Aristonis fuit: praefectum equitatus Persarum Satropaten directa in gutture hasta transfixit, fugientemque per medios hostes consecutus, ex equo praecipitavit, et obluctanti caput gladio dempsit, quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit.

39 Biduo ibi rex stativa habuit: in proximum deinde 1
pronuntiari iter iussit. Sed prima fere vigilia luna deficiens, 2
primum nitorem sideris sui condidit, deinde sanguinis colore suffuso lumen omne foedavit, sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, et ex ea formido quaedam incussa est. Diis invitis in ultimas terras trahi 3

Flor. ABCE: in ceteris Flor. et Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *vincere* deest. Vulgo *si quis aut us esset vincere.*

in Ciliciae collibus omnes libri et msti et editi usque ad Aldinum, in quo primo correctum *callibus*. Infra quidem c. 47 sunt *Ciliciae angustiae et invii calles*, sed illic adiectivum additum ostendit de accessu in locum dici. Hic vero *angusti colles* recte opinor dicitur regio montana, collibus obsita qui explicari multitudinem non patiuntur.

§. 23. *audaciae — ratio minui potest*, i. e. audacia non potest tanta haberi, iudicari, quanta vulgo solet.

§. 24. *Paeonum equitum*] Codd. *penorum* et *poenorum*, item edit. princ.; sed correxit iam Aldinus editor.

§. 25. *Satropaten*] Codd. Flor. ABC vulgatum *Satropatem* tuentur, contra stant ceteri Flor. et uterque Bern. et Leid. Voss. 1. 2, quibus et ipse constantiae causa accedo.

directa in gutture] Debebat *in guttur* ut III, 26, VII, 19, sed hoc etiam veteres librarii norant qui tamen omnes fideliter ablativum servarunt. Facit aliquid insequens verbum *transfixit*.

Cap. 39, §. 1. *pronuntiari iter iussit*] Vulgo *iter pronuntiari iussit:* sed in Bern. A Flor. ABCG (a pr. m.) et Voss. utroque deest *iter*, unus Flor. F eo loco collocat quo vulgo legitur, reliqui Flor. et Bern. B et margo Flor. G *pronuntiari iter iussit*. Hoc igitur pro fide libris mss. debita recipiendum fuit, sed probassem potius verborum ordinem qui esse traditur in Pal. 1 et Leidensi *pron. iussit iter*, si satis de fide collationis constaret. Modius *pronuntiare iussit*, nihil curans omissum *iter*.

§. 2. *incussa est*] Leid. Voss. 1 Flor. A *inconcussa est*, ac fuisse hoc ipsum videtur in Bern. A, sed pro mediis literis nunc rasura est.

§. 3. *diis invitis*] Flor. A Bern. A

se querebantur: iam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum servare fulgorem, vastas terras, deserta omnia occurrere: in unius hominis iactationem tot milium sanguinem impendi: fastidio esse patriam, abdicari Philippum patrem, coelum vanis cogitationibus petere. Iam prope seditionem res erat, cum ad omnia interritus duces principesque militum frequentes adesse praetorio, Aegyptiosque vates, quos coeli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sentirent, expromere iubet. At illi, qui satis scirent, temporum orbes implere destinatas vices, lunamque deficere, cum aut terram subiret, aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perceptam non edocent vulgus: ceterum affirmant, solem Graecorum, lunam esse Persarum, quotiensque illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi: veteraque exempla percensent Persidis regum, quos adversis diis pugnasse, lunae ostendisset defectio. Nulla res multitudi-

Leid. Voss 1 *dis;* item extr. cap. *dis* Leid. Flor. A et Bern. A. Mox *adire* omnes libri mss. praeter Voss. 1, quem ex silentio Snakenburgii coniicias habere *adiri*, sicut necessario factum est in editis.

pristinum servare fulgorem] Libri editi *praestare*, scripti constantissime *servare*. Mireris quae ista pertinacia editorum fuerit, cum Modius dudum viam praeisset.

abdicari — petere] *Abdicare* unus Flor. G et praeter eum Voss. 2. Contra *peti* corrigendum censuit Loccenius, recepitque Freinshemius. Verum libris parendum est, cum facile primarium omnis historiae subiectum intelligatur, ut supra IV, 29, 2, IV, 34, 9 saepeque posthac.

§. 4. *prope seditionem res erat*] Olim editi atque revocata pristina lectione Snakenburgius *pro seditione*. Est hoc sane in Bernensibus et aliquot codd. Flor. FHI et Modius in suis sic se invenisse significat, convenitque existimare etiam Snakenburgium in Leid. Voss. 1 invenisse, quia nihil annotat; verum ceteri Florentini alteram lectionem Iunianam et Freinshemianam tuentur estque illa ad rem aptior. Nam pro seditione res nondum habebatur a rege, qui milites gravius castigaturus fuisset. In eadem periodo *iubet* dupliciter ponitur in codd. et edd. antiquis, in fine et post verba *adesse praetorio*. Prius illud recte sustulisse videntur Iunius et Modius, ac deest in Voss. 1, si fides habenda silenti Snakenburgio.

§. 5. *aut sole premeretur*] Quem *coitum* lunae vocant, sed tum quidem non deficere lunam dicimus sed silere: vide Forcell. in lex. s. v. *silens luna*. Sed quidni hanc quoque defectionem lunae vocare potuerit, cum non apparet, tantum quod nemo eam speciem miratur quia quot mensibus redit? De *luna* Persarum fortunas significante vide Herod. VII, 37.

§. 6. *quotiensque*, addita particula, scripsi, sicut et olim edebatur et in omnibus libris mstis legitur. Raderus primus opinor illam delevit; Modius *quotienscunque* scripsit, quod in deterioribus nostris Flor. EH Bern. B legitur. Ceterum miror in Bern. A Flor. AB scribendi rationem *quotiens* h. l. et lib. VI, 6 extr. non inveniri, cum in illis tamen lib. V, 9 fin. *quotienscunque* legatur. Res tamen et grammaticorum veterum testimoniis et reliquorum codd. auctoritate certa est.

§. 7. *multitudinem efficacius*] Sic Modius et libri msti; vulgo *effic. multitu-*

nem efficacius regit, quam superstitio; alioquin impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret. Igitur edita in vulgus Aegyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes.

40 Rex, impetu animorum utendum ratus, secunda vigi- 8
lia castra movit: dextra Tigrim habebat, a laeva montes, quos Gordaeos vocant. Hoc ingressis iter, speculatores, 9
qui praemissi erant, sub lucis ortum, Dareum adventare nuntiaverunt. Instructo igitur milite et composito agmine, antecedebat. Sed Persarum moratores erant, mille ferme, 10
qui speciem magni agminis fecerant: quippe ubi explorari vera non possunt, falsa per metum augentur. His cogni- 11
tis, rex cum paucis suorum assecutus agmen refugientium ad suos, alios cecidit, cepit alios: equitesque praemisit

dinem alio verbb. positu. Bern. B *eff. regit mult.* Post *alioquin* in libris omnibus est, etiam olim editis ante Aldum, et praeferendum vel hiatus vitandi causa, quamquam alibi *alioqui* etiam ante vocalem invenitur.

Cap. 40, §. 8. *Tigrim*] H. l. littera *m* in fine in nostris omnibus est, sed *n* in Leid. Voss. 1.

Gordaeos primus Iunius edidit, Ald. *Gordei*, libri veteres *Cordeos*. Populi nomen *Gordiaei* in optimis est lib. v, 2, quod scribendum *Gordyaei*, cum apud Graecos scriptores sint *Γορδυαῖοι;* hodie *Curdi* vocantur.

§. 9. *hoc ingressis iter*] Vulgo *ingresso*, sed non legitur nisi in paucis nec optimis codd. Flor. DFI, ceteri omnes *ingressus*, Flor. C *ingressi*. Patet *ingressis* corrigendum esse.

§. 10. *moratores erant* restituendum fuit ob consensum optimorum librorum Modii et Leid. Voss. 1 et Flor. AB, quibus ex deteriore classe accedunt etiam CH. (Bern. A *omoratores*, B *moratores*). Legebatur vulgo *exploratores*, quod etsi damnare non auderem, si idonea auctoritate niteretur, nunc tamen cum optio detur minus aptum iudico. Neque enim Dareus iam adventabat, sed erant illi ex Mazaei copiis perdendae regionis causa praemissis. *Moratores* autem sunt non qui hostes morantur, ut Gronov. Obss. II, 8 putavit, sed qui maiore parte exercitus praegressa aut ob defectum virium aut praedandi causa retardati extremum quasi agmen claudunt. Quo sensu cum in lexicis nostris non inveniatur, cf. quos locos et Freinsh. ad h. l. laudat Livii XXI, 47, 3 et 48, 5, et Drakenborchium ad locum priorem qui Livii addit XXIV, 41. Videtur hinc derivatum esse Gallicum vocabulum in alias linguas recentiores receptum *maraudeur*.

speciem magni agminis] Vulgatum *agm. magni* et aliorum codicum et Flor. A auctoritas tuetur, nunc autem ob reliquorum bonorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. B et nonnullorum aliorum cum Mod. edit. consensum malui *magni agminis* dare.

falsa per metum augentur] *Augentur* primus ex Colon. et Sigeb. deprompsit Modius, accesserunt Snakenburgii Leid. Voss. 1. 2, nunc etiam uterque Bern. et Flor. ABCGH et E a pr. manu. Correctum enim est in hoc quod vulgo in editis legitur *augurantur*, sed satis testium opinor esse ad convincendam scripturam Latinitatis causa dudum condemnatam. Obsoleta enim est nec Curtiano nitore digna activa forma *augurare*.

§. 11. *cepit alios*] Vulgo *alios cepit* quod quia Flor. A tuetur adhuc servavi,

speculatum, simul ut ignem, quo barbari cremaverant vi-
2 cos, extinguerent. Quippe fugientes raptim tectis acervisque frumenti iniecerant flammas, quae cum in summo haesissent, ad inferiora nondum penetraverant. Extincto igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare coeperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit: quippe urente et populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta
14 praeciperet. In rationem ergo necessitas versa est; quippe Mazaeus, qui antea per otium vicos incenderat, iam fugere
15 contentus, pleraque inviolata hosti reliquit. Alexander haud longius centum quinquaginta stadiis Dareum a se abesse compererat. Itaque ad satietatem quoque copia commeatuum instructus, quatriduo in eodem loco substitit.
16 Interceptae deinde Darei litterae sunt, quibus Graeci milites sollicitabantur, ut regem aut interficerent, aut proderent: dubitavitque, an eas pro contione recitaret, satis confisus Graecorum quoque erga se benivolentiae ac fidei.

nunc cum ad reliquos libros et Mod. edit. et Bern. uterque accedat, tot testibus unius libri quamvis magnam auctoritatem posthabendam existimavi. VIII, 6, 7 *terrenti alias, alias timenti.*

speculatum, simul ut ignem cet.] Vulgo ante *speculatum* itidem additur *simul*, sed nos secuti sumus utrumque (Bern. Flor. ABCE pr. m. H et collatos a a Snak. libros.

§. 13. *animum incendit*] Flor. DFGI *accendit*, quod et ipsum dicitur, ut VII, 41, 6 *Quae nuntiata regi sic accendere animum*, IV, 10, 20 *haec ipsa insectatio alacritatem militum accendit*, VII, 27 *pertinacia oppidanorum iram eius accendit*, Liv. III, 62 extr. *pudore deinde animos equitum accendunt.* Cf. Drak. ad Liv. III, 12, 12. Sed *incendere* tamen *animum* antiquiorum scriptorum usu magis comprobatur, vide lex.

incendio cuncta praeciperet, an *praeriperet* legendum sit in dubio est. Illud est in Flor. AB Bern. utroque et Leid. Voss. 1, nec multum abeunt Flor. CH in quibus *perciperet*; hoc in ceteris libris Flor. legitur et propagatum est per editiones. Sed ego ob illorum librorum praestantiam cum Modio *praeciperet* edendum putavi. Cf. ad IV, 1.

§. 14. *versa est*] Sic libri msti omnes: in vulgatis, etiam apud Modium, omittitur *est*. Sensus est: quod necessario factum est, id etiam ratio praescribere videbatur, nimirum ut urgerent hostem.

§. 15. *Dareum a se abesse*] Verba *a se* absunt a vulgatis exemplaribus, sed mss. librorum omnium consensus postulat ut addantur.

§. 16. *aut interficerent aut*] Vulgo *interf. aut proderent* sed duplex *aut* in Leid. Voss. 1. 2 Bern. utroque et Flor. omnibus praeter AB legitur. Optio difficilis est, quoniam utrumque probabile. Itaque testium numerum sequendum putavi.

litterae — contione — benivolentiae] Ne orthographica ista prorsus omittam, *literae* in Flor. BCI est, *concione* in BC, *benevolentiae* in nullo, ut intelligas quae ego alias quoque rationes secutus probavi ab optimis Bern. A et Flor. A et ceterorum pluribus praeferri. De *contione* cf. ad IV, 15, 21, de *benivol.* ad III, 19, 7.

Sed Parmenio deterruit, non esse talibus promissis imbuen- 17
das aures militum affirmans: patere vel unius insidiis re-
gem: nihil nefas esse avaritiae. Secutus consilii auctorem, 18
castra movit.

41 Iter facienti spado e captivis, qui Darei uxorem co- 19
mitabantur, deficere eam nuntiat, et vix spiritum ducere. Itineris continui labore animique aegritudine fatigata, inter socrus et virginum filiarum manus collapsa erat, deinde et extincta. Id ipsum nuntians alius supervenit. Et rex haud 20
secus, quam si parentis mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus, lacrimisque obortis, quales Dareus profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darei, defuncto assidens corpori, venit. Hic vero renovatus est maeror, ut 21
prostratam humi vidit. Recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia, sed quibus ipsa deberet esse solatio. In conspectu erat nepos parvulus, ob id ipsum 22
miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, ex maxima

§. 17. *non esse — affirmans*] *Non* in plerisque codd. etiam optimis deest, estque primum a Modio restitutum. Sane mireris, sed innumeris exemplis edocti qui rem criticam factitant cognoverunt nihil crebrius fieri quam ut ista negandi particula a librariis omittatur. Cf. nos ad Cic. in Verr. I, 15, §. 39 et Goerenzium ad Cic. de fin. I, 16, 50 et II, 12, 35. *Affirmans*, quod Modius interpolatorum supplementum ratus eiecit, non potui non in tanto consensu codd. Curtio restituere. Potest sane abesse, neque tamen orationi obest, si ad praegressa, non sicut olim factum est ad insequentia referatur.

Cap. 41, §. 19. *spado e captivis*] Vulgo *spado unus ex captivis*, et e meis in cod. E *unus* supra lineam adiectum est. Ceteri libri Flor. et uterque Bern. et Leid. Voss. 1 eam vocem ignorant; habent etiam nostri non *ex* sed *e*. De genere morbi quo regina decesserit, nihil Diodorus, cum Arrianus ne mortem quidem memorarit. Verum Plutarchus in vit Alex. 30 *ἐν ὠδῖσι*, Iustinus XI, 12 *ex collisione abiecti partus* decessisse tradunt, quamquam in tempore definiendo non abeunt a Curtio et Diodoro, ut certe praegnans fuisse ex Dareo non potuerit. Quid rei fuerit inutilis suspicio est: sed anxiae Darei quaestiones de Alexandro singulare aliquid accidisse verisimile faciunt.

§. 20. *parentis mors*] Omisi *suae* cum Modio, postulantibus haud paucis et optimis codicibus, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB ad hoc Flor. CEH Bern. B Voss. 2. Atque haec Latinitatis quasi lex est, ut in cognationis nominibus adiectivum pronominale secundum eius personam, de quo sermo instituitur, intelligatur nec addatur nisi ubi oppositio quaedam requiritur.

§. 21. *sed quibus ipsa*] *Ipse* in libris se invenisse Modius significat, et inveni ex Flor. DGI enotatum. Probare videtur idem Modius, haud dubie quod cum antea de *mutuo* dolore dictum esset non superesse videbatur nisi regis ipsius persona. Verum *mutuus* de unius matris dolore dictum est quo neptibus responderet.

§. 22. *ex maxima parte*] Sic uterque Bern. et Flor. omnes, vulgo *maxima ex parte*. Snakenb. in suis codd. esse tradit *ex parte maxima*, dubito num vere.

parte ad ipsum redundantem. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere, et solatia non adhibere, sed quaerere. Cibo certe abstinuit, omnemque honorem funeri, patrio Persarum more, servavit, dignus hercule, qui nunc quoque tantum et mansuetudinis et continentiae ferat fructum. Semel omnino eam viderat, quo die capta est, nec ut ipsam, sed ut Darei matrem videret, eximiamque pulchritudinem formae eius non libidinis habuerat invitamentum, sed gloriae.

E spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes, inter- 42
trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quae, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur, ad Darei castra pervenit, exceptusque a vigilibus, in tabernaculum regis perducitur, gemens et veste lacerata. Quem ut conspexit Dareus, multiplici doloris expectatione commotus, et quid potissimum timeret, incertus, *Vultus*, inquit, *tuus nescio quod ingens malum praefert, sed cave miseri hominis auribus parcas: didici esse infelix, et saepe calamitatis solatium est nosse sortem suam. Num, quod maxime suspicor et loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es, mihi et, ut credo, ipsis quoque omni tristiora supplicio?* Ad haec Tyriotes, *Istud quidem procul abest*, inquit: *quantuscunque enim reginis*

§. 23. *tantum et mansuetudinis et*] Alterum *et* addidi ex meis libris omnibus; habet etiam Modiana. Snakenb. de suis non commemorat nisi Vossianos, ut a Leid. abesse *et* debeamus coniicere. *Tantum* ait i. e. quantum ei nunc ipsi tribuimus.

§. 24. *invitamentum* Modius ex suis optimis codd. edidit pro vulg. *incitamentum*, habetque auctores Leid. Voss. 1 et e nostris Bern. A Flor. AC a pr. m. G et B, ita tamen hunc, ut etiam altera lectio uno tenore cum ceteris adscripta sit. Poteritne vero dubitari utrum vocabulum magis ad orationem vulgarem, qua correctores utuntur, accedere videatur? IX, 19, 6 *desperatio, magnum ad honeste moriendum incitamentum*. Nec apud Ciceronem p. Arch. 10 *hoc* (gloria) *maximum et periculorum incitamentum est et laborum* quicquam mutandum.

Cap. 42, §. 25. *Tyriotes*] Plutarch. Alex. c. 30 *Τίριωος* et *Τειρεως*: libri Curtiani non variant, tantum Flor. E *Tyriothes*, G *Tiriotes*.

§. 26. *vultus inquit tuus*] Sic nostri omnes praeter Flor. H et Bern. B qui vulgatae *vultus tuus inquit* favent. Accedunt nobis Leid. et Modiana editio.

didici esse infelix] Omisi cum Modio quod in deterioribus codd. et ex iis in edd. adiicitur *enim*. De nostris non est in Bern. A Flor. ABDFI, nec ullus Snak. habet.

§. 27. *num quod*] Olim ante Modium edi solebat *numquid quod*, sed in Flor. aliquot est *numquid*, in nullo *numquid quod*.

omni tristiora supplicio omnes libri veteres, editi praeter Modianum exemplar *graviora*.

honos ab his qui parent haberi potest, tuis a victore servatus est: sed uxor tua paulo ante excessit e vita. Tum vero non 29
gemitus modo, sed etiam eiulatus totis castris exaudiebantur: nec dubitavit Dareus, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam perpeti. Exclamatque amens dolore: *Quod ego tantum nefas commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necavi, ut hanc vicem restitueres saevitiae meae? Odisti me, non quidem provocatus: sed finge, iustum intulisse te bellum, cum feminis ergo agere debueras?* Tyriotes affirmare 30
per deos patrios, nihil in eam gravius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum morti, et non parcius flevisse, quam ipse lacrimaret. Ob haec ipsa amantis animus in 31
sollicitudinem suspicionemque revolutus est, desiderium captivae profecto a consuetudine stupri ortum esse coniectans. Summotis igitur arbitris, uno dumtaxat Tyriote retento, 32
iam non flens, sed suspirans, *Videsne,* inquit, *Tyriote, locum*

§. 28. *honos ab his*] *Honos* forma antiquior et a Cicerone usurpata (cf. nos ad lib. III in Verr. c. 16 extr.) etiam apud Curtium ex probatissimis libris pro vulgari, quae est *honor*, restituenda. Et hoc quidem loco in utroque Bern. et Flor. ad unum omnibus legitur (item *his* pro *iis*); unus relinquitur locus VIII, 21, 5 ubi *praecipuus honor habebatur* in optimis et plurimis est.

§. 29. *tum vero*] Optimi *tunc*, sed assentiri non possum. Progreditur enim narratio, non quasi redit ad describendum quid certo quodam tempore actum sit. Cf. supra ad III, 8, 24 et 34, 7. Deinde *exaudiebatur* Flor. BDFGI Bern. B et Modius, sed praestat pluralis numerus de multorum hominum in praetorio congregatorum lamentationibus.

contumeliam perpeti] Sic Modius e suis libris, quibuscum faciunt Leid. Voss. 1 et Bern. A Flor. ABDFGI. Vulgo *pati*.

vicem restitueres saevitiae meae] Editur vulgo *vicem saevitiae meae reddas*, et invenitur hoc in Flor. DFGI, contra in Flor. B CEH et Bern. B legitur quod edidi, prorsus abest verbum a Flor. A. Abest itidem a Bern. A et Leid. eo quo nos dedimus loco, sed in margine manu recentiore additur in illo *restitueres*, in hoc *redderes*. De Voss. 1 siletur. Libera igitur optio dari videtur utrum malis. Atque imperfectum tempus eam ob causam praestare mihi videtur, quod praesens quasi accusantis semetipsum saevitiae crimine esset. Neque negabo tamen *vicem restituere* veteri auctoritate carere, sed cum *reddere vicem* bene dicatur, quidni etiam *restituere* probetur?

cum feminis ergo agere debueras?] Hanc dicendi formulam *bellum agere* allatis idoneis auctoribus defendunt interpretes ad Nepot. Hann. c. 8, ne quid forte de corrigendo cogites, sicut Freinsh. scribi voluit *gerere*.

§. 30. *lacrimaret* pro vulg. *lacrimaretur* scribendum putavi propter auctoritatem codd. Leid. Bern. A Flor. AB, quamquam ne deponentialis quidem forma idonea caret auctoritate. Paulo post *ob haec ipse* in optimis plurimisque codd. legitur, sed mendum esse librariorum facile intelligis. *Ipsa* non est nisi in Flor. I Bern. A de meis et in Voss. 1. Edit. pr. *ipsi*, Aldina *ipse*, Iuniana primum *ipsa*.

§. 32. *videsne inquit Tyriote*] *Inquit* dedimus ex emendatione G. L. Walchii, cum vulgo legeretur *in te*, pro quo in uno Flor. B *vite* extat. Delere voculas volebat Freinshemius. Tum Bern. A a pr. m. et Flor. A *tyriotum*.

mendacio non esse? tormenta iam hic erunt: sed ne expectaveris per deos, si quid tibi tui regis reverentiae est: num, quod et scire expeto et quaerere pudet, ausus est et dominus, et iu-
3 *venis?* Ille quaestioni corpus offerre, deos testes invocare,
4 caste sancteque habitam esse reginam. Tandem ut fides facta est, vera esse quae affirmaret spado, capite velato diu flevit, manantibusque adhuc lacrimis, veste ab ore reiecta, ad coelum manus tendens, *Dii patrii*, inquit, *primum mihi stabilite regnum: deinde, si de me iam transactum est, precor, ne quis potius Asiae rex sit, quam iste tam iustus hostis, tam misericors victor.*

XI. Itaque quamquam, frustra pace bis petita, omnia in43
bellum consilia converterat, victus tamen continentia hostis, ad novas pacis condiciones ferendas decem legatos, cognatorum principes, misit: quos Alexander, consilio advocato,
2 introduci iussit. E quibus maximus natu, *Dareum*, inquit, *ut pacem a te iam hoc tertio peteret, nulla vis subegit,*

tibi tui] Sic et edd. vett. et plerique codd. nostri. In recentioribus editionibus (post Raderum opinor) *tui tibi* est, quod inventum est in Flor. E.

§. 34. *ne quis potius Asiae rex sit*] Deest in editis exemplaribus praeter Modianum *potius*, quod iam addidi Bernensibus et Florentinis ad unum omnibus postulantibus, nec quicquam potest esse aptius. Snak. unum Voss. 2 auctorem scripturae huius citat, nec tamen mihi fidem facit a Leid. et Voss. 1 abesse *potius*.

Cap. 43, §. 1. *frustra pace bis petita*] Hoc verborum ordine non modo Leid. quem unum citat Snak., sed Bern. et omnes Flor. nisi quod in Flor. C *frustra* omittitur; editi praeter Mod. *pace frustra bis petita*.

§. 2. *iam hoc tertio peteret*] Omiserat Modius *hoc*, atque abest sane a Voss. 2 Bern. B et Flor. CEH, in quibus item *iam* desideratur legiturque *a te tertio quaereret*: sed illi libri sunt ex deterrimis. Recte igitur Gronov. Obss. II, 8 p. 212 ed. Lips. *iam hoc tertio*, quod dictum esset pro hac tertia vice, defendit, laudatque Valerium Flaccum Argon. IV, 253 *extremum hoc vinclis innectere palmas dat famulis*, et Paulum Apostolum II ad Corinthios 13, 1 τοῦτο τρίτον ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Legitur hoc quidem aliis quoque locis atque etiam inverso ordine τρίτον τοῦτο in sacra scriptura, ut videbis in Lexico Schleusneriano. Livius I, 29, 3 *domos suas ultimum illud visuri*, nosque apud Curtium X, 14, 3 *donec a toto exercitu illud ultimum persalutatus est* restituimus. Quem locum Ciceronis in epist. ad Atticum XIII, 46 Gronovius in notis Livianis laudat *(exeo hoc primum)*, eum non recte huc referri, mutata scriptura, inquirenti apparebit, erratque Gronovius etiam in eo quod Livium explicans hunc, quem tractamus, Curtii locum ita citat quasi sit *hoc tertium*. Omnino *hoc tertio* in nostro loco singulare est in omni Latinitate, sed cum adverbialiter et *tertium* et *tertio* promiscue diceretur pro eo quod Graece est τρίτον sive τὸ τρίτον et Germanice zum dritten Male, poterat scriptor tuto etiam *hoc* aut *illo tertio* dicere. Neque enim in his locutionibus *tertio* adiectivum est omisso *loco* aut *numero* (ut Gronov. in Obss. significat) sed nomen potius substantivum neutrius generis, id quod declaratur altera locutione *hoc* aut *illud tertium (ultimum)*.

sed iustitia et continentia expressit. Matrem, coniugem, liberos 3
eius, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensimus: pudicitiae earum, quae supersunt, curam haud secus quam parens agens, reginas appellas, speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darei fuit, cum dimittere- 4
mur ab eo: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturae eius moraretur. Ecquid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo finem 5
destinabat Halym amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quicquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit: Ochum filium, quem habes, pacis et fidei ob- 6
sidem retine, matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta milia talentum auri precatur accipias. Nisi 7
moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris: intuere, quantum 8

sed iustitia et contin. expressit] Vulgo *continentia tua*, quod non contemnerem, si meliores libros haberet auctores. Sed ex suis optimis iam delevit Snakenb., et ignorant de meis ambo Bern. et Flor. ABCEH, in ceteris legitur in principio *tua iustitia*.

§. 3. *liberos eius*] Vulgo *liberosque*, sed omittunt coniunctionem Florentini ad unum omnes, eleganter illud quidem et de more: miror tamen Bern. A et Leid. Voss. 1 non commemorari inter eos a quibus coniunctio absit. Mox Bern. et Flor. omnes et Snakenburgii Leid. Voss. 2 (non etiam Voss. 1) cum edit. Mod. *non sensimus*, non inepte, opinor, immo rectius quam quod circumfertur *non sensit:* nam cognati regis loquuntur. Ceterum *nisi quod sine illo sunt* nihil aliud est praeterquam quod separati sunt invicem, poteratque eodem iure dici: nisi quod ipse eos non habet secum.

§. 5. *imperio tuo finem destinabat Halym*] Nescio quo consilio factum sit, ut editores recentiores quod in vetustioribus exemplaribus (Merul. Ald. Iun. Mod.) legebatur *finem* eiecerint. Legitur certe in nostris codd. omnibus (Snak. rursus silet Voss. 1), nec satis intelligo qui ea voce possimus carere. *Halym* cum aspiratione in nullo codice inveni, sed praeter unum Flor. D omnes *alim* sive *alym* litera *m* scribunt, non sicut vulgo nunc edunt *Halyn*. Supra tamen c. 21 Graeca terminatio *n* in optimis est.

§. 6. *trig. milia tal. auri*] De summa pecuniae discrepant auctores. Arrianus II, 25 (rem ad obsidionis Tyriae tempus referens) et Plutarchus Alex. c. 29 *μύρια* talenta tradunt, apud Diodorum XVII, 54 *τάλαντα ἀργυρίου τρισχίλια* apud Valerium Maximum VI, 4 Ext. 3 decies centum milia talentum nominantur, sed apud utrumque corrupte, ut Diodorus *τρισμύρια*, Valerius decem milia voluisse videantur. Iustinus XI, 12 triginta milia talentum oblata dicit. Eam dissensionem iam simpliciorem, ut aut X aut XXX milia fuerint, ego non diiudico, sed hoc annoto, quod apud Curtium est *auri*, idem esse videri quod nos vulgari sermone dicimus *in auro*, i. e. ut pecuniae summa pridem ex argenti pondere collecta, certa ratione (quam 10 ad 1 fuisse puto) auro repraesentetur. Sic etiam apud Graecos v. c. apud Dinarchum in Demosth. §. 6 et 97, *τάλαντα χρυσίου* intelliguntur.

petas. Periculosum est praegrave imperium: difficile est enim continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant? Nescio, an Dareus ideo tam multa amiserit, quia nimiae opes magnae iacturae locum faciunt. Facilius quaedam vincere, quam tueri: quam, hercule, expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darei admonere te potest, minus iam misericordiae tuae licere, quam licuit.

Alexander, legatis excedere tabernaculo iussis, quid 44
placeret, ad consilium refert. Diu nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta regis voluntate. Tandem Parmenio, ante suasisse, ait, ut captivos apud Damascum redimentibus redderet: ingentem pecuniam potuisse redigi ex his, qui multi vincti virorum fortium occuparent manus. Et nunc magnopere censere, ut unam anum et duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta milibus talentum

§. 8. *difficile est enim*] Addidi *enim* ex Bern. A Flor. AG. Leidensis traditur habere *diff. enim est.*

§. 9. *facilius quaedam vincere*] Vulgo *facilius est q. v.*, sed non potui non parere consensui librorum mss. meorum omnium praeter Flor. G, quibus Snakenburgii unus Leid. accedit. Variandi causa sententiose loquitur Curtius.

admonere te plerique codd., reliqui Flor. DFI *te* omittunt cum Modio, vulgo *te admonere.*

Cap. 44, §. 10. *quid placeret* i. e. quid fieri placeret, quae constans loquendi ratio in relationibus faciendis, vide Brisson. de formulis lib. II, c. 43.

§. 11. *Parmenio ante suasisse ait*] Necesse fuit, cum in omnibus libris legeretur *suasissem — redderes*, corrigere *suasisse — redderet*, ut sequentia convenirent. Quamquam sicut in editionibus vulgaribus circumferuntur, illa ipsa nunc corrupta sunt. Sed restituendum est ex optimis libris (Bern. A Flor. AB, quibus accedunt et Leid. et Voss. 1) *censere* pro *censerem* et *permutet* pro *permutes.* Necesse sic esse apparet primum ex oratione indirecta in his: *ingentem pecuniam potuisse redigi;* deinde ex eo quod si *suasissem* probares expectare deberes Parmenionem tum longe aliud censuisse. Praeterea *ante*, quae est vulg. scriptura, auctoritate Bern. A Flor. A et Voss 1 (si fides silenti Snak.) defenditur; reliqui Flor. et Leid. *antea* praeferunt. Quod accusativus *se* omittitur, auctori adscribo et excuso, ut saepius.

qui multi vincti vir. fort. occuparent manus] *Occuparent* Modius se ex codd. edidisse significat, et inveni sane enotatum ex Flor. DFGI; malim tamen eam et Modii et antiquorum illorum emendationem existimare, necessariam illam quidem ad orationis elegantiam. Flor. AB sicut vulgo editur habent *occupaverant;* sed cum in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. Voss. 2 *occuparant* legatur et in Flor. E Bern. B *occupant* extet, via qua vera scriptura *occuparent* depravata sit patefacta videtur. Vocem *multi* delendam censent Freinsh. et Cellarius, Acidalius *simul* inepte corrigit; sed patet explicandum esse: qui, cum multi sint, vincti viros fortes occupatos tenent, s. quorum frequentium custodia armatos requirit.

§. 12. *triginta milibus talentum*] Editur vulgo solocce *talentis*, quod emendavimus cum Modio ex auctoritate Leid. libri et Bern. A multorumque Flor. AB DFGI. Cf. ad v, 20, 9.

auri permutet. Opimum regnum occupare posse condi- 13
tione, non bello, nec quemquam alium inter Istrum et Euphraten possedisse terras ingenti spatio intervalloque discretas. Macedoniam quoque potius respiceret, quam Bactra et Indos intueretur. Ingrata oratio regi fuit. Ita- 14
que ut finem dicendi fecit, *Et ego*, inquit, *pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum et me non mercatorem memini esse, sed regem. Nihil quidem habeo venale, sed fortunam meam* 15
utique non vendo: captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus. Introductis deinde legatis ad 16
hunc modum respondit: *Nuntiate Dareo, me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae eius tribuisse, sed naturae meae. Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo: ar-* 17
matus sit oportet, quem oderim. Quodsi saltem pacem bona 18
fide peteret, deliberarem forsitan, an darem. Verum enimvero, cum modo milites meos litteris ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus est, non ut iustus hostis, sed ut percussor venefi-cus. Condiciones vero pacis, quas affertis, si accepero, victo- 19
rem eum faciunt. Quae post Euphraten sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphraten sum.

§. 13. *occupare posse*, intellige *illum* s. regem. Edd. pr. et Flor. H cum Bern. B *occupare se*, Aldina primum *occupari* sicut Flor. DEFI, sed parendum est optimis codd. Leid. Flor. AB Bern. A. *intervalloque discretas*] Codd. omnes et edd. vett. *desertas*. Quod praescripsimus coniecit Acidalius, recepit primus Raderus recte, ut opinor. Livius XXVII, 39 fin. *duas urbes magno inter se maris terrarumque spatio discretas de imperio certare*, alia vide in lex. Paulo post *potius respiceret* Leid. Bern. A Flor. AB alii, vulgo *resp. potius*. Flor. DFI *Macedoniam potius respiceret*, et sic edit. Modiana nisi quod *respiceres*, sicut postea *intuereris*, habet de coniectura Modii.

§, 14. *Parmenio*] *Parmenion* Leid. Bern. uterque Flor. CGHI.

§. 16. *nuntiate Dareo me* cet.] Antiquam corruptionem h. l. Curtii liber expertus est ex Iustino XI, 12; additur enim in codd. Voss. 1 et 2 (quantum ex apparatu Snak. intelligo) et in Flor. CEGH Bern. B hoc loco post verbum *Dareo: gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse*, deinde in iisdem excepto libro Flor. G post *naturae meae: nec adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere.* Ex his libris corruptis eorumque similibus editiones principes ductae sunt, in quibus et ipsis ista supplementa leguntur, donec Modius integriorum suorum librorum ope fraudem detexit.

§. 18. *percussor* verum est, quamvis in optimis et plurimis mss. legatur *perculsor*.

§. 19. *quas affertis* omnes libri Bern. et Flor. cum Leid. Voss. 2 pro vulg. *fertis*. *ubi igitur me affamini? nempe ultra*

Summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quo ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam: nempe quam scio alicui servorum eius nupturam. Multum vero mihi praestat, si me Mazaeo generum praeponit! Ite, nuntiate regi vestro, et quae amisit, et quae adhuc habet, praemia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximae lucis assignatura fortuna est. Legati respondent, cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur. Ipsos petere, ut quamprimum dimittantur ad regem: eum quoque bellum parare debere. Dimissi nuntiant, adesse certamen.

II. Ille quidem confestim Mazaeum cum tribus equitum milibus ad itinera, quae hostis petiturus erat, occupanda praemisit. Alexander, corpori uxoris eius iustis persolutis, omnique graviore comitatu intra eadem munimenta cum modico praesidio relicto, ad hostem contendit. Duo cornua diviserat peditum, utrique lateri equite circumdato: impedi-

cet.] Sic iam vulgo legitur post Modii emendationem; olim autem vulgabatur: *ubi — affamini? nempe obliti estis: nam ultra.* Ne hoc quidem legitur in plerisque codd. sed sic fere: *affatis: nempe obliti estis: nempe ultra Euphraten sum.* Modius igitur media verba *nempe obliti estis* glossae nomine sibi suspecta eiecit, et cum eo faciunt nostri Flor. AB et Leid., ita tamen ut in Flor. A et Leid. *adfatis* sit. A Bern. A plura absunt, quae inter *sunt* et *summum* interiacent; omissa verba in margine adscribuntur item cum soloeca forma *adfatis*. Voss. 1 siletur. *vestrum esse quo ceditis*] Vulgo *quod ceditis*, sed exquisitior videtur esse haec codd. meliorum Leid. Bern. A Flor. AB lectio. VI, 24 *captae urbis titulo cedens.*

§. 20. *quam scio alicui servorum eius nupturam*] *Eius* restituerat iam Modius pro vulg. *suorum* e codd. suis, ad quos cum accedant Flor. ABDGI Bern. A, nulla mora debet esse quin soloecam orationem emendemus. Vitium intellexerant illi qui proximi ante Modium pro *scio* corrigerent *scit*. Miror Snakenburgium suorum codd. nullam fecisse mentionem; contra quam fecit editionum veterum Merul. Aldinae, in quibus dicit esse *suorum servorum* inverso ordine, in ea re erravit.

§. 21. *fortuna est*] Post haec verba denuo quaedam ab Iustino petita, sed novo exordio praetexta inseruntur: *Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus tamen et non par mihi vellet haberi, facerem forsitan quae petit. Ceterum nec mundus*, et quae sequuntur apud Iustin. XII, 12 usque ad finem capitis. Legitur iste pannus in codd. Flor. CEFGHI et Bern. B, abest a Flor. ABD et Bern. A.

§. 22. *petere ut quam primum*] *Ut* adieci ex omnibus codd. meis.

Cap. 45, §. 1. *cum tribus eq. milibus*] Sic et codd. nostri praeter Flor. C omnes et edit. Mod. Vulgo *cum tribus millibus equitum.*

§. 3. *duo cornua diviserat peditum*] Sic et Modius ediderat et nos scribendum putavimus ex Flor. libris omnibus et utroque Bernensi, atque sic adeo editiones antiquae, nisi quod Vindelini *dimiserat*, Merulae *dimerserat*, Aldus

menta sequebantur agmen. Praemissum deinde cum citis 4
equitibus Menidan iubet explorare, ubi Dareus esset. At
ille, cum Mazaeus haud procul consedisset, non ausus ultra
procedere, nihil aliud, quam fremitum hominum hinnitum-
que equorum exaudisse, nuntiat. Mazaeus quoquē, conspe- 5
ctis procul exploratoribus, in castra se recepit, adventus
hostium nuntius. Igitur Dareus, qui in patentibus campis
decernere optabat, armari militem iubet, aciemque disponit.
In laevo cornu Bactriani ibant equites, mille admodum, 6
Dahae totidem, et Arachosii Susianique quattuor milia ex-
plebant. Hos centum falcati currus sequebantur. Proxi-

demum verum ex istis depravationibus facile assecutus *diviserat*. Est enim h. l. *cornua dividere* idem fere atque *dividendo efficere*, sicut Cic. in orat. partit. extr. *ambigui partitiones dividere* dixit. Quod dicendi genus cum parum intelligerent insequentes editores, *duo cornua divisa erant peditum* scripserunt, et Acidalius Modii arrogantiae nusquam non adversans ceteris suam emendationem *in duo cornua diviserat peditem* persuasit. Quod sequitur *utrique lateri equite circumdato* sic in uno Flor. G extat, sed ceteri libri omnes eodem tendunt. Nam codd. DFI idem exhibent nisi quod *circumdato milite* addunt, Flor. A et Mod. edit. *utrimque lateri*, Flor. BC et Bern. A et Leid. *utrimque latera*, ceteri *utraque latera* habent, Flor. H et Bern. B praeterea *equite circumdata*. Contra editiones omnes a libris mstis longe discedentes *in utrumque latus* haud dubie ex coniectura (cui fortasse Voss. 2 scriptura *utrumque latus* praeivit) exhibent. Iam igitur in hac lectionis varietate nihil vero propius videbatur quam quod describendum curavi. Nam quominus Modium sequerer id obstitit quod videbatur tum corrigendum esse *lateribus*, neque Gronov. persuasit, ut Curtium, relicto quo alibi utitur dicendi genere, Graeca constructione usum *utrimque latera equite circumdato* scripsisse putarem.

§. 4. *cum citis equitibus* emendatio est Freinshemii, cum in vulg. editionibus legeretur *concitis*, in Modiana *cum Scythis equitibus*. Codd. plerique omnes *cum scitis*, pauci *conscitis*, Flor. G *cum Scithis*, Flor. autem D **prorsus sicut** Freinsh. coniectura **assecutus est. Neque** de Scythis in exercitu **Alexandri usquam** fit mentio, ne de armis quidem Scythicis, i. e. arcu, sagittis, cogitandum est, quae omnia posteriorum temporum. *Citi equites* leguntur apud Liv. XXVI, 15, *citi milites* apud Tacit. Ann. II, 1, *citae legiones* etiam apud Tac. Ann. XIV, 26 quae alibi *expeditae* dicuntur i. e. sine ullis impedimentis aut gravi armatura.

Menidan pro vulg. *Menidam* Snak. dicit in suis mss. esse, accedunt ex Flor. ADH et ambo Bern. Redit ille c. 56 et apud Arrian. III, 13 *μισθοφόροις* equitibus praeest.

§. 5. *in castra se recepit*] Sic codd. nostri omnes praeter Flor. G, cuius similem secutae editiones (praeter Mod.) *recipit* exhibent. Idem cod. cum Bern. B *adventum hostium nuntians*, Flor. H *adventus host. nuntians*.

§. 6. *Arachosii Susianique*] Edit. pr. *Suevique*, Mer. *Suevi*, Ald. *Susii*, ceteri revocata coniunctione *Susiique*; codd. partim *Suanique* partim *Susanique*, unde Raderus recte videtur *Susianique* fecisse, quos ipse Curtius V, 12, 16 appellat. Post olim omiseram *milia* sicut fit in Leid. Voss. 2 utroque Bern. Flor. ABCH, sed quia in reliquis Flor. *milia* aut nota aut litteris exprimuntur nec facile ex praegresso *mille* cogitari possunt, nunc revocavi.

centum falcati currus omnes codd., non *quinquaginta*, ut vulgo editur post Aldum. Arrian. III, 11 item centum currus in laevo cornu fuisse, sed *προτετάχθαι* ei refert.

mus quadrigis erat Bessus cum octo milibus equitum item Bactrianis. Massagetae duobus milibus agmen eius claudebant. Pedites his plurium gentium non immixtos, sed suae quisque nationis iunxerat copias. Persas deinde cum Mardis Sogdianisque Ariobarzanes et Orontobates ducebant. Illi partibus copiarum, summae Orsines praecerat, a septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque nobilissimum regem originem sui referens. Hos aliae gentes, ne sociis quidem satis notae, sequebantur. Post quas quinquaginta quadrigas Phradates magno Caspiorum agmine antecedebat. Indi, ceterique rubri maris accolae, nomina verius quam auxilia, post; currus erant. Claudebatur hoc agmen aliis falcatis curribus: quis peregrinum militem adiunxerat. Hunc Armenii, quos minores appellant, Armenios Babylonii, utrosque Belitae, et qui montes Cossaeorum incolebant, sequebantur.

cum octo milibus equitum Bactrianis] Sic Flor. GH Bern. B, omittit *milibus* Bern. A, Flor. AB Voss. 1. 2 *cum* VIII *equitibus*, Flor. C *cum* VIII *millibus. Item Bactrianis*, DFI *Bessus* VIII *equitum. Item Bactrianis* rel.

§. 7. *non immixtos* sive *non inmixtos* omnes codd.; vulgo *non mixtos*. Item paulo post omnes *iunxerat*, quod vulgato *iunxerant* substitui, neque enim *quisque* pluralem verbi numerum postulat. *Quisque* autem unusquisque ducum est, id quod moneo propter Drakenb. ad Liv. III, 22, 6 notam.

Orontobates scripsi pro vulg. *Orobates* ex Arriani lib. III, 8, ubi homo cum Ariobarzane praefuisse dicitur rubri maris accolis. Nec codd. a nostra scriptura longius abeunt quam a vulg., optimi enim et plurimi *Orionibates*, alii *Oriombates*, *Orianbates*.

§. 8. *originem sui referens*] De genitivo *sui* dixi in gramm. §. 424, laudatis Davisio et Oudendorpio ad Caes. B. G. I, 4. Curtius V, 17, 6 *in longum sui ludibrium reservaverant* et IX, 10 pr. *nec mei nec hostium exercitus numero*. Alius generis est *magna mei pars* IV, 55. De ipso homine vide X, 4. Septem pares Persas eorumque privilegia noris ex Herod. III, 118.

§. 9. *Caspiorum agmine*] Sic codd. nisi quod Flor. AH Bern. B *caspiarum*, Flor. C *copiarum;* verum edita exemplaria *Caspianorum*, qua correctione non erat opus, quoniam illi etiam *Caspii* vocabantur. Vide lex.

nomina verius] Errasse videtur Modius cum voci huic *verius* locum negaret, codd. certe silent.

§. 10. *aliis falcatis curribus*] Addunt editores numerum *quinquaginta*, sed eum codd. Bern. Flor. et Modiani ignorant omnes, quocirca de ceteris vix dubium esse potest.

quos minores appellant] Sic omnes omnino codd., edita exemplaria praeter Modianum *vocant*.

Cossaeorum] Plerique libri *Quosseorum*, etiam edd. vett. Emendavit Iunius, sed et hic et priores *incolunt*, pro quo Modius secundum codd. consensum *incolebant* dedit. Eam gentem montanos inter Mediam et Susianam tractus (hodie Loristan) incolentem perdomuisse atque adeo sustulisse traditur Alexander postremo tempore suo, vide Arrianum VII, 15 et Diod. XVII, 111. *Belitas* (qui sunt *pelitae* in Flor. G) nemo alius commemorat, sed cum Babyloniis cohaerere cum ordo aciei, tum nomen a Belo Babyloniorum heroe deductum probat.

Post hos ibant Gortuae, gentis quidem Euboicae, Medos 11
quondam secuti, sed iam degeneres, et patrii moris ignari. Applicuerat his Phrygas et Cataonas. Parthyaeorum deinde gens, incolentium terras, quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen. Haec sinistri cornus acies fuit. Dextrum tenebant natio maioris Armeniae Cadusii- 12
que, et Cappadoces, et Syri, ac Medi. His quoque falcati currus quinquaginta erant. Summa totius exercitus, equi- 13
tes quadraginta quinque milia, pedestris acies ducenta milia

§. 11. *Gortuae gentis quidem Euboicae*] Emendationem Freinsh. recepi *gentis* pro eo quod et editi et msti libri habent *gentes;* nimis enim videbatur inconcinna oratio, si *secuti* masculino genere ad *Gortuae* referretur, cum deberet ad praegressum *gentes*. Historiam traductionis nemo veterum explicat, sed res pertinere videtur ad eam expeditionem, quam Datis et Artaphernes in Graeciam susceperunt. Quae Graeca civitas nomine proxime accedit ad *Gortuas* hosce, Gortyn est, sed ea Cretensis non Euboica. Sed fortasse sunt Eretrienses Darei Hystaspis fil. iussu vi abducti et in Susiana collocati, ut Herodoto auctore VI, 119 scimus.

Parthyaeorum denique gens] Apparet Curtium discrimen facere inter Parthos, nobilem suae aetatis populum, et eos, qui tum Παρθυήνην s. Παρθυαίαν a Graecis, a Curtio *Parthienen* dictam incolebant. Poterat etiam apud Curtium scribi *Parthyene*, sed libri Graecam litteram in eo nomine tribus quibus legitur locis V, 34, 8, VI, 6 init., 10, 2 non agnoscunt. Verum populus hic quaeritur quo nomine appellandus sit. Ad Graecam formam debet *Parthyaei*, et hoc potest confici e lectionibus codd. h. l.; nam qui libri non habent *Parthorum*, hi aut *Parthiorum* (Flor. DFGI), aut *Parthoirum* (Leid. Bern. A) aut quod eodem pertinet *Pastoirum* (Flor. A) habent. Quod Modius, quasi sic in codd. suis esset, edidit *Parthienorum*, id hoc quidem loco in nullo eorum, quorum accuratior quaedam notitia est, inventum est, sed satis certum videtur IX, 41. Verum haec nominis forma nec Graecis nec Latinis scriptoribus usitata est: ac si codicum mss. variantes scripturas IX, 41 accuratius exploraveris, illo quoque loco iure *Parthyaeos* legi posse concedas. Quod autem illud inter veteres Παρθυαίους et recentiores Πάρθους discrimen a Graecis scriptoribus, qui post Parthorum adultas opes extiterunt, neglectum est, minus me movet, qui eandem esse gentem existimem nova stirpe ex veteri patria auctam. Vide Iustin. lib. XLI.

sinistri cornus] *Cornus* pro vulgato *cornu* et h. l. edidi et c. 48 huius libri, auctoritatem optimorum codd. Leid. et Flor. AB, adde Flor. GH Voss. 2 et Modianae editionis secutus. (Bern. A *corn'*, Voss. 1 siletur). Cf. Schneideri grammat. p. 329 seqq., Drakenb. ad Livii lib. III, 62, 8 et nunc imprimis Freundii proleg. ad lex. Lat. p. LXVI, seqq.

§. 12. *tenebant* Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1. Vulgo *tenebat*. Paulo post *et Cappadoces et Syri ac Medi*, sicut in codicibus fere omnibus legitur, edendum curavi, cum vulgo coniungendi particulae omittantur. Item *quinquag. erant*, alio ac vulgo ordine, ex libris plerisque.

§. 13. *quadr. quinq. milia*] *Milia* Snak. tradit abesse a mss. omnibus, et verum est de nostris Flor. ABDFI, in reliquis autem aut litteris expressa sunt aut lincola super numerum ducta significantur. Sed *ducenta milia* vera esse non possunt, cum scriptor supra c. 35 dimidio maiorem quam ad Issum exercitum comparatum esse rettulerit, reliquique scriptores in eo certe consentiant, ut peditum longe maiorem numerum tradant. E codd. mss. nihil opis est nam qui expressis litteris non utuntur cc m scribunt; unus Flor. C in diversa

pleverat. Hoc modo instructi decem stadia procedunt, ısique subsistere, armati hostem expectabant.

Alexandri exercitum pavor, cuius causa non suberat, 46
vasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pe-
ora occulto metu percurrente. Coeli fulgor tempore
stivo ardenti similis internitens ignis praebuit speciem,
mmasque ex Darei castris splendere, velut illati temere
aesidiis, credebant. Quodsi perculsis Mazaeus, qui prae-
debat itineri, supervenisset, ingens clades accipi potuit:
mc, dum ille segnis in eo quem occupaverat tumulo se-
t, contentus non lacessi, Alexander, cognito pavore exer-
us, signum ut consisterent dari, ante ipsos arma depo-
re ac levare corpora, iubet, admonens, nullam subiti
ausam esse terroris, hostem procul stare. Tandem compo-
i sui pariter arma et animos recepere: nec quicquam ex
aesentibus tutius visum est, quam eodem loco castra
mire. Postero die Mazaeus, qui cum delectis equitum

ens *centum et centum millia* habet. odsi coniectura utendum, si *decies tena milia* scripseris, ipsam pedestris rcitus summam, quae est apud Ar-. III, 8 habebis; equitum ille XL ia fuisse tradit.

Cap. 46, §. 14. *velut illati temere esidiis*, i. e. quasi qui Darei copiis cti essent. Nullo loco plus vidi ha-lationum apud interpretes quam hoc s quia recoquere ineptum esset, sa-habebo commemorare nec editiones eres Vindelini, Barth. Merulae, Al-am a vulg. lectione dissentire, nec ld. Bern. et Flor., nisi in illis vulga-us ut alii habeant *inlati* alii *illati* etiam *elati*, ulla praeterea in re tare. Sed Iuniana edit. fortasse er-e typothetae habet *illatas*, et Mo-s in membranis nescio quam vere, vehementer dubito num vere, tradit e *illatis temere praediis*. Hinc ha-landi principium coepit.

§. 15. *nunc dum ille segnis*] Priora o verba *nunc dum*, quae ad oratio-n connectendam maxime faciunt, in g. editionibus desunt, quamvis le-atur in omnibus codd. nostris et iis os Snak. contulit. In margine habet ius et in textum revocaverat Modius, sed insecuti ei non paruerunt de anti-quorum editorum religione somniantes, quorum nos aut malam fortunam in eligendis bonis mss. aut negligentiam non possumus non accusare. *Nunc* autem pro adversativa particula post condicionem aliquam i. e. post particu-lam *si* poni, etiam lexica docent et usu vulgari constat. Imprimis vide Handii Turcell. Tom. IV p. 340.

§. 16. *ante ipsos*] *Ante* quod addi-dit Modius et Snak. et ego in omnibus codd. invenimus, estque ad rem maxime opportunum.

subiti causam esse terroris] Malo vulgo *timoris* editur ex principibus edi-tionibus propagatum. Sed illae unde traxerint difficile mihi est dicere, quo-niam nostri certe omnes et Snaken-burgiani habent quod esse debet *terro-ris*. Infra c. 48 eandem appellat *subi-tam formidinem*.

§. 17. *et animos recepere*] Plerique codd. et mei et Snak. *recipere*, sed recte editi libri et Flor. BG, neque enim describit sed procedit oratio. Item *Mazaeus qui* recte post Aldum editi, scripti nostri quidem et Snak. omnes praeter Leid. omittunt *qui*.

in edito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat, sive metu, sive quia speculari modo iussus erat, ad Dareum rediit. Macedones eum ipsum collem, 19
quem deseruerat, occupaverunt: nam et tutior planitie erat, et inde acies hostium, quae in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant 20
montes, universae quidem rei faciem non abstulit, ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundaverat campos, fremitusque tot milium etiam procul stantium aures impleverat. Fluctuari animo rex, et 21
modo suum, modo Parmenionis consilium sera aestimatione perpendere, quippe eo ventum erat, unde recipi exercitus, nisi victor, sine clade non posset. Itaque dissimulato metu mercenarium equitem ex Paeonia praecedere iubet. Ipse 22
phalangem, sicut antea dictum est, in duo cornua extenderat: utrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat, et Macedones, sive alacritate, sive taedio expectationis, ingentem pugnantium more edidere clamorem. Redditus et a Persis nemora vallesque circumiectas terribili sono impleverat. Nec 24
iam contineri Macedones poterant. quin cursu quoque ad

§ 20 [illegible]] Conieci [illegible], quod vulgo legitur, et [illegible] posui, quia in omnibus libris [illegible] non [illegible] sed [illegible] scriptum. Posse sane etiam hoc defendere [illegible] positum pro simplici (cf. [illegible] 31), verumtamen [illegible] quae [illegible] illud magis videtur commendare. Certe causa [illegible] nulla cur hoc loco [illegible] natum.

[illegible] Flor. A et [illegible], sed [illegible] [illegible] [illegible]

§ 21 [illegible]] Mas. [illegible] Modius, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

Flor. CEFIHI Bern. B) atque ex iis propagatus est in editiones veteres pannus aliquis ex Iustin. lib. XI, 9, 2 desumptus: *[illegible] cum multitudo hostium [illegible] suae gentis, sed in[illegible] quantas res cum hac [illegible] quantosque populos fu[illegible]. Itaque cum spes metum vinceret, [illegible] differre ratus, ne [illegible] cresceret* — sed quo [illegible] interpolatio esset, *itaque* quod [illegible] facile senserunt editores, [illegible] tamen librarii pro fide sua [illegible] non ausi sunt. Primus, sicut [illegible] supra ex eodem fonte pe[illegible]. Modius melioribus libris [illegible] interpolationem coarguit ac sustu[illegible]. Sed [illegible] *dissimulato* [illegible] est. Modius edi[illegible] ex coniectura [illegible] lectore, Freinsh. [illegible] non inepte, sed [illegible]

hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire, vallum iaci iussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, successit.

11. Tum vero universa futuri discriminis facies in oculis 47
erat: armis insignibus equi virique splendebant, et omnia intentiore cura praeparari apud hostem, sollicitudo praetorum agmina sua interequitantium ostendebat, ac pleraque
2 inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, sollicita expectatione mentem turba-
3 verant. Igitur sive dubius animi, sive ut suos experiretur, consilium adhibet, quid optimum factu esset, exquirens.
4 Parmenio, peritissimus inter duces artium belli, furto, non proelio opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes: discordes moribus, linguis, ad hoc somno et improviso periculo territos, quando in nocturna trepidatione
5 coituros? At interdiu primum terribiles occursuras facies Scytharum Bactrianorumque: hirta illis ora et intonsas comas esse, praeterea eximiam vastorum magnitudinem corporum. Vanis et inanibus militem magis quam iustis formidinis causis moveri. Deinde tantam multitudinem cir-

§. 24. *in tabernaculum successit*] Sic in suis membranis Modius et Snak. in Leid. Voss. 1 invenit, et ego ex Bern. A et Flor. AB enotatum video pro vulg. *secessit*. Nimirum in edito colle positum erat regium tabernaculum, et quod *alibi est* succedere *tecto* aut *tectum* potest etiam esse *in tectum*.

Cap. 47, §. 1. *ostendebat*] Codd. mss. et edd. vett. *ostendebatur*, quapropter etiam verba *apud hostem* huc trahebantur. Sed recte correctam puto mendosam verbi terminationem. Modius edidit *et omnia interiore cura praeparari: solicitudo praetorum agmina sua interequitantium ostendebatur*, corrupte.

§. 2. *sollicita expectatione mentem turb.*] Veterum editionum, quarum mihi quidem usus suppetit, prima Aldina *solicitam* habet. Eam ceterae secutae sunt, etsi in codd. et Snak. et nostris *sollicita* legatur. Sensus non mutatur, et quod codicum scripturae obstet ego nihil invenire possum.

§. 4. *discordes moribus*] Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1 *discordis*, quod superest ex antiqua ὀρθογραφία. Tum *ad hoc* scribendum putavi pro vulg. *ad haec*, quia legitur in Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 emendatissimis codd. In Flor. CEGI Bern. B *adhuc* est. Cf. ad c. 30.

§. 5. *eximiam vastorum magnitudinem corporum*] Nihil est quod Snak. h. l. difficultatis movit, *eximium* non adhiberi in malam partem; hoc enim videtur voluisse dicere. Neque enim deest unus et alter locus qui etiam hoc probet, v. c. Cic. in Verr. IV, 20 *eximia iniuria*, et hoc loco nihil malae partis est. Omnino *eximius* cum plerumque ad laudem valeat, nonnunquam tamen, sicut *insignis*, *singularis*, *egregius*, illud significat quod nos dicimus auffallend.

cumfundi paucioribus posse. Non in Ciliciae angustiis et 6
inviis callibus, sed in aperta et lata planitie dimicare.
Omnes fere Parmenioni assentiebantur: Polypercon haud 7
dubie in eo consilio positam victoriam arbitrabatur. Quem 8
intuens rex, namque Parmenionem, nuper acrius quam
vellet increpitum, rursus castigare non sustinebat, *Latrun-
culorum*, inquit, *et furum ista sollertia est, quam praecipitis
mihi; quippe illorum votum unicum est fallere. Meae vero* 9
*gloriae semper aut absentiam Darei, aut angustias locorum,
aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi cer-
tum est: malo me fortunae poeniteat, quam victoriae pudeat.
Ad haec illud quoque accedit: vigilias agere barbaros et in ar-* 10
*mis stare, ut ne decipi quidem possint, compertum habeo. Ita-
que ad proelium vos parate.* Sic incitatos ad corpora cu-
randa dimisit.

48 Dareus id, quod Parmenio suaserat, hostem facturum 11
esse coniectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus
partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura servari
iusserat: ergo ignibus tota eius castra fulgebant. Ipse cum 12
ducibus propinquisque agmina in armis stantium circumi-
bat, Solem et Mithren sacrumque et aeternum invocans

§. 6. *dimicare*] Codd. plerique omnes et edd. vett. Vindelini Spirensis, Barth. Merulae habent *dimicarent*, unde tuto, ut opinor, feci *dimicare* (sc. qui dimicarent, regem et exercitum), nam in eiusmodi terminationibus verborum addendis etiam optimi codd. haud raro mendosi sunt. Vulgo post Aldinam editur *dimicandum fore*, quod in Flor. H videtur inventum esse, quoniam nihil ex eo a vulg. scriptura diversum enotatum est.

§. 7. *assentiebantur* codd. Flor. AB Bern. A et Modiana editio. Idem vulgo edi solere docet Snak., sed in quibus exemplaribus mihi non liquet, nec iuvat quaerere cum in quattuor veteribus, quibus ego utor ante Modianam, invenerim *assentiebant*. Sed si qui praeter Modium edidit deponentialem formam, eum nec a ceteris nec a Snakenburgio suorum codicum suffragia premente oportuit deseri; nam Curtius quidem e melioribus libris mss. restitutus non utitur alia, nec Livius, nec Cicero nisi uno loco ad Att. IX, 9 pr. *assentio tibi*.

§. 9. *malo me fortunae poeniteat*] Codd. Leid. Voss. 1. 2 Bern. AB Flor. ABCEH *meae fort.*, G *me meae fort.*; nec tamen vulgatum deserere velim.

§. 10. *compertum habeo*] Haec verba omisit Modius, ab interpolatore esse ratus. Sed leguntur in omnibus libris, et auctorem, si istud voluisset, puto scripturum fuisse *quod barbari vigilias agunt*, non *barbaros vig. agere*.

Cap. 48, §. 11. *id quod Parm. suaserat*] Sic omnes et mei et Snak. libri; vulgo *illud quod*.

§. 12. *Solem et Mithren*] Edd. vett. *Solem et Martem*, donec Modius *Mithren* e libris bonis, nostris quidem Bern. A Flor. AB emendavit. Deteriores codd. Flor. et Bern. B *meridiem* exhibent. Idem tamen Modius codicum consensum mentitus coniunctionem omisit, quod

ignem, ut illis dignam vetere gloria maiorumque monumen-
13 tis fortitudinem inspirarent. Et profecto, si qua divinae opis auguria humana mente concipi possent, deos stare secum. Illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique, arma iacientes: expetere praesides Persarum imperii debitas e vecordibus
14 poenas. Nec ipsum ducem saniorem esse: quippe ritu ferarum praedam modo, quam expeteret, intuentem, in perniciem, quae ante praedam posita esset, incurrere.

Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt.
15 Alexander, non alias magis territus, ad vota et preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste, verbenas manu praeferens, capite velato praeibat preces regi, Iovem,
16 Minervamque et Victoriam propitianti. Tunc quidem sacri-

solem a Persis Mithrae nomine coli veteres traderent. Tradunt isane, sicut Strabo lib. XV, p. 732, sed accuratior recentiorum doctrina nihilominus interesse aliquid inter sidus illud et Mithram τὸν μεσίτην docet.

maiorumque monumentis] *Monumenta* h. l. sunt ipsae res a maioribus praeclare gestae, sicut Cicero pro reg. Deiotaro c. 14 de Caesare dicit: *multa sunt tuae clementiae monumenta, sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti.* Sed *maiorum* primus dedit Aldus de coniectura ut opinor, certe nostri et Snak. omnes praeter Flor. G et Voss. 1 (*si* fides est habenda silentio) *maiorem* exhibent, deteriores etiam *gloriam*.

§. 13. *praesides Persarum imperii*] Addunt editi praeter Modianum *deos*, sed eam vocem ignorant nostri et Snakenburgii manuscripti praeter Flor. G et E, in quo alia manu adiectum legitur, neque, si desit, quisquam requiret. Pro eo quod est *e vecordibus* Modius vulgarem usum secutus dedit *a vecordibus*, quod legitur in Flor. DFGI, estque alia manu adiectum in Flor. E, cum abfuisset praepositio, sicut abest a Flor. H Bern. B.

§. 14. *metu egerunt*] Liv. VII, 21, 16 *totamque eam noctem cum magno animi metu perpetuis vigiliis egit.*

§. 15. *verbenas manu praef.*] In Bern. A supra lin. adscriptum est: *sacras frondes, ut laurum, oleam, myrtum.* Est hoc sumptum ex commentario Servii ad Vergil. Aen. XII, 120: *Verbena proprie est herba sacra, rosmarinus, ut multi volunt, i. e. λιβανωτίς, sumpta de de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales et Pater patratus foedera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas iam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terentius: Ex ara hinc verbenas sume. Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit.* Infra IV, 59 *Aristander alba veste indutus et dextra praeferens lauream.*

regi Iovem Minervamque et Victoriam propitianti] Codd. et vett. edd. mendose *regis* exhibent, quamquam *propitianti* servant. Correxit hoc Acidalius, nam tertius casus in hac dicendi formula obtinuit. Praeterea legitur in olim editis *Iove Minervaque victoriam*, in mss. autem *Iovem Minervamque victoriam*. Quod Modius primus dedit *Iovem, Minervam Victoriamque* vulgo adhuc circumfertur. Nihil autem verisimilius quam quod nuperrime etiam Mützellius excogitavit, fuisse *Minervamque et Victoriam*. Itaque sic edidi. Minerva et Victoria coniunguntur etiam VIII, 2, 32 et 11, 24.

ficio rite perpetrato, reliquum noctis acquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat. Modo e iugo montis aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat, modo recta fronte concurrere hosti, interdum haesitare, an potius in laevum detorqueret agmen. Tandem gravatum animi anxietate corpus altior 17
somnus oppressit.

49 Iamque luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, insolito circa praetorium silentio attoniti: quippe 18
alias accersere ipsos, et interdum morantes castigare assueverat: tunc ne ultimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur, et non somno quiescere, sed pavore marcere credebant. Non tamen quisquam ex custodibus cor- 19
poris intrare tabernaculum audebat: et iam tempus instabat, nec miles iniussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut caperent, 20
ipse pronuntiat. Iamque exire necesse erat: tunc demum intrat tabernaculum, saepiusque nomine compellatum, cum voce non posset, tactu excitavit. *Multa lux*, inquit, *est:* 21
instructam aciem hostis admovit: tuus miles adhuc inermis expectat imperium. Ubi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles. Ad haec Alexander: *Credisne, me prius* 22
somnum capere potuisse, quam exonerarem animum sollicitudine, quae quietem morabatur? signumque pugnae tuba dari iussit. Et cum in eadem admiratione Parmenio perseveraret, quod 23
solutum se curis somnum cepisse dixisset, *Minime*, inquit,

§. 16. *demittere*] Codd. nostri omnes et quos Snak. contulit *dimittere;* primus *demittere* dedit Iunius.

concurrere hosti] Idonea igitur auctoritate hic locus vulgatam lectionem apud Liv. XXIV, 15 defendet *quibus cum impigre Numidae concurrissent*, in dubium vocatam a Douiatio.

in laevum detorqueret agmen codd. et mei et Snak. omnes cum edit. Modiana, quod libens accipio pro vulg. *torqueret*, neque enim torquendi verbum sic dicitur.

Cap. 49, §. 18. *accersere*] Alii deteriores codd. (Flor. FGI) et edd. vett. *accersire*, alii (Flor. CEH Bern. B) *exercere*, unus Flor. D cum Pal. 1 *arcessire*, nullus *arcessere*.

§. 19. *quisquam ex custodibus*] Vulgo *e cust.*, nos quod in libris omnibus praeter Flor. G est dedimus cum Modio.

in ordines ire. Sic VIII, 46 *armaque capere milites et ire in ordines iussit.*

§. 21. *excitare vigiles*] Omnes sic libri. Modianos mendosos fuisse necesse est, qui *exercitare* exhibeant.

§. 23. *perseveraret quod solutum se curis somnum cepisse dixisset*] Edd. vett. *asseveraret quod securus somnum cepisset*, sed in nullo codice, quorum ac-

mirum est: ego enim, cum Dareus terram ureret, vicos excinderet, alimenta corrumperet, potens mei non eram; nunc vero

curatior nobis cognitio est, sic extat. Nam plerique sicut edidimus habent, pauci deteriores (Flor. CE) *quod solutum se curis somnum cepisset*, unus Flor. H cum Bern. B et Voss. 2 *somnus cepisset* haud dubie ex emendatione. Itaque non dubium erat quid ederem, nam Acidalii iudicium, totum hoc orationis comma ab interpolatore adscriptum esse, illi potest condonari depravationem editionum principum nescienti, nos sequi non possumus. Hoc unum moneo *perseveraret* in optimis non esse, sed ab Aldo primum pro olim vulg. *asseveraret*, quod et in codd. invenitur (sive *adseveraret* de nostris in uno Bern. A), editum esse. Nec tamen illud ex ingenio, sed ex libris alias minus nobis probatis dedit, quibuscum Flor. EH faciunt. Miratur igitur Parmenio, quid illud esset quod Alexander diceret se curis iam esse solutum: huc regis responsum pertinet.

terram ureret, vicos excinderet] Vulgo *terras*, sed singularem numerum et mei omnes et Snakenburgiani exhibent, edidit etiam Modius. Deinde *excinderet* (sive, quod idem est, sed auctoritate veterum librorum caret, *exscinderet*) plerique omnes, deteriores (Flor. EH Bern. B) *incenderet*, unus tantum Flor. C quod vulgo editur *excideret*. Perpetua haec est varietas, de qua nemo non grammaticorum scripsit, cf. imprimis Gronov. ad Liv. XLIV, 5 et Drakenb. ad Silium Ital. XV, 473. Sed tantum abest ut annotationibus suis locorumque laudationibus rem ad liquidum perduxerint, ut valde verear ne, quo nunc tamquam explorato utuntur, id omnium sit incertissimum. Solent enim omnes fere Gronovianam sententiam repetere, duo esse verba in compositis discernenda, v. c. abscindo, abscidi, abscissum, abscindere et abscido, abscidi, abscisum, abscidere, quod quasi *παράδειγμα* Drakenb. l. l. adhibet. Quo si hoc voluit demonstrare, ubicunquei n praesentibus *abscindere* et in perfectis *abscidit* diceretur, ibi in participio esse *abscissus* debere, aperte quod falsum est docuit, quamvis multos auctores habeat inter viros doctos, imprimis Dukerum ad Flor. II, 2, 1. Nam invitis codicibus corrigendi nullus finis erit. Ita apud Horatium Serm. II, 3, 303 *abscissum caput* contempta omnium librorum auctoritate edere non desinunt, quia caput abscindi dicatur. Quidni igitur etiam *exscissas urbes* scribere audent, cum *excindere urbes*, non *excidere*, quin recte dicatur nemo dubitare possit. Vide Heusinger. ad Cic. de off. 1, 22 contra Buenemannum ad Lactant, 1, 18 disputantem. In codd. autem nusquam, ut supra notavi, crassum istud et accumulatum *exscindere* extat, sed *excindere* scribitur, ex qua re quoniam littera *n* tenui lineola significatur magis quam exprimitur depravationis occasio oritur. Denique, ut breviter quid locis scriptorum collatis et exploratis lectionum varietatibus intellexisse mihi videar exponam, verborum *abscindere* et *excindere* nullum ego supinum *abscissum* aut *exscissum* esse puto, sed esse tantum *abscisum*, *excisum* in utraque significatione et caedendi et tollendi sive scindendi. Atque hoc eam ob causam sic factum esse puto, quod cum littera *s* vel sola acuto sibilo pronuntiaretur, duplex illud *s* non poterat satis discerni, quae fere eadem causa est cur a praesente *excindo* nullum perfectum *excidi* invenitur, quod illud a praesente *excido* potius derivandum erat. In ceteris autem verbis compositis *conscindere*, *discindere*, *perscindere* *proscindere*, *rescindere* participia *conscissus*, *discissus* cet. locum habent, quia praeter duplex *s* in terminatione etiam *s* initiale auditur; usus autem ex significatione ita pendet, ut v. c. *conscissus* scribatur, ubi significatio scindendi s. rumpendi insit, *concisus* ubi caedendi. Quam ad normam si scriptorum locos exegeris, haud paucos, ut nunc edita exemplaria sunt, corrigendos esse non mihi credas, sed ipsi veritati. Itaque facile apud Cic. in Verr. III, 23 *cum pugnis et calcibus concisus esset* scribas cum Garatonio, et apud eund. lib. 1 de divin. 17 *cotem novacula esse discisam* cum Hottingero, etsi lexica quidem verbum *discidere* ignorant, sed haec secundum editiones scriptorum componuntur quarum inconstantiam nemo est quin de-

quid metuam, cum acie decernere paret? Hercule votum meum implevit. Sed huius consilii postea quoque ratio reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque praeest. Ego iam adero, et quid fieri velim exponam. Raro admodum, admonitu magis amicorum, quam metu discriminis adeundi, thorace uti solebat, tunc quoque munimento corporis sumpto processit ad milites. Haud alias tam alacrem viderant regem: et vultu eius interrito certam spem victoriae augurabantur. 25

Atque ille proruto vallo exire copias iubet, aciemque 26
disponit. In dextro cornu locati sunt equites, quos agema appellabant. Praeerat his Clitus: cui iunxit Philotae turmas, ceterosque praefectos equitum lateri eius applicuit.

prehenderit. Nam apud Tacitum cum recte edatur Ann. XVI, 14 extr. *intercisis venis mortem approperavit*, tamen lib. XV, 35 *brachiorum venas interscidit* editur, quasi Torquatus securi brachia abruperit. Sed haec hactenus.

§. 24. *huius consilii postea quoque*] Sic omnes codd.; vulgo autem etiam a Modio editur *huius quoque consilii ratio postea reddetur*.

§. 25. *raro — magis amic. quam metu discr. adeundi thorace uti*] Edit. pr. *raro admodum adm. amicorum quin metu discr. adeundum erat uti solebat*. Aldus dedit *cum metus discriminis aderat*, eaque adhuc scriptura vulg. mansit. Sed codd. mss. primum omnes post *admodum* addunt *agens*, quod Freinshemius intellexit esse *magis*, quoniam sequitur in codd. plerisque *quam metu* (in Flor. DEGH Bern. B *dum metu*, in Flor. GI *dum metum*) *discriminis*. Quae supersunt in omnibus codd. *adeundum erat* Freinsh. efficere volebat ut intelligi possent addendo *quod adeundum erat*, reliquaque sic continuavit: *uti solebat munimento corporis; tunc quoque sumpto* scilicet *eo*. Sed hae verborum transpositiones difficiliores sunt quam litterarum aliquot praesertim in terminationibus verborum correctiones. Itaque quoniam requiritur eius rei nomen qua raro usus sit Alexander, conieci *thorace* opus esse, atque peregrinum id vocabulum facile ex reliquis verborum *adeundum erat* procedit, si quod necesse est *adeundi* scripseris. Supra IV, 27 tradiderat Curtius *loricam quam raro induebat, amicis orantibus sumpsit*, infra VII, 33, 3 (Alex.) *thoracem indutus procedit ad milites*, X, 23 fin. *Meleager thorace sumpto capit arma*. Annotandum videtur etiam primum lemmatis verbum quod est *raro*, in Leid. Bern. A Flor. ABC scribi *ratio*, cuius rei causa est nota *ro* male intellecta, sicut apparet ex Flor. H in quo ipsa ista nota est, cum in Bern. B illius assecla sit *ratio*. *Utique* pro *uti* est in Voss. 1 Flor. H Bern. B.

tam alacrem] *Alacres* Leid. Voss. Flor. ABC. Non obsequor, nam in nominum terminationibus fides codicum varia.

Cap. 50, §. 26. *proruto vallo*] Sic ex melioribus codd. olim Modius ediderat, cui nemo paruit; nunc vero consensui optimorum librorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB aliorum facile concedent. *Vallum prorumpere* nihil est, *perrumpere* probari posset, si vallus altus et firmus esset, ut ceteris servatis partibus uno tantum loco vi aperiretur, non totus pedibus deiiceretur et solo aequaretur. Hoc autem dicitur *proruere*: cf. ad IV, 12 extr.

ceterosque praefectos equitum] De tota hac aciei descriptione vide Schmiederi annotationem, Curtium comparato Arriano et Diodoro (lib. XVII, 57) iure negligentiae arguentis. Nam in dextro cornu collocatae erant equitum amicorum (ἑταίρων) turmae octo, quorum prima erat quae ἱππέων ἄγημα sive

ma Meleagri ala stabat: quam phalanx sequebatur. ; phalangem Argyraspides erant: his Nicanor, Parmeis filius, praeerat. In subsidiis cum manu sua Coenos:

, regia vocabatur Clito praefecto, mnibus turmis praeerat Philotas, enionis filius. *Phalangem* deinde ali nomine Curtius appellat, quod *ἴγημα τῶν πεζῶν*, et *Argyraspi*qui tum nondum erant, sed voca*r ὑπασπισταί*: cf. Curt. VIII, 17. *a* in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ribitur *agima* Itacismi causa, unde reliquorum librorum mss. et prieditorum natus est ut *agmina* retur. Primus dedit Iunius *agema*. t ille et reliqui praeter Modium erunt edit. principis scripturam *ant*, pro quo in mss. est *appella*quod nunc demum revoco: eadem v, 15, 21.

28. *in subsidiis cum manu sua s*] Hucusque Curtius eandem cum ro reprehensionem subierat, sed o Marte errare incipit, dum Graeuctorem suum (Clitarchum opinor) intellexit, a qua re Diodorum ae linguae melior intelligentia tue-

Nam quod dixit in subsidiis Coeni taxin, male expressit Graeμετὰ τούτους s. ὄπισθεν τούτων, n variare studet orationem fallitur it. Sequebantur enim in extremo dextro quae vocabantur *πεζεταί*x Macedoniae gentibus conscriptoex legiones (*τάξεις*) singulae mille hominum, et prima quidem Coeni Elymiotis. Reliquarum quinque cti erant secundum Arrianum Per-

Orontae fil., Melager, Polyperimmias (Amyntae loco), Craterus. rus eadem praefectorem nomina praeter Simmiam, cui Philippum uit, additque Perdiccae taxin Ore- Lyncestarumque, Polypercontis haeorum fuisse. Itaque *post eum e Lyncestaeque sunt* scripsimus, *ae* invitis codicibus, quorum libra*restes* heros nimium notus fuit, *tae* et *sunt* codicum consensu), lso vulgo ederetur *Orestes Lyue* quasi ducum nomina et omit- *sunt*. Diodorus: *ἑξῆς δὲ τὴν ρεστῶν καὶ Λυγκηστῶν τάξιν ἔστη*rianus pro Orestis et Lyncestis cae et (alterius) Meleagri *τάξιν* appellat. Polypercon deinde, auctore Diodoro, non peregrinis militibus, sed legioni Stymphaeorum praeerat, quos Curtius videtur socios Macedonum putasse. Inepta etiam quae sequuntur: *huius agminis Amyntas princeps erat* (scripsi inverso ordine verborum *princeps Amyntas* ex nostris Bern. A Flor. ABG, *Amyntas dux* Flor. DFI): *Philagus Balacros regebat, in societatem nuper adscitos*. Neque enim intelligas quo pronomen *huius* pertineat, cum Amyntas alii haud dubie, non Polypercontis agmini praefuerit, nec populum Balacrorum quisquam noverit. Verum haec extrema mendosa sunt, neque credo Curtium tantum ab auctore Graeco aberrasse, ut, cum Diodorus eodem fonte usus habeat *Φίλιππος ὁ Βαλάκρου τὴν συνεχῆ ταύτης στρατηγίαν ἐπλήρου*, ipse novam gentem ex paterno nomine procuderit. Codd. optimi (Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1) *phaligrus baracrieos regebant*, alii (Flor. DFGI) *balacris eos*, Flor. C *balacre eos* Flor. E denique *balacri eos*, ut iam appareat fuisse patris nomen in genitivo casu hominis ipsius nomini appositum. Sed cum ipsum Amyntam non adfuisse in proelio, sed tum in Macedoniam ad conquirendos milites missum ipse Curtius V, 6 tradiderit et eius praefectura interim ab alio administrata sit (ab Simmia si Arrianum III, 11, 9 sequare, quem Diodorus quidem non novit, sed eius loco in acie describenda Philippum subdit); poterit aliquis audacior sic fere fuisse putare: *cuius agminis princeps Amyntas erat, Philippus* (sive quod aliud nomen mavis) *Balacri eos regebat, nuper in societatem* (praefecturae) *ascitus*. Atque non equidem video quid impediat quominus sic edatur, certe qui haec in textu leget, proxime ad rei veritatem accedet. Quamquam fieri potest ut Curtius, qui modo Polypercontis legionem pro peregrinis habuerit, etiam Amyntae agmen singularem aliquam gentem putarit, cuius regulus Amyntas fuerit, eamque ipsam gentem nuper in societatem Macedonum adsumptam finxerit; quod si ita sese habeat, etiam servandum esse pluralem numerum *ascitos*

post eum Orestae Lyncestaeque sunt: post illos Polypercon, dux peregrini militis. Huius agminis princeps Amyntas erat: Philippus Balacri eos regebat, in societatem nuper ascitus. Haec dextri cornus facies erat. In laevo Crate- 29
rus Peloponnensium equites habebat, Achaeorum et Locrensium, et Maleon turmis sibi adiunctis. Hos Thessali equites claudebant, Philippo duce. Peditum acies equitatu tegeba- 30
tur. Frons laevi cornus haec erat. Sed ne circumiri posset a multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat. Cornua quoque subsidiis firmavit, non recta fronte, sed a latere positis, ut, si hostis circumvenire aciem temptasset, parata pugnae forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus 31
praeerat, adiunctis sagittariis Cretensibus. Ultimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrii hic

apparet. Verum malo, quae res est, Philippum cogitari ascitum esse in partem potestatis, etsi non ab Amynta ipso, sed ab rege institutum.

haec dextri cornus facies erat] De genitivo *cornus* vide supra ad cap. 45. Legitur h. l. et paulo post in Snakenburgii Leid. Voss. 1. 2 (?) et meis Bern. A Flor. AB. In acie autem reliqua describenda Curtius a Diodoro non sane multum aberrat, sed utrumque minus accuratum esse Schmiederus Arriano usus docet. Craterus sine dubio non erat equitatus in sinistro cornu summus dux, sed peditum. Hi autem pedites et Crateri ipsius agmen (τάξις) et reliqua quinque erant agmina, quae Curtius modo recensuit, πεζέταιροι, adeo ut ubi Curtius dextrum cornu claudit, ibi iam ultimos pedites sinistri fuisse Arriano referenti credamus. Toti vero sinistro cornui peditum equitumque praeerat Parmenio.

§. 29. *Achaeorum et Locrensium et Maleon turmis sibi adiunctis*] Facta est oratio facilior et elegantior deleta particula *que* post *Achaeorum*: atque id feci omnibus codd. meis iubentibus. *Maleon* libri omnes, nisi quod cum Pal. 1 Flor. EFI *Maleonum;* Schmiederus *Malieon* vult, nescio an vere, Graece certe Μαλιεῖς, gen. Μαλιέων vocantur.

§. 31. *ultimos ordines avertit a fronte*] Hoc est quod Arrianus III, 12 dicit ἐπέταξε δὲ καὶ δευτέραν τάξιν, ὡς εἶναι τὴν φάλαγγα ἀμφίστομον: alteram aciem instruxit, quae, si Persae suas copias circumfunderent, obviam illis iret. Hic erant, quos apud Arrianum frustra quaeras, pedites socii et mercede conducti, Macedonibus numero fere pares. Videtur igitur Alexander Macedonicam phalangem latius extendisse quippe subsidiis abunde firmatam, ut in prima acie pedites non essent nisi Macedones. En tibi effigiem duplicis aciei:



erant, adiuncto milite mercede conducto. Thracas quoque simul obiecerat leviter armatos. Adeoque aciem versabilem posuit, ut, qui ultimi stabant, ne circumirentur, verti tamen, et in frontem circumagi possent. Itaque non prima, quam latera, non latera munitiora fuere, quam terga.

His ita ordinatis, praecipit, ut, si falcatos currus cum51 fremitu barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum incurrentium silentio exciperent, haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret: sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pavidosque equos telis utrimque suffoderent. Qui cornibus praecrant, extendere ea iussi, ita ut nec circumvenirentur, si artius starent, nec tamen ultimam aciem exinanirent. Impedimenta cum captivis, inter quos mater liberique Darei custodiebantur, haud procul acie in edito colle constituit, modico praesidio relicto. Laevum cornu, sicut alias, Parmenioni tuendum datum: ipse in dextro stabat.

Nondum ad iactum teli pervenerant, cum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem pervenit: nuntians, murices ferreos in terram defodisse Dareum, qua hostem equites emissurum esse credebat, notatumque certo signo locum, ut fraus evitari a suis posset. Asservari transfuga iusso, duces convocat: expositoque quod nuntiatum erat, monet, ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edoceant.

§. 32. *aciem versabilem* omnes codd. nostri praeter Flor. H et Bern. B, praeterea Leid. Voss. 1 et Modius. Vulgo *versatilem*. Etiam v, 25, 15 *quam versabilis fortuna sit, documentum ipse sum.*

Cap. 51, §. 33. *impetum incurrentium* omnes libri msti et Mod. editio, elegantius etiam quam quod editur *occurrentium*. Mox *praecepit* Flor. DEFGI Voss. 2 et Mod.

§. 34. *nec tamen ultimam aciem exinanirent*] *Ultimam* in codd. omnibus legitur et edd. principibus. Aldus primum *mediam* correxit, quod ceteri editores retinuerunt, non facturi forsitan si vocis auctoritatem nullam esse cognovissent. Nam quod Modius contra codicum scripturam affert, in Darei oratione esse *videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam*, id si recte consideres ei non obest. Nam Alexander de utroque cornu cum diceret, praefectos curare iussit ne utriusque cornus extremae partes, quae medium totius aciei efficiunt, exinanirentur.

§. 35. *haud procul acie*] Olim legebatur *ab acie*. Modius correxit, sed operarum errore *aciem* edidit. *Acie* verum est et sic solet Curtius, vide ad IV, 25, 3.

§. 36. *ad iactum teli*] Hoc ordine nostri omnes uno excepto Flor. B, et

52 Ceterum hortantem exercitus exaudire non poterat, 38
usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum, sed
in conspectu omnium duces et proximum quemque intere-
quitans alloquebatur: Emensis tot terras in spem victoriae, XIV
de qua dimicandum foret, hoc unum superesse discrimen.
Granicum hic amnem, Ciliciaeque montes; et Syriam Ae-
gyptumque praeeuntibus raptas, ingentia spei gloriaeque
incitamenta, referebat. Reprehensos ex fuga Persas pugna- 2
turos, quia fugere non possent. Tertium iam diem metu
exangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio haerere.
Nullum desperationis illorum maius indicium esse, quam
quod urbes, quod agros suos urerent, quicquid non corru-
pissent, hostium esse confessi. Nomina modo vana gentium 3
ignotarum ne extimescerent. Neque enim ad belli discri-
men pertinere, qui ab his Scythae, quive Cadusii appella-

libri Snak. stant pro vulg. *ad teli iactum*. Sed Bern. B *ad ictum teli*.

Cap. 52, §. 38. *Ceterum hortantem exercitus*] Editur vulgo *hoc tantus exerc.*, quod mendosum esse facile intelligitur; quid enim opus fuit exercitum illud exaudire, cum eam ob causam duces convocasset ut suos quisque milites quid cavendum esset monerent? Sed illa ne librorum quidem mstorum lectio est, qui ad unum omnes, nisi forte Bong. et Pal. 2, quorum mentio nulla fit, exceperis, *hoc tandem* exhibent. Sic etiam edd. antiquae, nisi quod Aldus in annotationibus pauculis, quae extremo libro adiectae sunt, *hoc tantus* lectionem esse veterem i. e. veteris alicuius libri contendit. Inde, opinor, in Modianam migravit, non quod in ipsius Modii codicibus inventa esset. Sed loco optime consuluit Walchii facillima emendatio *hortantem*, qua recepta nihil ad integritatem loci deesse persuasum mihi habeo. Transit enim auctor iam ad solitas ante pugnam ducum cohortationes, in eaque re eloquentiam omnem ita consumit, ut hanc operis partem inter praestantissima totius antiquitatis monumenta numerare non dubitemus.

in conspectu omnium] Omittunt *in* codd. Flor. ABDI Bern. A Leid. Voss. 1, quorum auctoritatem secutus essem si praepositionis illius in tali re omissae exemplum mihi suppeditaret.

§. 1. *praeeuntibus raptas* i. e. a praecursoribus ipsorum captas, ut gravi agmine opus non fuerit. Nulla varietas codd. mss. est. Sed Modius de coniectura, noli dubitare, *praetereuntibus* edidit, pro more suo quod non intellexit pessimum vocans. Nec nunc Persae pugnare dicuntur, nisi quia coacti sint atque ex fuga reprehensi, i. e. retracti.

§. 2. *tertium iam diem*] Hoc verborum ordine Bern. et Flor. omnes exhibent, cum vulgo minus eleganter edatur *tertium diem iam*. Aliquot tamen codd. Flor. DEFG *tertio iam die*. *Exangues* in nullo non cod. ms. scribitur, nec quicquam constantius quam litteram *s* post *ex* elidi. Ridet Quinctilianus Inst. orat. I, 7 anxios de significatione grammaticos. Sed eam ipsam ob causam quod alibi *s* eliditur, §. 6 *exsortem* dedi non *exortem*, quia *s* exaratur in Bern. A Flor. ADG.

§. 3. *qui ab his Scythae, quive Cadusii*] Recte Freinsh. hoc eo pertinere dicit, quod illae gentes tum inter Asianos bellica laude maxime excelluerint. Cf. Arrianum III, 19, 6 ubi fama fuisse traditur, Dareum iam fractum apud Arbela denuo fortunam proelii experturum esse quod Scythae et Cadusii ipsi socii

rentur. Ob id ipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse. Nunquam ignorari viros fortes: at imbelles, ex latebris suis erutos, nihil praeter nomina afferre. Macedonas virtute assecutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret. Intuerentur barbarorum inconditum agmen: alium nihil praeter iaculum habere, alium funda saxa librare, paucis iusta arma esse. Itaque illinc plures stare: hinc plures dimicaturos. Nec postulare se, ut fortiter capesserent proelium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum. Se ante prima signa dimicaturum. Spondere pro se tot cicatrices, totidem corporis decora: scire ipsos, unum paene se praedae communis exsortem, in illis colendis ornandisque usurpare victoriae praemia. Haec se fortibus viris dicere. Si qui dissimiles eorum essent, illa fuisse dicturum: pervenisse eo, unde fugere non possent. Tot terrarum spatia emensis, tot amnibus montibusque post tergum obiectis, iter in patriam et penates manu esse faciendum. Sic duces, sic proximi militum instincti sunt.

Dareus in laevo cornu erat, magno suorum agmine, 53
delectis equitum peditumque stipatus: contempseratque pau-

adventarent. Significat igitur Alexander imbellibus nationibus falsa nomina Scytharum et Cadusiorum, quo terribiliores essent, imponi, sed ne eas quidem gentes bellicae virtutis nomine cognitas esse. Verum edd. veteres habent *Scytharum*, et sic Flor. ABCH Bern. AB Leid. Voss. 1. 2, haud dubie mendose. Emendavit primus in notis Aldus et edidit Iunius; legitur autem in ceteris Florentinis. Mirum etiam in plerisque codd. et edd. Aldina antiquioribus esse *appellantur*. Utantur igitur hoc exemplo, quibus Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 98 persuaserit, hunc indicativi usum non inter scribarum errores ponendum, sed in censum bonae Latinitatis referendum esse. Equidem non memini Curtium usquam sic dixisse, et corrigo *appellarentur*, vitium omissa nota qua in verborum terminationibus syllaba *er* significari solet ortum esse ratus. Cf. ad VIII, 16 et quae annotavi ad Cic. in Verr. IV, 6 §. 12. Nec vetus scriptura est, sed correctio, quod in Flor. EH Bern. B libris male fidis legitur *appellentur*, unde Aldus videtur hausisse quod a reliquis propagatum nunc vulgo legitur.

§. 4. *Macedonas* edidi auctoritatem Bern. A et Flor. AB secutus, id quod in hoc verbo tutius etiam fieri potuit, quoniam illa forma Livio familiarissima est.

§. 6. *spondere pro se tot cicatrices*] Explicavit Gronovius in Obss. II, 1, 8: esse enim fere, se sponsores ac testes fortitudinis suae proferre cicatrices, quas totidem se putare corporis decora. Sustuli igitur interpunctionem post *se:* emendavi etiam *tot*, pro quo vulgo editur *quot*, iussu codicum Florentinorum quidem omnium praeter E et G, aliorum etiam plurimorum. Pro eo quod est *totidem* Flor. H Bern. B *tot* habent.

§. 8. *instincti sunt*] Codd. deteriores (Flor. CEGHI Bern. B) et edit. antiquae *instructi*. Iu Modiana primum legi *instincti*.

citatem hostis, vanam aciem esse, extentis cornibus, ratus. Ceterum, sicut curru eminebat, dextra laevaque ad cir- 9
cumstantia agmina oculos manusque circumferens, *Terrarum*, inquit, *quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante domini, iam non de gloria, sed de salute, et, quod saluti praeponitis, libertate pugnandum est. Hic dies* 10
imperium, quo nullum amplius vidit aetas, aut constituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eo, unde pul- 11
sis ne fugae quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos urbes, non cultores habent terrae. Coniuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus praeda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem 12
paene immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantae multitudini deessent, providi: locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra 13
potestate sunt: audete modo vincere, famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite.

54 *Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quae ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia emisso*

Cap. 53, §. 8. *vanam aciem esse*] Plerique codd. *variam* exhibent, sed infra *mediam aciem vanam et exhaustam* in hoc verbo non mutant, neque licet ibi quoque sicut h. l. Heinsius voluit *raram* scribere. Itaque illud neminem dubitaturum puto quin mendum scribarum sit, et solitum quidem, ut accuratissimus Drakenb. ad Liv. XXII, 7, 4 docet.

§. 9. *circumstantia agmina*] Melius haud dubie hoc, quam quod vulgo editur *circumstantium agmina*, praebent Snak. codd., Flor. ABDFGI, et Bern. A cum ex B nihil a vulg. scriptura diversum enotetur.

libertate] Vulgo *de libertate;* sed omittunt praepositionem Bern. A Flor. AB Voss. 1 et edit. Modiana, *pro libertate* legitur in Flor. CGH Bern. B. Non potui non illis libris parere, a quorum consensu errore Leid. videtur abesse. Cf. quae in gramm. Lat. §. 745 docuimus.

Cap. 54, §. 13. *emisso aculeo*] Sic optimi Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, praeterea EGH et Bern. B. Vulgo *amisso*, quod defendi posse non nego, sed *aculeos emittere* usitatius fuisse Romanis scriptoribus puto: cf. Cic. pro Coelio 12, §. 29. Sed rem conficit Livii locus tam similis, ut eum ante oculos videatur habuisse Curtius, lib. XXIII, 42: *glorienturque Romani te ad unum modo ictum vigentem velut aculeo emisso torpere.* De metaphora cf. Victor. Var. lect. III, 16. Sequitur *torpet*, pro quo in cod. Leid. Voss. 1 Bern. utroque et Flor. CDEFHI *torpent* legitur; sed nihil mutandum videtur.

aculeo torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciae montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam, exhaustam: nam ultimi, quos locavit aversos, terga iam praebent. Obteri mehercule equorum
15 *ungulis possunt, etiamsi nil praeter falcatos currus emisero. Et bello vicerimus, si vicimus proelio: nam ne illis quidem ad fugam locus est: hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclu-*
16 *sos. Et quae antea pro illis erant, in contrarium versa sunt. Nostrum mobile et expeditum agmen est, illud praeda grave. Implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus, eademque res et*
17 *causa erit victoriae et fructus. Quodsi quem e vobis nomen gentis movet, cogitet, Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinem invicem hausimus, et semper gravior*
18 *in paucitate iactura est. Nam Alexander, quantuscunque ignavis et timidis videri potest, unum animal est, et si quid mihi creditis, temerarium et vecors, adhuc nostro pavore, quam sua*
19 *virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Praeterea breves et mutabiles vi-*
20 *ces rerum sunt, et fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata ordinaverunt, ut Persarum imperium, quod*

§. 14. *mediam aciem vanam, exhaustam*] Vulgo *et exhaustam;* sed oratorum est duo adiectiva sine coniunctione ponere, cf. Cie. in Verr. II, 6 *cives Romanos ex Sicilia plurimos, honestissimos*, et eod. libro 61 *aratores inimici omnes, adversarii sunt.* Itaque h. l. edit. Modianam et libros mstos Voss. 1 Bern. A Flor. AB alios non paucos secutus sum.

§. 15. *bello vicerimus, si vicimus proelio*] Similiter Livius lib. IX, 19 *uno proelio victus Alexander bello victus esset.* Ceterum *vicimus* necesse fuit, quod est in Flor. EF, ceteri ut vulgo *vincimus.* Cf. gramm. nostr. §. 511.

hinc Euphrates illinc Tigris, quasi inter duos amnes pugnae locus delectus esset, qui erat trans Tigrim.

§. 16. *in contrarium versa sunt*] Sic omnes nostri, item Snakenburgiani et edit. Mod.; vulgo *conversa.*

et causa erit victoriae et fructus] Sic optimi ac plurimi libri. Quo ordine verba vulgo edunt *victoriae erit* in nullo Flor. leguntur, sed qui libri non sic habent quemadmodum nos edidimus, ii prorsus omittunt verbum (Flor. CH Bern. B), unus Flor. G *et causa vict. et fructus erit.*

§. 17. *multum enim sanguinem*] Sic omnes libri et nostri et quos Snak. contulit Modiique editio. Quid igitur? vulgatumne *multum sanguinis* contempta librorum auctoritate servabimus? Minime vero. Nam quamvis illud elegans sit, non deterius tamen hoc nostrum.

§. 20. *ita dii fata ordinaverunt*] Cave credas quod Modius edidit *deorum fata* ex codicibus ipsius esse, libri enim nihil variant, nec sunt h. l. ea fata intelligenda, quibus ipsos deos subiectos esse veteres poetae tradiderunt, sed hominum fata, quae ex aeterno tempore deorum consilio ordinata sunt. Sed dubito an coniunctivus *ordinaverint* auctori

secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanae, cuius nimia in prosperis rebus oblivio est. Modo Graecis ultro bellum infere- 21
bamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur invicem varietate fortunae. Videlicet imperium, quia mutuo affectamus, una gens non capit.

55 *Ceterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen sti-* 22
mulare deberet: ad extrema perventum est. Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperii genitum, principes, illam sobolem regiae stirpis, duces vestros regum instar, vinctos habet: nisi quid in vobis, ipse ego maiore mei parte captivus sum. Eripite viscera mea ex vinculis: restituite mihi pignora,

reddendus sit, qui in Leid. et Bern. A est et in Flor. Heinsii extare traditur, sed in meis Flor. non invenitur nisi in FI libris non optimis. Illa quidem particula solet modum coniunctivum regere, sed indicativus est VII, 5 *forsitan non periculosius est tacere quam dicere*, ac futurum VII, 16 *incipies forsitan iustus esse rex.*

§. 21. *quia mutuo affectamus*] Causam video nullam cur hanc codicum scripturam veteres editores deseruerint. Nam hanc ipsam causam, cur imperium orbis terrarum non apud eandem semper gentem maneat, significat quoniam plures affectant. Editur autem ab omnibus praeter Modium *quod mutuo affectamus.*

Cap. 55, §. 22. *principes, illam sobolem regiae stirpis*] Vulgo *illos principes*, sed plerique omnes libri msti pronomen ignorant, nostrorum non habent nisi Flor. EH Bern. B, *genitum principem* legitur in Flor. B. Apparere autem puto regem dicere de nobilissimis praefectis et satrapis, veteri more regiae fere stirpis hominibus, suae quoque genti carissimis: eos *principes* et *duces vestros* appellat, iisque adiungit *illam sobolem* rel. Nam Ochum quidem filium satis descripsit, ad feminas autem reverti oratio non debet.

nisi quid in vobis] Sic habent optimi Leid. Bern. A Flor. AB cum DG, deteriores et vulg. edit. *nisi quod in vobis est.* Hoc interpretor *nisi quod ad vos attinet*, außer was an euch iſt, sin hoc minus Latinum videtur, nescio quid sit, nam Schmiederiana explicatio „nisi quod in vobis i. e. inter vos sum" haud dubie ab usu Latini sermonis aliena est. *Nisi quid in vobis* interpretare: nisi quid momenti, virium, auxilii, in vobis est; atque hoc non displicet. Sequitur *maiore mei parte*, quod iam dudum erat restituendum, neque intelligas cur principes editores pronomen *mei*, quod et maxime Latinum est et ad sententiam explendam necessarium, eiecerint, cum in libris meis certe omnibus legatur. Lib. IV, 15 *si carissimam sui partem extra periculi sortem habuissent.*

pro quibus ipsi mori non recusatis] Itidem sic codd. omnes, sed quae corrigendi causa principibus editoribus fuit, eadem insequentes editores impedivit quo minus vetustum restituerent. Videbatur enim sensus loci postulare *ipse non recuso.* Non negat hoc se facturum Dareus, neque in illa fortuna adeo est regio animo, ut aliis honori putet esse pro ipsius liberis mortem oppetere, quam sententiam videntur interpretes putasse istis verbis inesse. Verum quid impedit interpretari: pro quibus i. e. suis quisque nemo vestrum, si erepta sint, mori recusat? Itaque idem se facturum dicit, sed auxilium militum implorat ut regis desiderio, quod iustissimum esse ex suo quisque affectu iudicet, fortiter pugnando medeantur.

quibus ipsi mori non recusatis, parentem, liberos: nam ugem in illo carcere amisi. Credite, nunc omnes hos ten- ad vos manus, implorare patrios deos, opem vestram, mi- ordiam, fidem exposcere, ut compedibus, ut servitute, ut ario victu ipsos liberetis. An creditis aequo animo his ire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoveri hostium n: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus his, quae possum esse contentus. Per ego vos deos patrios, aeter- que ignem, qui praefertur altaribus, fulgoremque solis intra regni mei orientis, per aeternam memoriam Cyri, qui ptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem in- vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. lacres et spe pleni, ut, quam gloriam accepistis a maiori- vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris iam liberta- opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, uis contempserit: timidissimum quemque consequitur. Ipse patrio more solum, sed etiam ut conspici possim, curru , nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis plum, sive ignaviae fuero.

3. *omnes hos tendere*] Edd. vett. *extendere*, quod et in plerisque invenitur. Correctum postea est iana primum, deinde in Modiana *tendere*. Verum in optimis codd. A Flor. A Voss. 1 *omnes hos re*, in Flor. B et Leid. *ostendere* r, unde facile apparet olim fuisse *hos tendere*, quod depravatum rimum in *ostendere*, deinde in *lere*. Sed *omnes tendere*, qui quasi interpolationis gradus est, in codice msto invenitur. Suo Marte ir Flor. G *omnes ad vos extendere* , Bern. B *ut omnes ad vos tendere* .

compedibus, ut servitute] Vulgo o ordine *ut serv. ut comp.*, sed ecuti sumus Leid. Voss. 1 Bern. r. ABDFGI. Tum *his servire* libri mss. pro vulg. *iis*. Item post *his quae dixi*.

4. *per ego vos deos*] Olim ede- *precor vos per deos*, donec Sna- Modium secutus meliorum libro- rum lectionem restituit, Florentinorum quidem ABCEH et utriusque Bernensis. Cf. quae Gronovius ad Liv. XXIX, 18, 9 in priore editione copiosius notavit, quae quoniam pro spatio perpetui commenta- rii paulo longiora sunt, Drak. ad calcem operis immortalis tom. VII, p. 187 seqq. reiecit. Inde ego summam rei traduxi in Grammaticam Lat. §. 773 et 794.

§. 25. *spe pleni*] Aliquot libri Flor. DFG *spiritu pleni* exhibent, C *species* Bern. A *sps* quod et *species* et *spiritus* esse potest. Utrumque alienum, nam *spiritus* pro animo non dicitur nisi in partem deteriorem. Itaque hae omnes librariorum depravationes habendae sunt et illae quidem usitatae. Vide Drak. ad Liv. IV, 54, 8. Sed corrigendum fortasse etiam invitis libris *spei pleni*, quoniam Curtius non solet illud adiectivum nisi cum genitivo coniungere, nisi h. l. velis eum soni similitudine deterritum ab consuetudine sua discessisse. Verum praestiterit opinor *spe* dictum accipere pro *spei*, qua de re cf. Schneiderii grammat. p. 356 not.

56 Interim Alexander, ut et demonstratum a transfuga insidiarum locum circumiret, et Dareo, qui cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum incedere iubet. Dareus quo- 2
que eodem suum obvertit, Besso admonito, ut Massagetas equites in laevum Alexandri cornu a latere invehi iuberet. Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato uni- 3
versos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigae, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios 4
ergo hastae multum ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere dimissae falces laceravere. Nec sensim Macedones cedebant; sed effusa fuga turbaverant ordines. Mazaeus quoque perculsis metum incussit, mille equitibus 5
ad diripienda hostis impedimenta circumvehi iussis, ratus, captivos quoque, qui simul asservabantur, rupturos vincula, cum suos appropinquantes vidissent. Non fefellerat Parme- 6
nionem, qui in laevo erat: propere igitur Polydamanta mittit [ad regem], qui et periculum ostenderet, et quid fieri iuberet consuleret. Ille, audito Polydamante, *Abi, nun-* 7
tia, inquit, *Parmenioni, si acie vicerimus, non nostra solum nos recuperaturos, sed etiam quae hostium sunt occupaturos.*

Cap. 56, §. 1. *Dareo qui cornu tuebatur*] Additur in edd. *laevum cornu*, sed quibus ex mstis istud verbum desumptum sit ignoro; eorum certe, quos Snak. contulit et qui meum in usum collati sunt, in nullo inventum est. Apparet adiectum esse ex cap. 53, sed iam non agitur de manu laeva aut dextra, sed de ratione cur obliquus praecesserit Alexander.

§. 2. *Massagetas* a Iunio invitis libris omnibus, sed recte, emendatum est pro eo quod in edd. antiquioribus fuit *Massagetes*. Sunt enim *Massagetae*, *Μασσαγέται*.

a latere Modius edidit, priores edd. eas voces ignorant; in codd. autem non *a latere*, sed omissa praepositione *latere* tantum legitur. Sed recte puto Modium scripsisse, nam solum ablativum sic usurpari mihi quidem non fit probabile. Ceterum quod Curtius laevum Alexandri cornu fuisse tradit, dextrum fuisse collato c. 45 facile intelligas.

§. 4. *ultra temonem*] Vulgo *temones*, sed sequimur libros nostros. Item post paulo *effusa fuga turbaverant*, quamquam minus grata ad aures accidunt, tamen, si codicibus mss. parendum, scribendum pro *effusa turbaverant fuga*, utrumque cum Mod. editione.

§. 6. *qui in laevo erat*] Omisi *cornu* auctoritatem optimorum codd. ac plurimorum secutus. Est enim haec usitata ellipsis in re militari. In sequentibus verba *ad regem* omittuntur in codd. Bern. A Flor. ABDFI Leid. Voss. 1. Itaque uncis inclusi, si cui tamen necessariae videantur propterea quod sequatur *ille*.

§. 7. *si acie vicerimus*] Optimi, quos plerumque ad partes vocamus, *acies*, sed hoc non est nisi mendum, cuius origo neminem latet, nam *acie* sic semper additis verbis decernere, confligere, dimicare, concurrere et vincere etiam, v. supra c. 2, 13.

sed etiam quae hostium sunt] Vulgo *sed omnia quae* minus recte, quoniam genere res diversae sibi opponuntur.

inde non est quod virium quicquam subducat ex acie, sed, me, ut Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum mo fortiter dimicet. Interim barbari impedimenta turbant, caesisque plerisque custodum, captivi, vinculis ruptis, quid obvium erat, quo armari possent, arripiunt et regati suorum equitibus Macedonas, ancipiti circumvenmalo, invadunt: laetique qui circa Sisygambim erant, sse Dareum, ingenti caede prostratos hostes, ad ulti- a etiam impedimentis exutos esse, nuntiant, quippe lem fortunam ubique esse credebant, et victores Persas praedam discurrisse. Sisygambis, hortantibus captivis, animum a maerore allevaret, in eodem, quo antea fuit, everavit. Non vox ulla excidit ei, non oris color vule mutatus est: sedit immobilis, (credo, praecoqui gaudio ta irritare fortunam,) adeo ut, quid mallet, intuentibus fuerit incertum. Inter haec Menidas, praefectus equi- Alexandri, cum paucis turmis opem impedimentis la- s advenerat, incertum suone consilio, an regis imperio:

e non dubitavi codices etiam alibi tantiores fide sequi, Leid. Voss. 1 A Flor. AB, quibus se adiungunt CDGI.

8. *virium quicquam*] Hoc ordine collocantur apud Modium et in is libris mss. omnibus, Snak. uno 1. Vulgo *quicquam virium*. Mox ius recte *ut me, ut Phil.* eleganter dito vocabulo. Vulg. *ut me et Phi-* non est nisi in Flor. DEGI, alte- *ut* omissum est in Flor. B.

arripiunt plerique omnes et optimi, DI cum edit. Mod. *corripiunt*, nullus orum quod vulgo editur *rapiunt*.

10, *laetique qui circa Sis. erant antiant*] Erant hi haud dubie alii qui Macedonas invaserunt, pedi- , eunuchi. Itaque necessario scrium erat ut edidi, quo etiam codi- cripturae ducunt, in quibus omnibus legitur, in Flor. EH Bern. B *qui*, in Voss. 2 *laeti*, in reliquis ue ut *qui* propter vicinum *que* isse videatur. Vulgo (etiam Mod.) que circa Sis. vicisse cet.

11. *sedit immobilis*] Placet haec um antiquissimorum simul et plurimorum lectio, coniunctione *sed* omissa. Membratim narrat, qua re efficacia orationis non paulum augetur. *Sed sedit* in uno de nostris Flor. C est, *consedit* in Flor. G.

praecoqui ediderat Modius, et sic est in Leid. Voss. 1 Bern. utroque Flor. ABCEGH; in ceteris paucis sicut vulgo scribitur *praecoque*. *Praecoce* in quo libro ms. legatur non invenio. Scribendi ratio etiam apud veteres variavit necdum in universum constituere potui utra probatior esset. Sed libri Curtiani etiam VIII, 19 litteras *qu* secundum primitivum *coquere* commendant. Deinde *irritare fortunam* omnes mss., non ut editi *fort. irritare*. *Intuentibus eam* addito pronomine quod in vulg. non est Flor. omnes et Bern. A.

§. 12. *Menidas*] Olim erat *Amyntas*, sed in Bern. utroque Flor. omnibus et Leid. Voss. 1 *Minidas*. Verum *Menidas* etiam infra extremo libro inter vulneratos nominatur.

incertum] Codd. plerique cum edit. Mod. *et inc.*, alii Flor. DGI *at;* utrumque ex terminatione praegressi verbi ortum videtur.

sed non sustinuit Caucasiorum Scytharumque impetum, quippe vix temptato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis, quam vindex. Iam con- 13
silium Alexandri dolor vicerat: et ne cura recuperandi sua militem a proelio averteret, non immerito verebatur. Itaque Areten, ducem hastatorum, (sarissophoros vocabant,) adversus Scythas mittit.

57 Inter haec currus, qui circa signa prima turbaverant 14
aciem, in phalangem invecti erant. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies 15
erat: iunxerant hastas, et ab utroque latere temere incurrentium ilia suffodiebant. Circumire deinde currus et propugnatores praecipitare coeperunt. Ingens ruina equorum 16
aurigarumque aciem compleverat. Hi territos regere non poterant, qui crebra iactatione cervicum non iugum modo excusserant, sed etiam currus everterant: vulnerati interfectos trahebant, nec consistere territi, nec progredi debiles

Caucasiorum Scytharumque] Cadusios hic induxit Iunius in edit. 1546, post eum etiam Modius sic emendari iussit, sed ipse non edidit. Insequentes editores minus religiosi fuerunt. Nimirum Diodorus XVII, 59 duo milia Cadusiorum et mille Scythas a Mazaeo ad diripienda impedimenta dimissos tradit. Schmiederus *Caucasios* nominatos h. l. tradit esse Bactrianos, quippe qui ad Parapamisum montem, a Graecis Causasum non raro appellatum, colerent.

refugit ad regem omnes libri veteres. Edunt male *effugit*. Post *dolor vicerat* iidem illi, vulgo inverso ordine.

§. 13. *sarissophoros vocabant*] *Quos* vulgo addunt, sed eiusmodi additamenta brevissime noster solet subiungere. Vide supra ad IV, 31 extr. et Liv. 37, 42 *impeditus intercursu suorum usus praelongarum hastarum (sarissas Macedones vocant)* cet. Hi autem sarissophori non de phalange erant, sed equites, ut docet Arrianus III, 12, 3. Ceterum *hastatorum* in libris mss. non est nisi in Flor. G ex correctione et in Bern. B *astatorum;* reliqui *astarum* vel *hastarum;* sed recte editi iam inde a principe. Inde autem accidit ut qui librarii vellent pronomen addere scriberent *quae* (Flor. DEI), unus G *qui*, nullus *quos*. Corrumpi nomen *sarissophoros* (sive *sarisophoros* ut est in Flor. AB Bern. A) in deterioribus libris non est dignum quod annotetur.

Cap. 57, §. 14. *signa prima* codd. mss.: editi (etiam Mod.) *prima signa* sicut sane alias.

§. 15. *circumire deinde currus*] Omnes fere libri mss. *et* ante *currus* addunt, nec de meis omittit nisi Flor. C. Libenter recepissem, nisi de ipsis curribus eversis postea demum diceretur et hoc quidem loco de hominibus tantum sermo esset. Itaque ex praecedente syllaba natum puto importunum vocabulum, ut proximo priore cap. §. 12.

§. 16. *qui crebra iactatione*] Edit. pr. cum plerisque mss. *hi crebra* cet., *qui* Aldina e codd. quales sunt Pal. 1 Flor. DGI, Iunius de coniectura *equi* servavitque Modius et reliqui. Ego cum olim revocassem *hi* ut *hi — hi* diceretur pro *hi — illi*, nunc redii ad Aldinam lectionem et rei et orationi convenientem maxime, cum *territi equi* praecedant.

poterant. Paucae tamen evasere quadrigae in ultimam aciem, iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis: quippe amputata virorum membra humi iacebant, et quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque et debiles arma non omittebant, donec multo sanguine effuso, exanimati procumberent.

8 Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, gravius territis instabat. Supervenere deinde a Dareo Bactriani, pugnaeque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt, plures 9 ad Alexandrum refugerunt. Tum Persae, clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem, quasi ubique profligatum, incurrerunt. Alexander territos castigare, adhortari, proelium, quod iam elanguerat, solus accendere, confirmatisque tandem animis, ire in hostem iubet.

10 Rarior acies erat in dextro cornu Persarum, namque58
inde Bactriani discesserant ad opprimenda impedimenta. Itaque Alexander laxatos ordines invadit, et multa caede 11 hostium invehitur. At qui in laevo cornu erant Persae, spe posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt: ingensque periculum in medio haerens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent, aversosque caedendo in se obverti

§. 17. *iis quibus*] Annoto h. l. *iis* legi in Bern. A Flor. A, *hiis* in Flor. B, *his* in reliquis.

debiles arma non omittebant] Bern. AB Flor. CH Voss. 1 *debiles quidem arma* cet., nec ab ea scriptura differre puto quod annotatur apud Snak. in Leid. Voss. 2 aliis legi *debiles arma quidem*. Flor. CI *debiles tamen arma*, G *debiles arma tamen* cum edit. Modiana. Nescio an olim fuerit *quidam*, quod cum transisset in *quidem* locum aliis coniecturis dedit. Sed mihi antiquissimi duo Flor. satis probantur.

§. 18. *a Dareo* subintelligendum *missi* nec tamen addendum, ut vulgo fit, si codicibus fides habenda, quorum in optimis Flor. quidem ABDGI Bern. A Leid. Voss. 1 non legitur, in Flor. C alio loco quam quo vulgo edunt *a Dario missi*. Etiam Modius omisit.

§. 19. *incurrerunt* omnes libri msti, nisi quod Flor. AB *incurrerent* habent. Editores (etiam Modius) *incurrunt* eam ob causam videntur scripsisse, quod praeteritum non convenire cum praesentibus quae sequuntur putarent; sed hoc multis locis similibus defenditur.

Cap. 58, §. 20. *Bactriani discesserant* recte omnes libri msti, editi *decesserant*. At c. 45, 6 Bractriani in laevo Persarum cornu fuerunt, ipseque Alexander in dextro suo erat cum agemate equitum cap. 50 et 51, 35. Itaque verisimile est h. l. *in laevo cornu*, et inseq. §. *at qui in dextro cornu erant*, transpositis verbis, scribendum esse.

coëgissent. Turbata erat utraque acies. Alexander et a 22
fronte et a tergo hostem habebat: qui averso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur: et Bactriani, impedimentis hostium direptis, reversi, ordines suos recuperare non poterant: plura simul abrupta a ceteris agmina, ubicunque alium alii fors miscuerat, dimicabant. Duo reges 23
iunctis prope agminibus proelium accenderant. Plures Persae cadebant: par ferme utrimque numerus vulnerabatur: curru Dareus, Alexander equo vehebatur: utrumque delecti 24
tuebantur, sui immemores. Quippe amisso rege nec volebant salvi esse, nec poterant. Ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebat egregium. Maximum ta- 25
men periculum adibant, quos maxime tuebantur; quippe sibi quisque caesi regis expetebat decus.

59 Ceterum, sive ludibrium oculorum, sive vera species 26
fuit, qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paululum super caput regis placide volantem aquilam, non sono armorum, non gemitu morientium territam: diuque

§. 22. *et a fronte et a tergo*] Prius *et* vulgo omittitur, cum legatur in utroque Bern. et Flor. omnibus et Leid. Voss. 1. Sed iidem msti et edd. pr. cum Modio inepte *et* etiam ante verba *ab Agrianis* inserunt. Mox his *Agrianis* vulgo praedicatum adiungitur *militibus*, pro quo nemo non statim recipiendum videt quod et Snak. codd. et Bern. et Flor. omnes exhibent *equitibus*. Deinde *et Bactriani* addita coniunctione dedi ex Aldina et Flor. BCEGH Bern. B Leid. Voss. 1 et 2. Omiserunt Iunius et Modius et reliqui, habentque sane auctores Flor. A et Bern. A a pr. m.

§. 23. *proelium accenderant*] Aldus hoc correxit immerito scripsitque *accendebant*, num aliqua codicum auctoritate ignoro (Voss. 1 citarem, si fides silentio esset), certe parum idonea, nam nostri quidem libri inter se tam diversi ad unum omnes quod edidimus habent. Ceterum Modius quoque Aldinam lectionem servavit.

§. 24. *ducebat egregium*] Modius *ducebant* in libris veteribus se invenisse contendit, itaque edidit ceterosque, quod raro ei contigit, faciles imitatores habuit. Sed auctor noster non solet *quisque* cum plurali verbi numero coniungere, in eaque re veteres potius scriptores sequitur, nec legitur *ducebant* in libris mss. sine controversia. Nostri certe et quos Snak. contulit omnes *ducebat* exhibent. Mirum etiam si paulo post Curtius *sibi quisque expetebat* scripsisset, hoc autem loco numerum pluralem posuisset.

§. 25. *adibant quos max. tuebantur*] Argutius haud dubie sic dicit Curtius, quam si vulgatam lectionem sequimur *qui max. tuebantur*. Hoc certe non mirum, qui enixe pugnarent in maximo periculo fuisse, sed ipsos reges inter tot fortissimos comites non expertes fuisse periculi aliquanto plus habet admirationis. Quidni igitur malumus quod in omnibus libris mss. est (nisi quod in Flor. EH Bern. B *quod* scribitur)? Aliquot tamen et vetustissimi quidem pro *adibant* ostendunt *adhibebant*, sed mendum hoc est, a quo libros illos non esse alienos saepe cognovimus.

Cap. 59, §. 26. *non sono armorum, non* cet.] Edd. vett. *nec sonitu armo-*

circa equum Alexandri pendenti magis, quam volanti similis apparuit. Certe vates Aristander, alba veste indutus, et dextra praeferens lauream, militibus in pugnam intentis avem monstrabat, haud dubium victoriae auspicium. Ingens ergo alacritas et fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam, utique postquam auriga Darei, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec aut Persae aut Macedones dubitavere, quin ipse rex esset occisus. Ergo lugubri ululatu et incondito clamore gemituque totam fere aciem adhuc aequo Marte pugnantium turbavere cognati Darei et armigeri: laevumque cornu in fugam effusum destituerat currum, quem a dextra parte stipati in medium agmen receperunt. Dicitur acinace stricto Dareus dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret. Sed eminens curru nondum omnem suorum aciem proelio excedentem destituere erubescebat. Dumque inter spem et desperationem haesitat, sensim Persae cedebant, et laxaverant ordines. Alexander, mutato equo, quippe plures fatigaverat, resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga. Iamque non pugna, sed caedes erat, cum Dareus quoque currum suum in fugam vertit. Haerebat in tergis fugientium victor: sed prospectum oculorum nubes pulverris, quae

rum *nec*, quod in Voss. 2 inventum Snak. notavit. Modius edidit *non sonitu — non*. Sed codd. Flor. omnes et uterque Bern. Leid. Voss. 1 pro *sonitu* exhibent *sono*. Aptius sane videtur *armorum sonitus* das Getön quam *sonus* der Ton, sed neque hoc ineptum, nec placet anfractus vocum *sonitu — gemitu*.

§. 27. *avem monstrabat* pro vulg. *monstravit* codd. omnes de eo quod non semel fecit, sed facere per aliquod tempus perseverabat, multo significantius. Item paulo post codd. nostri omnes *et fiducia*, non *ac fiducia*.

§. 29. *ergo lugubri ululatu* omnes libri mss., cum vulgo (etiam Mod.) postposita coniunctione *lugubri ergo ululatu* dant.

laevum cornu — effusum destituerat currum] Sic codd. optimi Leid. Voss. 1 Flor. A, a qua scriptura non discedunt Flor. B et Bern. A nisi quod *cornu* omittunt. Editio princeps, Mer., Ald., Iun. *laevumque tuentes cornu in fugam effusum destituerant*, ad quam lectionem unus Flor. G accedit, sed omisso *cornu*. Modius ceterique post eum *laevoque cornu in f. effuso destituerant*, coniectura potius usi, quam quod in codd. invenerant cum fide exprimentes. Nam deteriores illi libri qui *laevoque cornu* habent Flor. DFI, exhibent tamen *effusi*, Flor. C *levoque cornu — effusum*, Flor. E *levo cornu — effusi*, Flor. H Bern. B *laevumque in fugam effusum destituerant*.

§. 31. *dumque inter spem*] Copulam cur omiserit Modius, quae et in codd. optimis et in vett. editionibus legitur, non sane intelligo. Deest tamen in Flor. DEFI.

ad coelum ferebatur, abstulerat: ergo haud secus quam in tenebris errabant, ad sonum notae vocis, ut signum, subinde coëuntes. Exaudiebant tamen strepitus habenarum, 33
quibus equi currum vehentes identidem verberabantur: haec sola fugientis vestigia excepta sunt.

60 At in laevo Macedonum cornu (Parmenio, sicut ante XVI.
dictum, tuebatur) longe alia fortuna utriusque partis res gerebatur. Mazaeus, cum omni suorum equitatu vehementer invectus, urgebat Macedonum alas. Iamque abundans 2
multitudine aciem circumvehi coeperat, cum Parmenio equites nuntiare iubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent: ni mature subveniretur, non posse sisti fugam. Iam mul- 3
tum viae praeceperat rex, imminens fugientium tergis, cum a Parmenione tristis nuntius venit. Refrenare equos iussi, qui vehebantur, agmenque constitit, frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus, et Dareum felicius fugere quam se sequi. Interim ad Mazaeum superati regis fama 4

§. 32. *ferebatur*] *Referebatur* optimi ac praeter eos Voss. 2 Flor. DEGI, sed editorum nemo probavit, nec ego probo.

ad sonum notae vocis ut signum] Quod in codd. est *aut signum* optime Aldus emendavit: neque enim in tanta perturbatione licet de signo tuba dato cogitare. *Sonum* ego Modium secutus ex codd. Flor. omnibus et Snak. Leid. Voss. 1 edidi, hoc loco aptius etiam quam quod per edd. propagatum est *sonitum*. Item paulo post *exaudiebant tamen* certissima auctoritate scribendum pro *exaudiebatur tantum* (nam passiva vox in uno Bern. B est, *tantum* in nullo), item *currum vehentes* non *trahentes*. Sic enim omnes omnium libri mss., ut mirari subeat quibus tandem libris principes editores usi sint. Sed hoc mirandi nusquam non erit copia. Nec tamen deerunt qui ratiunculas excogitent, quibus illorum fidem ac sapientiam tueantur.

Cap. 60, §. 1. *Parm. sicut ante dictum, tuebatur*] Editur vulgo *quod Parm. sicut ante dictum est tuebatur*, legiturque sic in Flor. G. Verum *est* a reliquis omnibus nostris et Snak. abest, item *quod* a Snak. libris et nostris praeter Flor. CDEI. Apparet igitur pro fide mss. debita parenthesin a reliqua oratione diremptam statuendam esse. *Antea* unus Flor. B. Mox pro eo quod est *suorum* Flor. DFHI Bern. B *suo* habent. *Urguebat* scribitur in Bern. A Flor. A.

§. 2. *cum Parm.*] *tum Parm.* Leid. Voss. 2 Flor. DEFGHI Bern. B Modius.

ni mature] Vulg. *nisi*, quod de nostris non est nisi in Flor. EH Bern. B, reliqui quod praetulimus *ni*.

§. 3. *multum viae praeceperat*] Sic in optimis codd. legitur Leid. Voss. 1 Flor. AB item CH Bern. B, ceteri Flor. et Bern. A sicut ante Aldum edebatur *praecesserat*, unus Flor. G quod ab Aldo primum deinde a ceteris editum est *processerat*. Longe melior auctoritas nostrae lectionis est, cumque *praecipere viam* non dicatur nisi ubi comparatio aliqua est cum iis qui relinquantur (cf. Drak. ad Liv. XXII, 41, 9 et qui ab eo laudantur interpretes) ea hoc loco instituenda est cum reliquo agmine Macedonum.

quam se sequi] Hoc ordine verborum omnes libri nostri et Snak. Leid. Voss.

pervenerat. Itaque, quamquam validior erat, tamen fortuna partium territus, perculsis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam sua sponte pugnae remis-
5 sae, sed occasione vincendi strenue est usus. Thessalos equites ad se vocari iubet. *Ecquid videtis*, inquit, *istos, qui ferociter modo instabant, pedem referre subito pavore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri fortuna vicit. Omnia Persarum caede strata sunt. Quid cessatis? an ne fugientibus*
6 *quidem pares estis?* Vera dicere videbatur, et spes languentes quoque erexerat. Subditis calcaribus proruere in hostem: et illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant, nec quicquam fugae, nisi quod nondum terga verterant, deerat. Parmenio tamen, ignarus quaenam in dextro cornu
7 fortuna regis esset, repressit suos: Mazaeus, dato pugnae spatio, non recto itinere, sed maiore et ob id tutiore circumitu Tigrin superat, et Babylona cum reliquiis devicti exercitus intrat.

8 Dareus paucis fugae comitibus ad Lycum amnem con-61
tenderat: quo traiecto dubitavit an solveret pontem, quippe hostem iam affore nuntiabatur. Sed tot milia suorum,

1, quod ne Modius quidem recipere ausus est. Tantopere in vulg. *sequi se* placuit sonus. Sed eum quidem fidei non praeferemus. Item paulo post *tamen fortuna* non *fort. tamen* in mstis legitur nostris quidem omnibus et Snak. Leid. Voss. 2.

§. 5. *ecquid videtis, inquit*] Vulgo *ecquid, inquit, videtis:* ego cum Modio in ordine verborum secutus sum codd. et meliores et plures numero. Sed in exarando verbo *ecquid*, ut fere fieri solet, varie peccatur: *et quid* Flor. AB, *en quid* Flor. DFGI, *haec inquit videtis* Bern. B Flor. CEH. Post *vicit* in Bern. A et Flor. praeter H omnibus legitur pro vulg. *vincit.*

§. 6. *nondum terga* omnes libri mss. Vulgo inverso ordine verba collocantur.

§. 7. *dato pugnae spatio*] Hanc omnium codd. et editionum antiquarum lectionem Aldus primus ita mutavit ut *dato fugae spatio* corrigeret, neque Modius quamquam codicum suorum acerrimus patronus ab illius iudicio abire ausus est, codicum scripturam cum mente auctoris pugnare existimans. Sed causae bonitati parum confidit. Nam *spatium dare alicui rei* non tantum est tempus ac facultatem ad aliquam rem faciendam permittere, sed etiam interposito tempore laxamentum alicui rei dare. Hoc sensu non semel apud Livium legimus *irae spatium dare* II, 56; VIII, 32 §. 14, ad quem locum Drak. Ovid. Heroid. 7, 73 laudat *da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque* et conferri iubet Bossii Exercit. philolog. ad Pauli epist. ad Rom. 12, 13. Et ipse Curtius VIII, 5 *orant ne in tam praecipiti ira perseveret spatiumque potius animo det.* Est igitur h. l. *dato pugnae spatio* idem fere atque cum pugna aliquamdiu remissa esset.

Tigrin] Extrema litera *n* Flor. AB Bern. A. Mox *Babylonam* Leid. Flor. A Bern. A, *Babillonam* Voss. 1, reliqui *Babiloniam* s. *Babilloniam*, unus Flor. B *Babilonem.* Vide ad III, 4, 2. IV, 25, 2.

quae nondum ad amnem pervenerant, ponte reciso videbat hostis praedam fore. Abeuntem, cum intactum sineret pon- 9
tem, dixisse constat, malle se sequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. Ipse ingens spatium fuga emensus, media fere nocte Arbela pervenit.

Quis tot ludibria fortunae, ducum, agminum caedem 10
multiplicem, devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum saeculi res in unum illum diem pro! fortuna cumulavit. Alii qua brevissimum patebat iter, 11
alii divisos saltus et ignotas sequentibus calles petebant. Eques pedesque confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde, misericordia in metum versa, 12

Cap. 61, §. 8. *ponte reciso*] Sic editi omnes, sed quod gravius est etiam mss. codd. praeter Flor. H et Bern. B. Temperare tamen mihi vix potui quominus *rescisso* corrigerem, sicut illi duo non boni codices exhibent. Nam primum *rescindere* ut *interscindere pontem* certum est (vide Drak. ad Liv. epit. libri 2) et frequens apud Caesarem, deinde *rescissus* legitur in optimis codd. apud Flor. I, 10, 4 et III, 10, 3, editur tamen quae ipsius Dukeri inconstantia est altero tantum loco, cum priore *reciso ponte* male servarit. (Seebodius utroque *rescisso* dedit). Significatio denique cogit ut discrimen fiat inter *recisos* fustes, *recisam* orationis abundantiam, et pontem *rescissum* sive ruptum. Vide supra ad c. 47. Ut nunc est, *pontem recisum τεχνικῶς* dici puto de interrupto, non penitus diruto.

videbat hostis praedam fore codd. mss. omnes. Vulgo *praedam hostis fore videbat.*

§. 9. *malle se sequentibus*] Olim editi *se inseq.* Modius et reliqui deleto pronomine *malle inseq.* Sed codd. aut *malle se sequentibus* aut *malle sequentibus*, quod cum omissa syllaba eadem ortum videri debeat, alteri lectioni etiam auctoritate codd. (Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB al.) praestanti posthabui. *Sequentes* autem verecunde dixit pro *persequentibus*, ut §. 11.

§. 10. *ducum, agminum*] Vulgati praeter Modianum *ducum agminumque caedem.* In illo omittitur copula, recte si librorum mss. consensui fides habenda est. Nec asyndeton in duobus nominibus ab oratorio stilo abhorret, vide supra c. 54, 14 *aciem vanam, exhaustam.*

pro! fortuna cumulavit] Voculam *pro* sive *proh* (Flor. DEFI) omnes libri mss. agnoscunt, editores tamen resecuerunt, non recte neque ex fide sua. Liv. XXII, 14 *tantum pro! degeneramus a parentibus nostris*, ubi ante Gronovium *proh dolor* sciolorum additamentum legebatur.

§. 11. *divisos saltus et ignotas calles* ex integerrimis libris Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB dedi pro vulg. *diversos saltus et ignotos calles. Divisos* recte puto dici posse saltus ab aequis campis separatos et aegre accessibiles, nimirum spatio situque divisos, sicut insulas terras mari divisas dicimus. De permutatione vocabulorum *diversus* et *divisus* citarem Drak. not. ad Liv. XXI, 55, 2, si hic error librariorum ac non consilium esset correctorum. Porro de *callibus* feminino genere dictis cf. ad libr. III, 23.

implicabantur non legitur de nostris nisi in Bern. B et Flor. EH, ceteri *plicabantur*, quod item ex Pal. 1 Leid. Voss. 1 enotatur, Flor. F etiam *publicabantur*, sed illud mendum est ex omissa nota ortum et recte animadversum ab editoribus veteribus.

sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis praecipue fatigatos et saucios perurebat, passim omnibus rivis prostraverant corpora, praeterfluentem am hianti ore captantes. Quam cum avide turbidam sissent, tendebantur extemplo praecordia premente limo, olutisque et torpentibus membris, cum supervenisset ho-, novis vulneribus excitabantur. Quidam, occupatis ximis rivis, deverterant longius, ut quicquid occulti hu-ris usquam manaret, exciperent, nec ulla adeo avia et a lacuna erat, ut vestigantium sitim falleret. E proxi-vero itineri vicis ululatus senum feminarumque exaubantur, barbaro ritu Dareum adhuc regem clamantium.

Alexander, ut supra dictum est, inhibito suorum62 petu ad Lycum amnem pervenerat, ubi ingens multitudo ientium oneraverat pontem, et plerique, cum hostis ur-et, in flumen se praecipitaverant, gravesque armis et elio ac fuga defatigati gurgitibus hauriebantur. Iamque pons modo fugientes, sed ne amnis quidem capiebat nina sua improvide subinde cumulantes: quippe ubi in-vit animos pavor, id solum metuunt, quod primum for-

. 12. *omnibus rivis*] Sic ait se masse cum paucis Freinshemius, cum in . antiquis *omnibus viis* legeretur nusque Modius (nam Iunius in marge tantum habet) restituisset *rivis*. rum non in paucis hoc est, sed conos omnium librorum mss. scriptura. 13. *cum avide turbidam hausissent*] g. *cum diu avidi*. Sed *diu* et per ihil est h. l. et ab omnibus codd. tris certe et Snak.) abest. Flor. B *deinde turbidam* Flor. CEGH *dum le turbidam*. Adiectivum *avidi* nec m est in mstis, nisi forte in Voss. 2 siletur.

. 14. *deverterant* scribendum erat cundum regulas nunc quidem omnium sensu probatas et propter codicum id. Voss. 1 utriusque Bern. Flor. A EH) auctoritatem. Edebatur autem rterant.

t *vestigantium*] Vulgo *quae vestig.*, contra codd., in quorum nonnullis or. ABCH Leid. Voss. 2) quod cantium legitur non moror. Sequitur *ululatus senum:* sic Mod. et codd. quibus maxime credimus, vulgo editi *senum ululatus*. Sed quid sibi volebant isti ululatus? Schefferus putat opem implorantium fuisse; verum nulla adhuc istis fiebat iniuria. Ergo religiosas preces fuisse existimo vesperi ac per noctem pro fortuna regiorum armorum habitas.

Cap. 62, §. 16. *inhibito suorum impetu*] Editiones praeter Mod. *cursu*, mirum cum omnes codd. illud praeferant neque causae quicquam intelligatur cur minus probatum fuerit.

§. 17. *improvide subinde cumulantes*] Msti deteriores (quales sunt Flor. GF), ex quibus principes edd. sunt expressae, *improvidae fugae subinde*, inepte: nimirum *improvide* adiectivum existimantes aliquod nomen quod adiicerent quaesiverunt, inde autem profecti Flor. C *provide fugae*, H et Bern. B *proinde fugae*, Voss. 2 *propera fugae* dederunt. Quae ludibria Modius prolata librorum integriorum scriptura finivit.

midare coeperunt Alexander, instantibus suis, impune 18
abeuntem hostem permitteret sequi, hebetia esse tela, et
manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, et prae-
ceps in noctem diei tempus causatus est. Revera de laevo 19
cornu, quod adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reverti
ad ferendam opem suis statuit. Iamque signa converterat,
cum equites, a Parmenione missi, illius quoque partis victo-
riam nuntiant. Sed nullum eo die maius periculum adiit, 20
quam dum copias reducit in castra. Pauci eum et incom-
positi sequebantur ovantes victoria, quippe omnes hostes
aut in fugam effusos, aut in acie cecidisse credebant: cum 21
repente ex adverso apparuit agmen equitum, qui primo in-
hibuere cursum, deinde Macedonum paucitate conspecta,
turmas in obvios concitaverunt. Ante signa rex ibat, dis- 22
simulato magis periculo, quam spreto. Nec defuit ei per-
petua in dubiis rebus felicitas: namque praefectum equita- 23
tus avidum certaminis, et ob id ipsum incautius in se ru-
entem, hasta transfixit, quo ex equo lapso, proximum, ac
dein plures eodem telo confodit. Invasere turbatos amici 24
quoque: nec Persae inulti cadebant, quippe non universae

§. 18. *impune abeuntem hostem perm. sequi*] Edd. pr. et Ald. *ne impune ab. hostem inde permitt. sequi, hebetia tela esse*, Iuniana *ne impune abeuntem hostem inde permitteret, hebetia tela esse*, Modius *abeuntem hostem permitteret sequi, hebetia esse tela;* sed reliqui cito vocabulum *impune* immerito damnatum restituerunt, ordinem vero verborum sine ulla causa mutarunt. Codd. mss. omnes *ne impune abeuntem hostem permitteret sequi, hebetia esse tela* cet. et consentiunt Snakenburgii libri, nisi quod in Voss. 2 illud *inde* est, quod Modius eiecit. Iam apparet *ne* quoque, ut sententia absolvatur, tollendum esse, sed miramur tamen unde originem duxerit, facileque aliquis suspicari possit olim fuisse *ne impune abeuntem hostem videret sed permitteret sequi.* Pro eo quod est *hebetia* Flor. DGH Bern. B *hebentia*, Flor. E ante correct. et I *habentia*, C *proebetia;* in Flor. F hic lacuna est usque ad. init. proximi libri.

§. 20. *eo die maius periculum adiit*] Bern. A Flor. A Voss. 1 alii pauci *hodie.* Sed maior varietas est in verbo *adiit*, talis tamen ex qua veram esse hanc principis editionis et Modianae et Freinshemianae lectionem intelligatur. Nam Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 *addidit*, Flor. BCEH Bern. B *accidit* exhibent; editiones autem Mer. Ald. Iun. aliae longius a fide codicum recedentes *fuit* praebent.

in fugam effusos] Codd. nostri omnes et Snak. Leid. Voss. 1 *fuga*, sed lineola superinducta librarios videtur fefellisse. *Cecidisse credebant* pro vulg. *cred. cecidisse* tres Snakenburgiani et Flor. A BDGI Bern. A.

§. 23. *ac dein plures*] Vulgo *deinde:* ego sequor Leid. Voss. 1 Flor. A et alios complures, qui numerum testium augent, non auctoritatem. Ex Bern. A et Flor. ABCGI aliquanto post §. 25 *tutior fuga* pro eo quod vulgo legitur *fuga tutior* probabilius videbatur.

acies, quam hae tumultariae manus, vehementius iniere certamen. Tandem barbari, cum obscura luce tutior fuga videretur esse quam pugna, dispersis agminibus abiere. Rex, extraordinario periculo defunctus, incolumes suos reduxit in castra.

6 Cecidere Persarum, quorum numerum victores finire 63
potuerunt, milia XL, Macedonum minus quam CCC deside-
7 rati sunt. Ceterum hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti, quam fortunae suae debuit: animo, non, ut antea,
8 loco vicit. Nam et aciem peritissime instruxit, et promptissime ipse pugnavit, et magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumque contempsit, cum in ipsa acie summae rei videret esse discrimen, dubioque adhuc pugnae
9 eventu pro victore se gessit, perculsos deinde hostium fudit, fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest,
10 prudentius quam avidius persecutus est. Nam si parte exercitus adhuc in acie stante, instare cedentibus perseverasset, aut culpa sua victus esset, aut aliena virtute vicisset. Iam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset, victori aut foede fugiendum, aut miserabiliter cadendum

§. 25. *dispersis agminibus* quominus reciperem pro vulg. *diversis agm.* causa nulla erat, omnes enim manuscripti, exceptis fortasse quibusdam extremi ordinis, ut Voss. 2 qui siletur, illud exhibent. Miror potius agmina nunc esse quod supra unum fuit agmen.

Cap. 63, §. 26. *quorum num. vict. finire pot.*] Coniecit Modius et edidit *numerum — inire*, quod *finire numerum* Latine non diceretur. Refutavit eum Heinsius laudato loco Valer. Max. v, 3, 2, ubi est *quindecim milia aeris: tanti namque poena finita est. Inire numerum* sane dicuntur vulgo qui numerant, sed quis numerasse vere caesorum hostium corpora victores putarit? Satis fuit aestimare summam. Atque in hac aestimatione sobrium se praebet Curtius, nam Diodorus nonaginta, Arrianus adeo trecenta milia hostium caesorum tradunt fuisse. Macedonum numerum Diodorus ad quingentos dicit fuisse, Arrianus de regia tantum ala loqui videtur, cum τῶν ἀμφ' Ἀλέξανδρον centum cecidisse refert.

§. 28. *summae rei — discrimen* infinitum quantum vulgatae scripturae *summum rei — discrimen* praestet, nam *rei* sic absolute positum hoc quidem loco magis numerum verborum quam sensum augeret. Rem conficit quod *summae* in edit. Mod. et in Bern. utroque et Flor. ad unum omnibus legitur. Snak. de suis unum Leid. commemorat nostrae scripturae auctorem.

§. 29. *perculsos hostium* non minus recte et elegantius etiam quam *perculsos hostes* dici, cum sequatur altera pars *fugientes*, facile intelligitur. Itaque restitui suum scriptori, auctoritatem librorum meorum omnium aliorumque plurimorum secutus. Quod in nonnullis libris sed non in Bern. A et Flor. A legitur *percussos*, id neminem nunc movebit.

§. 30. *aut culpa sua victus esset* omnes libri Bern. et Flor. et Snak.

fuit. Ne duces quidem copiarum sua laude fraud sunt; quippe vulnera, quae quisque excepit, indicia vir sunt. Hephaestionis brachium hasta ictum est: Perd et Coenos, et Menidas, sagittis prope occisi. Et, si aestimare Macedonas, qui tunc erant, volumus, fatebi et regem talibus ministris, et illos tanto rege fuisse gnissimos.

Leid. Voss. 2 (ac miror abesse Voss. 1). Vulgata (quam etiam Modius retinuit) *sua culpa* forsitan alicui ob insequens *aliena virtute* probabilior videatur; sed ordinem eorum quae opponuntur haud raro mutari a scriptoribus et quasi fronte componi opposita neminem fugit, (ut est III, 14 *alieno me mori scelere, quam metu meo* et IV, 21 *leges a victoribus dici, accipi a victis* al.) atque h. l. *culpa* imprimis erat significanda.

§. 32. *Perdicca et Coenos* Flor. omnes, item uterque Bern. nisi quod B (retinere videtur, Snakenburgius e: Voss. 1 *Perdicca*, ex Voss. 1 enotat, reliqua silet. Editi *Per ac Coenus*, sed *Coenos* sive *Cen* edit. pr. Ald. Iun. Mod. Etiam 50, 28 Graeca haec terminatio *Perdicca* novum est, sed a ratio tinitatis non abhorret. *Mastigia* nativus apud Plautum legitur ir II, 8, 10.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER V.

ARGUMENTUM.

(1) Dareus proelio superatus apud Arbela opulentissimas regni provincias meridiem sitas victori permittit, ipse in Mediam fuga contendit. (2) Ale-ıder, Arbelis captis castrisque motis, per Mesopotamiam, fecundissimam ter-ı, proficiscitur. (3) Babylonem procedenti Mazaeus et Bagophanes, praetores rei, semetipsos et urbem dedunt: ipsi Babylonii regem intrantem magnifice ipiunt. (4. 5) Magnae urbis mirabilia describuntur, imprimis horti pensiles. (6) Diutius in urbe luxuriosa rex commoratus, quam disciplinae militari nduceret, supplementis militum auctus, constitutisque praetoribus ac magistra-ıus, (7) castra movit, dumque in Satrapene substitit, complura in re militari iliter constituit. (8) Procedenti deinde urbem Susa cum thesauris maximis bulites, eius provinciae praefectus, tradidit. (9) In ea urbe, novorum prae-ctorum potestatibus definitis, Darei matrem ac liberos reliquit, summa humani-te adversus eas usus. (10) Pasitigri (*hodie Karun*) flumine superato, cum rte exercitus Uxios, imperium detrectantes, eorumque praefectum Madatem greditur, sed urbem illorum frustra oppugnat, (11) donec occulto itinere prae-ssi super capita hostium existunt. Tum oppidani, arce inclusi, per Sisygam-n tandem exoratam veniam petunt et consequuntur.

(12) Pervenerat Alexander ad pylas Persicas sive Susidas, artissimas fauces, as Ariobarzanes cum idoneo praesidio defendebat. Temere ingressi Macedo-s magno cum detrimento repelluntur. (13) Unus captivorum silvestres calles cet esse, quibus in Persidem perveniri possit. Simul eius terrae situs ac na-ra describitur. (14) Accepit Alexander pastoris promissum, itineris difficultate inime deterritus, remque cum Cratero prudenter composuit. (15) Ipse cum ırte exercitus, victis impedimentis, (16) in summum montis verticem evasit. um circumventi Persae, undique urgentibus hostibus, fortiter occubuerunt, Ario-arzanes erupit, sed Persepoli exclusus et ipse caesus est. (17) Monitus a Ti-idate, praefecto regiae pecuniae, Alexander Persepolim occupare festinavit.

Prope urbem agmen ei obviam venit Graecorum captivorum, a Persis foede mutilatorum, quibus cum rex pollicitus esset, in patriam reditum sese expediturum, (18) illi inter se deliberarunt, quid a rege petendum videretur: et aliis quidem in Asia remanendum, (19) aliis quam primum redeundum in Graeciam censentibus, vicit remanentium sententia. Et horum quidem fortunae Alexander liberaliter consuluit. (20) Tum Persepolim ingressi Macedones iussu regis diripuerunt ac vastarunt. Illic et Persagadis quantum pecuniae captum sit refertur. (21) Interiora Persidis feramque gentem Mardorum unius fere mensis spatio ipse Alexander domuit sibique parere coëgit. (*Vere anni a. Chr. nat.* 330. *Olymp.* 112, 1.) (22) Persepolim reversus, auctore Thaide meretrice, regiam incendit, (23) posthac non restitutam. Sera poenitentia motus Mediam petit, Dareum persecuturus.

(24) Qui, longioris fugae consilio abiecto, cum iis quas habebat copiis decertare statuit, et oratione habita, postquam suorum virtutem fidemque laudavit, (25) eos adhortatur et orat, ut semel cum mutabili fortuna transigant. (26) Ceterorum assensum Artabazus exprimit, sed Nabarzanes, Hyrcaniae praefectus, consilio ante cum Besso, Bactrianorum praetore, inito, speciosis verbis suadet, ut illi per aliquod tempus Dareus imperium tradat. (27) Rex ira exarsit, aegre ab Artabazo mitigatus tabernaculo se inclusit. Exercitus perturbatus in partes dividitur. (28) Bessus et Nabarzanes, quoniam palam consilium exequi non possunt, dolo agere statuunt, ac (29) simulata poenitentia, Artabazi opera etiam cum rege, homine simplici, in gratiam redeunt. (30) Qua fraude intellecta, Patron, dux Graecorum mercenariorum, regem orat, ut corporis sui custodiam Graecis committat, (31) verum Dareus, qui humano consilio servari nequiret, negat se a popularibus suis recessurum. (32) Bessus, iam certus consilii nefarii, regem tamen fallere pergit, quamvis parum lateat. (33) Ille nihilominus, etiam Artabazi consilio spreto, iam relictus a custodiis mori mavult, quam unicam salutis viam temptare. (34) Tum eum Bessus Bactrianique vinciunt, ac secum celeri fuga abripiunt, sequentibus Persis, dum Graeci et Artabazus Parthienen diverso itinere petunt.

(35) Alexander Tahis de periculo Darei nuntio accepto, celeriter insequitur, deinde audit, iam captum esse illum. (36) Aliis atque aliis transfugis advenientibus, breviore itinere cum exigua suorum manu Bessum assequitur. (37) Itaque hic cum sociis, regem captivum, postquam permovere, ut equo secum fugeret, nequiverunt, convulneratum (*medio anno a. Chr. nat.* 330, *Attico mense Hecatombaeone*, *Olymp.* 112, 3. *Archonte Aristophonte*) relinquunt, ipsi diversam fugam intendunt. Relicti a multo paucioribus Macedonibus aut caeduntur, aut capiuntur. (39) Via devertens unus Macedonum forte vehiculum conspicit, in quo Dareus semivivus fuit * * *.

1 Quae interim ductu imperioque Alexandri vel in L
Graecis, vel Illyriis ac Thracia gesta sunt, si suis quaeque

Liber v, Cap. 1, §. 1. *ductu imperioque Alexandri*] Auctor minus accurate locutus esse iure censetur, qui *ductum* Alexandri etiam illum appellaverit, cum sub eius procul absentis auspiciis alio duce, Antipatro nimirum, res gestae sunt. Sed nimis acres sunt verborum perscrutatores qui quasi capitale illud flagitium putent. Videant Livium VIII, 31 et 33 ubi magistri equitum Fabii *ductu auspiciisque* Romani vicisse dicuntur, qui vicerunt illi quidem ductu illius, sed auspiciis dictatoris. Alia res est, ubi res gestae non comprehen-

temporibus reddere voluero, interrumpendae sunt res Asiae, quas utique ad fugam mortemque Darei universas in conspectum dari, et sicut inter se cohaerent, ita opere ipso coniungi, haud paulo aptius videri potest. Igitur quae proelio apud Arbela coniuncta sunt, ordiar dicere.

Dareus media fere nocte Arbela pervenerat, eodemque magnae partis amicorum eius ac militum fugam fortuna compulerat. Quibus convocatis exponit, haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas urbes, agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset: praedam opimam paratamque ipsum et milites eius spectare. Id suis rebus tali

duntur sed disiunctionis vocabulis discernuntur, ut lib. VI, *alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui*, ubi vide notam Freinshemii Tacitum Ann. II, 41 *ductu Germanici, auspiciis Tiberii* et Sueton. Aug. 21 *partim ductu, partim auspiciis suis* citantis. Ac vereor prope ne multa eius generis nos hodie accuratius usurpemus quam ipsi illi veteres scriptores, qui verborum potestates, ubi res non magnopere exigebat, ne oratione quidem perpetuo distinguendas existimarent, cum nos quod semel didicimus non ubique ad regulam poni piaculum paene putemus. Nihil certe in libris mss. variatur, nisi quod *et imperio* Flor. EH Bern. B, *imperio* (sine coniunctione) Voss. 1 habent.

vel in Graecis vel Illyriis ac Thracia] Editi *vel in Graecia vel in Illyriis*, Modius solus *vel Illyr.* Sed *Graecis* quidem Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABCH, et omittunt praepositionem optimi ex illis cum Flor. DGI Bern. B Voss. 2. Itaque utrumque feres et annotabis, quamvis et *Graeci* pro Graecia non fere dicantur et ex regula malueris *in Illyriis*, de qua re dixi quantum satis est in gramm. §. 745. Cf. etiam ad X, 16, 15. Quod sequitur in editis exemplaribus praeter Mod. *si quaeque suis temporibus reddere voluero* apparet in verborum collocatione mendosum esse. Neque sic mss. codices, sed legitimo ordine *suis quaeque temporibus* omnes praeter Flor. H Bern. B et Voss. 2 si fides silentio.

§. 2 *in conspectum dari*] Non fui tam religiosus quam Drakenborchius ad Liv. IX, 26, 4, qui se propter codicum consensum simile vitium, quod illic est, sublaturum negaret, quamvis et grammatica ratio et usus scriptorum correctioni faveret. Nam h. l. omnes codices vulgare mendum obsidet *in conspectu dari*. Sed etiam lib. III, 4 in compluribus libris *universas vires in conspectu dedit* legitur, quamquam integerrimi quique accusativum casum tuentur; item X, 19, 4 *regia sella in conspectum vulgi data* in tribus Flor. ex deteriorum numero *m* sine linea transversa omittitur.

sicut inter se cohaerent] Editoribus, opinor, non veteribus libris, additamentum debetur, quod frustra tamquam necessarium defendunt *cohaerent tempore*, nostri certe codices ignorant omnes. (Snak. qui omittant Leid. Voss. 1 appellat, ut videatur in Voss. 2 inventum esse, sed vix credo). Quae cohaerent re atque ratione non necesse est tempore cohaerere, immo tempore cohaerent quae quamvis longe dissita locorum spatiis et inter se diversa eodem vel die vel mense annoque fiunt. Sed quid opus est pluribus, cum ipse auctor *inter se* addiderit, quo rerum connexum quasi internum significare voluit. Etiam in sequentibus inane vocabulum ex deterrimis codicibus ductum (Flor. F Bern. B, cum sit *haud* in Flor. H, *autem* in Voss. 2) in vulgares editiones irrepsit: *igitur ante — ordiar dicere*. Delevimus melioribus auspiciis.

§. 3. *Arbela pervenerat* ex optimis pro vulgato *pervenit* recepimus cum Modio, orationis tenori aptissimum.

in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Ultima regni sui adhuc intacta esse, inde bello vires haud aegre reparaturum. Occuparet sane gazam avi- 6
dissima gens, et ex longa fame satiaret se auro, mox futura praedae sibi: usu didicisse, pretiosam supellectilem pellicesque et spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera et impedimenta; eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus 7
desperationis videbatur oratio, quippe Babylona, urbem opulentissimam, dedi cernentibus: iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli, victorem occupaturum. At 8
ille docere pergit, non speciosa dictu, sed usu necessaria in rebus adversis sequenda esse: ferro geri bella, non auro, viris, non urbium tectis; omnia sequi armatos: sic maiores suos perculsos in principio rerum, celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur, sive confirmatis eorum animis, 9
sive imperium magis quam consilium sequentibus, Mediae fines ingressus est.

2 Paulo post Alexandro Arbela traduntur, regia supel- 10

§. 5. *ultima regni sui*] Postrema vox a vulgatis abest, sed codicum nostrorum omnium et Snak. Leid. Voss. 1 auctoritate satis defenditur. Item post *usu didicisse* hoc ordine exhibent Flor. AB Voss. 1 (Bern. A et Leid. silentur), Flor. G *usu didicisse se*, Mod. *usu se didicisse*, reliqui et vulg. *didicisse usu*.

§. 6. *quibus rebus antea vicisset*] Vulgo *rebus* desideratur, nam desideratur sane, si Ciceronianam scribendi rationem, a qua noster non multum discedit, tueris. Est etiam in mss. qui accuratius collati sunt omnibus.

§. 7. *dedi cernentibus*] Vitiose codd. Leid. Voss. 1. 2 Flor. ABC Bern. A *certantibus*. Sic item Vindel. Merul., sed mendum sublatum est ab Aldo. Omisit verbum Modius, sed noli dubitare non codices mss. sed suam de brevitatis quadam gratia opinionem secutus, id quod inde a III, 6, 6 nimium saepe animadvertimus.

§. 8. *perculsos in princ. rerum*] Quaerunt quo in bello Persas iniquitatem fortunae expertos dicat. Maxime putaverim adversus Massagetas ubi Cyrus occisus. Deinde cogitavit fortasse de Babyloniorum rebellione et infelici adversus Scythas expeditione.

Cap. 2, §. 10. *Arbela traduntur*] Codd. fere omnes (nam fere dico quia Leid. fieri mentionem nullam video) *traditur*, optimi etiam *Arbela traditur*, non ut vulgo *trad. Arb.* Quid quod *traduntur* ne in antiquis quidem editionibus legitur, a Modio primo inductum? Sed tamen quin recte factum sit non dubito, certe denuo mutare nolo. Deinde *supellectile* scripsi fretus praecipue auctoritate codicum Flor. A et Bern. A, quamquam nec alii desunt, Flor. E et quos Snak. in folle citat *Mss.* fortasse ipsius. Vulgo (et Mod.) *supellectili*, quam formam desideratissimus Schneiderus in gramm. Lat. p. 234 defendit. Sed ex locis Ciceronianis ab illo laudatis excipiendi videntur in Verr. II, 14 35 et IV, 44, 97. Mox *ditique* primus Modius ex libris melioribus (nostris Bern. A Flor. ABG), cum in reliquis esset

tile ditique gaza repleta: quattuor milia talentum fuere, ıeterea pretiosae vestes, totius, ut supra dictum est, ercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus nde morbis, quos odor cadaverum totis iacentium campis gaverat, maturius castra movit. Euntibus a parte laeva ıbia, odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter, est. er Tigrin et Euphraten iacentia tam uberi et pingui ɔ sunt, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas imat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne nat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. i amnes ex Armeniae montibus profluunt, ac magno nde aquarum divortio iter, quod coeperunt, percurrunt:

iique, Flor. E *denique* a pr. m. ectumque *ditique*.

. 11. *a parte laeva Arabia*] Arabiam c esse Mesopotamiae partem constat, ndoquidem Arabes etiam in laeva ı Euphratis usque ad Tigrin colunt, Plin. VI, 27 (31) §. 129, eamque ionem odoribus impletam esse tradit m Xenoph. Anab. I, 5 pr. Itaque ecte Curtius a laeva illam regionem se dixit, putandus est Alexander rin traiecisse et per mediam Meso- amiam ivisse. Neque situs urbis nnis repugnat quippe qui prorsus ertus sit, cum fontes bituminis plu- ı cis et trans Tigrin inveniantur.

§. 12. *inter Tigrin et Euphraten*] ılgo ut fere semper *Tigrim et Euphra-* ı; sed in priore nomine sequor Flor. 3 Bern. A formae Graecae constantes tronos, in altero etiam plures mstos. rumque et Snakenb. probaverat. ae sequuntur nondum sanata sunt, edita a me sicut post Aldum per gares editiones propagantur. In codd. dem mstis extrema haec duo verba) *sunt* prorsus ignorantur, in Flor. ıen EG in margine adiecta leguntur. it. pr. *iacens* et *solo*, omisso tantum ɔo *sunt*. Deesse aliquid haud dubie ernendum est, nisi forte secundum it. princ. velis corrigere: *inter Tigrin Euphraten iacet* (nimirum Arabia) ı *uber et pinguis*. Modium necesse t codicibus usum esse a nostris longe versis, si verum est in illis inventum ıe *iacens tam uberi et pinguis soli*, item omisso verbo *sunt*. Sed ut hoc ei credi potest, sic ne conviciis quidem suis cuiquam persuadebit verum esse quod felici successu emendasse sibi videbatur: *euntibus aperit se laeva Arabia odorum fertilitate nobilis regio. Campestre iter est inter Tigrim et Euphratem tam uber et pinguis soli, ut cet.* Sic enim legitur in edit. Colon. 1579 et 1604 sine interpunctione. Quam stribligginem Acidalio miror probari potuisse, sed vereor ne ille se *asinali verecundia ductum* ostendere noluerit.

§. 12. *resudante* i. e. conceptum sudorem emittere. Verbum Curtianum est, quo et VII, 39 utitur: *ipsum solum ne modico quidem resudat humore.*

§. 13. *iter quod coeperunt percurrunt*] Vulgo *cepere*, sed alteram terminationem Flor. omnes tuentur (e Bernensibus nihil notatur, nec Snak. nisi ex Voss. 1 *ceperunt* enotat); deinde diphthongo malui quam simplici vocali verbum scribere. Nam *iter capere* inauditum puto esse, *coeptum* et *inceptum iter* frequens est, et h. l. subaudiendum est *currere*. Codicum in eiusmodi re non expectanda est auctoritas; habent tamen Bern. A et Flor. A quod coniectura assecuti sumus. Mox *iidem* primus dedit Iunius, cum antea fuisset editum *item;* codicum mss. meliores *idem*, deteriores *item*. Num sit *iidem* in aliquo nescio, nisi forte in Voss. 1 qui non commemoratur. Tum ubi in editis exemplaribus *Gordianorum terras* habemus, in optimis libris Leid. Bern. A Flor. AB invenimus *Gor-*

duo milia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniae montes notaverunt. Iidem 14
cum Mediae et Gordyaeorum terram secare coeperunt, paulatim in artius coëunt, et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terrae relinquunt. Vicini maxime 15
sunt in campis, quos incolae Mesopotamiam appellant; mediam namque ab utroque latere cludunt. Iidem per Babyloniorum fines in Rubrum mare irrumpunt. Alexander 16
quartis castris ad Mennim urbem pervenit. Caverna ibi est, ex qua fons ingentem bituminis vim effundit, adeo, ut satis constet, Babylonios muros ingentis operis huius fontis bitumine interlitos esse.

3 Ceterum Babylona procedenti Alexandro Mazaeus, qui 17
ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis sup-

diaeorum terram, quod ita restituendum ut *Gordyaeorum* scribatur. Modius *Cordiacorum* edidit male traditque ita in membranis esse, cuius rei fides penes ipsum esto.

§. 15. *vicini maxime sunt*] Codd. et edd. Aldina antiquiores *vicina*, item post non multum *eadem* pro *iidem*. Non possum Aldum reprehendere, certe insolens esset, cum hucusque de amnibus dixisset, repente de fluminibus loqui. Nec satis simile est quod IV, 26, 11 de *avi* et *corvo* legimus. Sed *his campis* pro eo quod in omnibus libris est *in campis* cur Aldus dederit parum intelligo, quamquam Modius, qui tamen *vicina* et *eadem* retinuerit, probavit. Ceterum Curtii descriptio amnium facile a reprehensione Schmiederi defenditur: est enim revera amplissimum amnium intervallum in superiore Mesopotamia 64 mil. geogr. secundum Ritter. geogr. Tom. II, p. 126, quae sunt 2560 stadia. Immo Strabo lib. XI p. 521 B erravit, qui numerum 2500 stadiorum ad fontium distantiam rettulit, rursusque lib. XVI p. 746 C maximum intervallum 2400 stad. dixit. Stilo tribuendum videtur quod de ambobus amnibus scripsit *cum Mediae et Gordyaeorum terram secare coeperunt*, cum ad unum Tigrin pertineat, in hac re ita concordans cum Diodoro II, 11 (*ἐνεχθέντες διὰ Μηδίας*) ut ex eodem cum illo fonte hausisse videatur. *Mediae* quidem appellationem excuso, quippe quae terra, everso Assyrio regno, usque ad Tigrin pertinuerit.

§. 15. *ab utroque latere cludunt*] Vulgatum *concludunt* suos habet auctores Bern. B et Flor. CDEFGHI, et solet syllaba *con*, cum hac nota $\bar{c}$ scribatur, a librariis ante ea verba omitti quae ab eadem consonante incipiunt. Docet hoc non uno loco accuratissimus Drakenborchius ad Livium. Nihilo minus nunc *cludunt* recepi ex edit. Mod. et tribus nostris optimis et Leid. Voss. 1 maxime constantiae causa, tum vero quod *concludendi* verbo alibi non utitur Curtius, cum *claudendi* apud eum frequentissimum sit, etiam ubi *concludere* verum esset, v. c. VIII, 2 *clusi ferarum greges*. De forma verbi illic diximus.

in Rubrum mare irrumpunt] *Prorumpunt*, quod fere editur, in Flor. El inveni, *perrumpunt* in DFH Bern. B, ceteri et integerrimi cum Mod. *irrumpunt* (sive *inrumpunt*) quod non minus probabile videtur.

§. 16. *bituminis vim* optimi; vulgo *vim bit.* alio ordine.

Cap. 3, §. 17. *in eam urbem* omnes nostri, Snak. unum Leidensem appellat; vulgo *in urbem eam*. Post *regi fuit* Bern. A Flor. AB Voss. 1 pro vulg. *fuit regi* (Leid. non commemoratur). Deinde *obsidio futura tam* omnes nostri

plex occurrit, urbem seque dedens. Gratus adventus eius regi fuit, quippe magni operis obsidio futura erat tam munitae urbis. Ad hoc vir illustris, et manu promptus, famaque etiam proximo proelio celebris, et ceteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excipit: ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem, plures obviam egressi sunt. Inter quos Bagophanes, arcis et regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non ture modo, sed omnibus odoribus cumulaverat. Dona eum sequebantur, greges pecorum equorumque, leones quoque et pardales caveis praeferebantur. Magi deinde, suo more carmen canentes, post hos Chaldaei, Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes hi regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et statutas vices temporum osten-

et Voss 1, videturque verbum *erat* inter *futura* et *tam* elisum esse. Vulgo editur *ut. erat obsidio*, Modius *futura obsidio am;* sed subintelligi h. l. posse verbum ubstantivum non credo.

§. 18. *famaque — celebris*] Flor. BG *amaeque* quod pertinet ad eam quaestionem, quam tractavi in gramm. Lat. §. 100 not. 1, ubi erravi quod plura exempla apud Curtium inveniri dixi ius formae quae est *celebris* in genere nascul. Immo alibi est *celeber* VII, 16 t VIII, 30, 9.

cum liberis excipit] Vulgo *excepit*, go sequor Bern. A Flor. AB cum Leid. oss. 1.

§. 19. *in aciem irent*] Hoc a Modio st: edd. vett. *in acie irent*, scripti autem nostri partim *in acie migrent* partim *in aciem migrent*, unus Flor. G *in ciem irent* quod frustra temptans Schefferus corrigit *in acie migrans*.

§. 21. *dona eum sequebantur* omnes libri mss. nostri et Snak., longe rectius quam quod vulgo editur *eum dona sequebantur*. Paulo ante *ture* scribendum fuit, ut est in mstis et praecipitur a Charisio, cf. Schneid. Elem. L. L. p. 200. Etiam Wagnerus in Orthogr. Vergil. simplex *t* Medicei auctoritate tuetur.

§. 22. *suo more carmen canentes*] *Patrium carmen* edita exemplaria praeter Modianum, sed videtur adiectivum temere huc ab editoribus ex l. III, 7 repetitum: codd. certe omnes nostri et Snak. ignorant. Tum *hi* dedimus pro vulg. *ii* ex plerisque et melioribus mss. Pertinet ad ultimos, vates artificesque, i. e. poëtae ac musici, qui si fuerint et ipsi Chaldaei, separati tamen sunt a sacerdotibus. Magi quidem suam videntur *λειτουργίαν* cecinisse.

statutas vices temporum] Olim editi *statutas temp. vices*, Mod. *statas vices temporum*, unde composita nunc vulg. scriptura *statas temporum vices* contra codd. mss. Scio quod discrimen inter participia *status* et *statutus*, quod ad significationem pertineat, esse docuerint grammatici (vide Forcellinum in lexico annotatione Drakenborchii ad Livii lib. XXIV, 27, 1 usum), ac video secundum

dere. Equites deinde Babylonii, suo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex, armatis stipatus, oppidanorum turbam post ultimos pedites ire iussit: ipse cum curru urbem, ac deinde regiam intravit. Postero die supellectilem Darei et omnem pecuniam recognovit. 23

4 Ceterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas, non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit. Semiramis eam condiderat, non, ut plerique credidere, Belus, cuius regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX et duorum pedum in latitudinem amplectitur: quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L cubitorum eminet spatio: turres denis pedibus quam murus 24 25 26

regulam dixisse Curtium VIII, 30 *adeo in illa plaga mundus statas temporum vices mutat* et IX, 35 *stata vice oceanus exaestuat;* sed idem tamen VI, 7 *fruges maturitatem statuto tempore expectant* dixit, quod Modius mutare non ausus est, qui et h. l. et VIII, 6 *anniversarium sacrificium Libero patri non esse restitutum statuto tempore* contra libros mss. correxit. Equidem constantem mss. lectionem servo nec utor h. l. ea ratione quam Drakenb. ad Liv. X, 37, 2 exposuit; dicam potius, sicut discrimen est in nostro sermone eorum quae sunt ſeſtſtehend et quae feſtgeſtellt, sed ea nonnunquam permutantur, ita etiam in Latino easdem res modo *statas* modo *statutas* dici. Nam quae vere *stata* sunt, eadem cum litteris consignantur *statuta* fiunt.

§. 23. *suo equorumque cultu*] Hiante sono vulgo edunt *suo atque equorum*, nos auctoritatem bonorum librorum sequimur, Snak. trium Bern. A Flor. AB CDI, in uno G vulgata est, in ceteris *suo equorum cultu*. Eandem verborum potestatem, ut *luxuria* sit in deteriorem partem, quod *magnificentia* in bonam, vide VIII, 17 et 32. Fons eius distinctionis est apud Ciceronem or. p. Mur. 36 med. *Odit pupulus Rom. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.*

Cap. 4, §. 24. *non ut plerique*] Sic edd. principes et codicum melior pars, nominatim Bern. A Flor. ABCG Leid. Voss. 1; ceteri libri mss. *verum ut.* Quod nunc vulgo editur *vel ut*, ab Aldo est, male suam opinionem, contemptis Graecorum scriptorum auctoritatibus, Curtio obtrudente. Nam Semiramidem illi maximo censensu urbis conditricem dicunt.

§. 25 *murus instructus*] Inseq. cap. §. 33 *saxo pilae instructae sunt.* Nepos Them. c. 6 *postquam autem audierunt murum instrui, legatos Athenas miserunt qui id fieri vetarent*, ubi lege interpr. Modius quidem nescio qua causa ductus, neque enim dicit, contra librorum auctoritatem vocem *instructus* omisit.

spatium XXX *et d. pedum in latitudinem amplectitur*] Adieci praepositionem *in* de coniectura Freinshemii, abesse enim posse mihi quidem non fit verisimile, nec mirum excidisse eam post litteram *m*. Pro eo est *latitudine* in Flor. DFGI Pal. 1. Numerus scribitur *duorum et triginta* in Flor. C, *triginta duorum* in E, XXXII in DFH.

§. 26. L *cubitorum*] Omnes codd. Flor. aut notam L aut expressis litteris *quinquaginta* exhibent, item Bern. A Leid. Voss. 1, ita ut Bern. B et Voss. 2 auctores relinquantur vulgatae lectionis *C*. Diodorus II, 7 quinquaginta πηχέων altitudinem definit secundum recentiores quosdam (Clitarchum dicit),

altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXV stadia complectitur: singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriae proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed fere spatium iugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt: per LXXX stadia habitatur, nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est, pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrates interfluit, magnaeque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes, in altitudinem pressae ad accipiendum impetum fluminis, quod ubi appositae crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque, qui exciperent. Coctili laterculo structi sunt: totum opus bitumine adstringitur. Pons lapideus, flumini impositus, iungit urbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix sufficiendo operi firmo reperiunt solum; harenae

cum veteres et Herodotus usque ad ducentos auxerint; Strabo lib. XVI *τὰ μεσοπύργια* quinquaginta, turres sexaginta *πηχέων* i. e. cubitorum fuisse tradit. Itaque quod sequitur apud nostrum denis *pedibus* altiores fuisse turres, negligentius positum est debuitque *cubitis*.

CCCLXV *stadia complectitur*] Sic emendavi, cum codd. msti inter hos numeros 368. 468. 363. 372 varient, plerique autem et vulgo editi habeant CCCLXVIII, ipsius Curtii, quae continuo subiicitur, explicationem gravissimam esse ratus. Accedit etiam Clitarchi auctoritas apud Diod. II, 7, quo scriptore Graeco omnis nostri historia nititur. Secundum Strabonem ambitus moenium fuit 385, secundum Herod. I, 178. 480 stadiorum.

iugeri unius] Non dissentit Diodor. l. l. viam *διπλέθρου* inter muros et aedificia relictam tradens. Cf. Schneid. lex. Gr. s. v. *πλέθρον*. Ceterum edidi quod in codd. meis omnibus erat *iugeri* pro vulg. *iugeris*, et omnino verissimum est quod Garaton. ad Cic. in Verr. III, 47 annotavit poëtis relinquendas essebent illius nominis eas formas quae tertiam declinationem sequantur. Nam Genitivum plur. *iugerum* alia ratione explicandum esse patet. Nec verborum ordo in mss. variatur, nisi quod Flor. C habet *iugeri spatium unius*, vulgo autem editi *sp. unius iugeris*.

§. 27. *per* LXXX *stadia*] Vulgo XC, sed ego sequor Bern. A Flor. ABCG Leid. Voss. 1. Sed iidem fere codd. paulo post *habitabatur*, quod non probo quia praesenti tempore etiam in iis quae sequuntur utitur auctor. Est autem *habitatur* in Flor. DGI, *habitant* in Flor. E, *habitantur* in Flor. H Bern. B.

§. 28. *in alt. pressae*] Cic. dixit *depressae* in Verr. V, 27; noster V, 13, 8 *presso in solum alveo*. Et *premere fossam* pro *fodere* e Frontini Strateg. I, 5, 8 notum dicit Gesnerus ad Plin. epist. X, 69, 4.

§. 29. *vix sufficiendo operi firmo reperiunt solum*] Haec est integerrimorum codicum lectio, plures *sufficiendum* sed pauci (e Flor. solus G) *firmum* haec annotavit poëtis relinquendas essebent quod post Aldum reliqui editores

autem subinde cumulatae, et saxis, quis pons sustinetur, annexae, morantur amnem, qui retentus acrius, quam si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu xx sta- 31
dia complexam habent. xxx pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt, ad LXXX summum munimenti fastigium pervenit. Super arcem, vulgatum Graecorum fa- 32
bulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem aequantes, multarumque arborum umbra et proceritate amoeni. Saxo pilae, quae totum onus susti- 33
nent, instructae sunt, super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terrae, quam altam iniiciunt, et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine aequent, in L pedum altitudinem emineant; frugiferae aeque sint, ut si terra sua alerentur. Et cum vetustas 34

de veritate non dubitantes tenuerunt. *Sufficere opus* potest explicari struere in locum egestae arenae, nec necesse est ut addatur adiectivum aliquod ad vocem *solum*, cum adiectus dativus gerundii ellipsin idoneam facile subministret. Modius de coniectura *fulciendo* scripsit.

§. 30. *quis pons sustinetur*] *Quis* pro vulg. *quibus* ex optimis Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 restituendum putavi. Nam frequentissima haec forma pronominis relativi (non interrogativi) apud Curtium, etiam ante me, nec verum est, quod fere docetur, obsoletam aut poëticam esse: pari enim in usu ponitur apud Priscianum p. 960 extr. et praeter Sallustium Tacitumque sane priscae orationis aemulos utitur etiam Livius. Vide Drakenborch. ad XLIV, 43, 6. Quo magis notandum apud Ciceronem non inveniri.

Quod ad structuram pontis pertinet, cf. Diodorum II, 8, qui singulare artificium eius laudat quod pilis praestructae moles sint acutae in fronte frangendorum fluctuum eaedemque pone rotundae sedandorum causa. De his non dicit Curtius, sed quod habet de arenis accumulari solitis non alio pertinet nisi ut ostendat cur imprimis robustae pilae esse debuerint, ut impetum aquae alibi elusum alibi ferocius ingruentem repellant.

Cap. 5, §. 31. *habent*, nimirum Babylonii, estque sic in omnibus libris mstis, nostris certe, et editionibus antiquis. (Snak. Voss. 1 et 2 appellat, Leid. silet.) Modius et alii recentiores *habet*. Sed in eodem colo mss. nostri et Snak. omnes *ambitus* exhibent, ac potest defendi, quamquam non placet.

§. 32. *super arcem*] Veterem errorem sustuli *arcem* ex auctoritate librorum nostrorum omnium restituens. Nam *super arce* nihil aliud significaret nisi quod fere est *de arce*. Vide Ruddim. Tom. II. p. 324 edit. Lips. Atque utimur ea observatione ad VII, 26, 12 *super Bosporo* emendandum. Sed miror pro eo quod est *horti sunt - aequantes - amoeni*, in omnibus fere mss. praeter Flor. EG legi *amoenos*, in Bern. A Flor. AB etiam *aequantis*.

§. 33. *frugiferae aeque sint, ut si*] Vulgo *aeque* omittitur et additur *et* (*et frugiferae*); sed hoc quidem in nullo codice invenitur, illud abest a multis, extat vero in optimis Modianis et Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1. Pro eo quod est *sint* legitur *sunt* in Bern. A a pr. m. Flor. CDEFHI Bern. B, sed feci non recte quod indicativum in textum prioris edit. meae recepi, eaque re continuationem orationis diremi. Unus

non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat: haec moles, quae tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat; quippe xx lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvae montibus suis imminere videantur. Syriae regem, Babylone regnantem, hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore coniugis victum, quae desiderio nemorum silvarumque in campestribus locis virum compulit amoenitatem naturae genere huius operis imitari.

Diutius in hac urbe quam usquam constitit rex: nec alio loco disciplinae militari magis nocuit. Nihil urbis eius corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendasque immodicas cupiditates instructius. Liberos coniugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes, maritique patiuntur. Convivales ludi tota Perside regibus purpuratisque cordi sunt, Babylonii maxime in vinum, et quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Feminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus, dein summa quaeque amicula exuunt, paulatimque pudorem pro-

Flor. G *frugiferaeque sint.* Tum Modius *ac si* emendavit, cuius rei equidem non satis idoneam causam video. Nam quamvis *aeque - ac si* legitimum quasi sit, tamen *idem - ut si* etiam apud Ciceronem invenitur, ex. gr. de off. I, 14 *in eadem sunt iniustitia ut si in suam rem aliena convertant*, vide Drak. ad Liv. XXII, 50, 9, et *aeque - ut* Plinius uterque habet (vide lex. Freund. Tom. I p. 130) et Plautus Asin. v, 1, 11 *Quem videam aeque esse maestum, ut quasi dies ei dicta sit.*

§. 35. *Babylone regnantem*] Deteriores codd. et edd. vett. *Babyloniae.*

Cap. 6, §. 36. *nec alio loco*] Editur *ullus locus*, quod sane non displiceret, si idonea auctoritate librorum niteretur. Verum istud ipsum in nullo msto est: proxime accedit Flor. DFI scriptura *nec locus ullus*, Flor. EH Bern. B Voss. 2 *nec locus*, nihil aliud; sed reliqui et optimi et plurimi *nec alio loco*, unus Flor. G *non alio loco.* Itaque non erat dubitandum quid sequendum esset. Auctor illud ipsius regis significat peccatum esse, quod exercitum tam diu in urbe corruptrice consistere passus sit, vere an secus nihil ad me. Sed corruptelam non nimis magnam fuisse, quae posthac ab exercitu gesta sunt ostendunt, ut in simili re ne Hannibalis quidem militibus multum Capuae voluptates videntur nocuisse.

nihil ad — cupiditates] Sic omnes libri mss. nostri et Snak. (cum edit. Mod.) nisi quod Flor. DFI *alliciendasque* habent et in Flor. E *διττογραφία voluptates cupiditates* est. Vulgo inde a Vindelino Spirensi editur *nec voluptates*, verum non irritantur voluptates, sed irritant. Casu accidit ut in edit. priore nostra *nec* relinqueretur.

§. 37. *convivales*] Edit. pr. Mer. Ald. al. *coniugales*, Iunius et Modius primi *convivales* ex libris quales sunt nostri Bern. A Flor. ABCG.

fanant, ad ultimum (honos auribus habitus sit) ima corporum velamenta proiiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas. Inter haec flagitia exercitus 39
ille domitor Asiae per XXXIV dies saginatus, ad ea quae sequebantur discrimina haud dubie debilior futurus fuit, si hostem habuisset.

Ceterum, quo minus damnum sentiret, identidem incremento renovabatur. Namque Amyntas Andromeni ab 40
Antipatro Macedonum peditum sex milia adduxit, D praeterea eiusdem generis equites: cum his DC Thracas, adiun- 41
ctis peditibus suae gentis III milibus quingentis. Et ex Peloponneso mercenarius miles ad IV milia advenerat, cum CCCLXXX equitibus. Idem Amyntas adduxerat L principum 42
Macedoniae liberos adultos ad custodiam corporis: quippe inter epulas hi sunt regis ministri, iidemque equos ineuntibus proelium admovent, venantesque comitantur, et vigi-

§. 38. *honos auribus habitus sit*] Sic libri mss. nisi quod *onus* Leid. Voss. 1 Flor. A Bern. A (in textu, in marg. *honos*). Sed male Modius recentioribus editoribus persuasit ut breviter vellent scribere *honos auribus sit*, in quo magnopere erravit, quandoquidem pendet *auribus* ab eo quod est *honorem habere*. Nec illa decurtata loquendi ratio usquam invenitur, cum sit apud Senecam Controv. I, 2 p. 95 *Honorem habitum auribus maiestatique velim vestrae, quod necesse est in hac causa nominare lupanar, lenonem* cet. Item Quinct. Declam. 3, 1 princ. *tuis honos sit habitus sanctissimis auribus*. Cf. Brisson. de formulis lib. VIII, 56, quamquam is Senecae locum mendose scripsit. Mox *una corp. velamenta* libri msti omnes, praeter Flor. G Bern. B qui cum editis exemplaribus habent *ima*, quod melius convenit ad *summa amicula* quae praecesserunt. Silet Snak. de Vossianis, ut etiam in his videatur esse *ima* inventum.

matronarum virginumque] *Virginum* ex emendatione Casparis Barthii (Advers. 52, 16) legimus, verissima, ut opinor, et prorsus indubitata, quamvis omnes codd. *virorum* exhibeant. Sed tam alte vetus mendum insederat, ut in iisdem codicibus etiam *quos* sine variante lectione esset.

§. 39. *incremento renovabatur*] Plerique codd. mendose paulo ante *sentirent*, quamobrem editores antiqui, cum illos secuti essent, etiam *novabantur* contra codd. scripserunt. Nam libri quidem msti meliores *renovabatur*, deteriores *novabatur:* illud elegans est, hoc ab usu prosae orationis alienum. Livius tamen XXVI, 19 *magno elatoque animo disseruit, ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque.*

§. 40. *Amyntas Andromeni*] Genitivi hanc antiquam formam Ciceroni imprimis usitatam agnovit I. F. Gronovius in Observatt. et apud Snakenburgium, ego codicum consensum secutus restitui. Sic lib. VII extr. *Arimazi superbiae infensus.* Unus Voss. 2 traditur *Andromonis* habere, nescio quam vere, nam Flor. H Bern. B qui fere cum illo libro consentiunt *Andromoni* exhibent.

§. 41. III *milibus quingentis*] Vulgo *et quingentis*, sed *et* abest a codicibus meis omnibus.

§. 42. *ineuntibus — venantesque*] Non debui hanc praetermittere codicum

liarum vices ante cubiculi fores servant: magnorumque praefectorum et ducum haec incrementa sunt et rudimenta.

Igitur rex arci Babyloniae Agathone praesidere iusso cum DCC Macedonum trecentisque mercede conductis, praetores, qui regioni Babyloniae ac Ciliciae praeessent, Menetem et Apollodorum relinquit. Duo milia iis militum cum mille talentis data: utrique praeceptum, ut in supplementum milites legerent. Mazaeum transfugam satrapea Babyloniae donat, Bagophanem, qui arcem tradiderat, se sequi iussit; Armenia Mithreni Sardium proditori data est. Ex pecunia deinde Babyloniae tradita Macedonum equitibus sexceni

omnium lectionem, quamvis minus apta videatur quoniam praecedat singularis numerus regis. Veruntamen transitus ad pluralem non habet magnopere quo offendat, cum illud institutum puerorum regi ministrantium antiquum fuisse videatur nec a solo aut primo Alexandro usurpatum. Vulgo *ineunti* et *venantemque*.

§. 43. *igitur rex arci Babyloniae*] Vulgo *ig. arci Bab. rex*, sed in ordine verborum constant sibi omnes mss. Pro *Babyloniae* in Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 est *Babilone*, tum pro *praesidere* in Bern. A Flor. AB *praeside esse*, in Bern. B Flor. DEFHI Voss. 2 *praesidem esse*, Flor. C *praesidere esse*, in uno G *praesidere* recte legitur. (Leid. Voss. 1 silentur.)

regioni Babyloniae ac Ciliciae] Sic codices, non vere, fateor quoniam Diodor. XVII, 64 in ceteris cum Curtio consentiens τῆς τε Βαβυλωνίας καὶ τῶν σατραπειῶν μέχοι Κιλικίας habet, sed est hoc ipsius potius scriptoris quam librariorum error. Certe *ac civitati*, quod vulgo ex emendat. Iunii substituunt, aeque ineptum est, nam civitati quidem praeerat satrapa Mazaeus. *Menetem* retinui, quamquam codd. *Manetam* aut *Maneatam* aut Flor. G *Menetam* habent, nam homo a Diodoro vocatur Μέννης. Deinde *Apollodoro* mendose Bern. A Flor. A Voss. 1, *Apollodora* Leid. *Relinquit* denique optimi libri Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1, ceteri et vulgares editiones *reliquit*, quod minus convenit sequenti tempori praesenti.

duo milia iis militum cum mille talentis data] Vulgo *his d. m. peditum data cum mil tal.* Sed *dandi* quidem verbum in omnibus codd. ultimum tenet locum, *peditum* in nullo est nisi in Voss. 2 pessimo libro. Itaque in priore editione reliquis non mutatis dederam *his duo milia militum cum mille talentis dat.* Nunc *duo milia iis militum* scribo, quia praepositum *his* in uno Voss. 1 invenitur, reliqui fere *duo milia* (aut II Ω aut II aut negligentius II, quae omnia eodem redeunt) *similiter*, Bern. A II *similitum*, Flor. A II *is militum* habent, unus Leid. novat II *militum his*. Ex eo apparet *iis* esse restituendum. Accedit novum aliquid. Modius scripsit *duo his millia peditum cum mille talentis data*. De ordine verborum iam non curo, sed *data* perspicue est in Flor. G hoc modo: Ω II Ω *his militum cum* X *talentis data*, et si non esset, tamen putarem cum Modio coniectura revocandum esse, quia quod sequitur *utrique praeceptum* sic apte coit.

§. 44. *satrapea*] etiam h. l. scripsi, sicut infra c. 9 et VII, 5 iam dudum scribitur. Item sic habent edd. primae, donec Iunius *satrapia* dedit Modiusque retinuit. Codd. omnes *satrapae* aut *satrape*.

§. 45. *Babyloniae tradita Macedonum equitibus* cet.] Omnes codd. et *tradita* habent, quod vulgo omittitur, et *Macedonum*, pro quo editur *Macedonibus*. Sed ultima mendosa sunt. Vulgatur *ducenis pedestrium stipendium mensum est*, sed in plerisque omnibus libris mstis *est* omittitur, in nonnullis *mensium* legitur, porro *duceni* est in Flor. AD

denarii tributi: peregrinus eques quingenos accepit, ducenos pedes, ceteri stipendium duum mensum.

7 His ita compositis, in regionem, quae Satrapene vocatur, pervenit. Fertilis terra, copia rerum et omni commeatu abundans. Itaque diutius ibi substitit, ac ne desides otio demitterent animos, iudices dedit, praemiaque proposuit de virtute militari certantibus. Novem, qui fortissimi iudicati essent, singulis militum milibus praefuturi erant, Chiliarchas vocabant, tunc primum in hunc numerum copiis distributis: namque antea quingenariae cohortes fuerant, nec fortitudinis praemia gesserant. Ingens militum turba convenerat, egregio interfutura certamini, testis eadem cuiusque factorum et de iudicibus latura sententiam: quippe verone an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat. Primus omnium virtutis causa donatus est Atharrias

Leid. Voss. 1. His quidem varietatibus nihil efficitur nisi illud, *mensum* olim non fuisse pro participio habitum, sed pro genitivo plur. vocis *mensis*. Nam eum casum aeque *mensium* ac *mensum* fuisse constat, vid. Conr. Schneideri gramm. Lat. p. 244. Iam vero si Diodori verba XVII, 64 conferas, quo illud pertineat clare videbis: *ἐκ δὲ τῶν ληφθέντων χρημάτων τῶν μὲν ἱππέων ἑκάστῳ ἐξ μνᾶς ἐδωρήσατο, τῶν δὲ συμμάχων πέντε, τῶν δ'ἐκ τῆς φάλαγγος Μακεδόνων δύο, τοὺς δὲ ξένους διμήνοις μισθοφοραῖς ἐτίμησε πάντας.* Ex iis Cunzius locum nostrum sic emendandum censuit: *ducenos pedes* (intell. accepit), *mercenarius stipendium mensum* II. Equidem *duum mensum*, cumque vix videretur *mercenarius* ex eo quod est *trium* effici posse, *ceteri* scribere malui, quod sine dubio propius ad litteras accedit.

Cap. 7, §. 1. *quae Satrapene vocatur*] Haec erat sine dubio *Sittacene*, si Diodori testimonio utimur. Etiam Strabo lib. XVI p. 744 *ἡ Σιτακηνὴ πολλή τε καὶ ἀγαθὴ μέση Βαβυλῶνος τέτακται καὶ Σουσίδος, ὥστε τοῖς ἐκ Βαβυλῶνος εἰς Σοῦσα βαδίζουσι διὰ τῆς Σιτακηνῆς ἡ ὁδὸς ἅπασα.* Verum adversus libros in eo nomine constantes corrigere difficile est. Iunius *Atrapene* dedit.

§. 2. *demitterent animos*] Libri mstι et nostri et Snak. omnes *dimitterent*, et sic olim ante Iunium edebatur. Eadem res est apud Cic. in Verr. II, 30, 74, notamusque apud Cic. de Fin. V, 15, 42 codicem Vratisl. non *animosque demittunt* sed *dimittunt* habere. Sed nemo tamen a vulgari omnium editorum regula decedere voluerit. Cf. ad IV, 7, 6.

§. 3. *tunc primum* pro vulg. *tum primum* ex Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABDFGI recepi. Post *quingenariae fuerant* Modius ediderat recte et librorum mss. omnium praeter Bern. B et Voss. 2 consensu. Vulgo *erant*.

§. 5. *Atharrias* verum hominis nomen esse patet ex libro VIII, 4, 36, ubi scribitur quidem simplici littera *r Atharias*, sed in optimis libris geminata. Hoc autem loco *Adarchias* vulgo editur; libri *Adharrias*, *Adarribias*, *Adamas*, *Athareas*, *Adarras*, *Adartas*. Verum idem videtur esse qui VI, 31 in plerisque libris est *Atarras*, in nonnullis *Athareas*, quique VII, 1 *Apharias*, *Affarrias*, *Afarias*, *Afarrias*, *Aphareas*, *Apharrios*, *Adarras* scribitur. Eundem apud Plutarch. de Alex. fort. orat. II, c. 7 invenio, ubi nunc quidem est *ἀλλὰ Ταῤῥίας μὲν*, sed videtur fuisse *ἀλλ' Ἀθαῤῥίας*.

senior, qui omissum apud Halicarnasson a iunioribus proelium unus maxime accenderat: proximus ei Antigenes visus est: tertium locum Philotas Augaeus obtinuit: quartus Amyntae datus: post hos Antigonus, et ab eo Lyncestes Amyntas fuit: septimum locum Theodotus, ultimum obtinuit
6 Hellanicus. In disciplina quoque militaris rei a maioribus [tradita] pleraque summa utilitate mutavit. Nam cum ante equites in suam quisque gentem describerentur seorsus a ceteris, exempto nationum discrimine, praefectis, non utique
7 suarum gentium, sed delectis, attribuit. Tuba, cum castra movere vellet, signum dabat, cuius sonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur: ergo perticam, quae undique conspici posset, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum: observabatur ignis noctu, fumus interdiu.

8 Iamque Susa ei adituro Abulites, regionis eius prae- 8
fectus, sive Darei iussu, ut Alexandrum praeda retineret,

Philotas Augaeus] Vulgatur *Angeus* sed vocalis *u* in omnibus nostris codd. est, quamquam optimi Bern. A Flor. A Leid. habent *Augheus*. Scripsi autem *Augaeus*, quia urbs Macedoniae *Augaea* memoratur a Ptolemaeo, unde hunc originem duxisse verisimile est.

quartus Amyntae datus] Omisi *est*, quod vulgo additur, codices meos secutus. Sed cum octavus locus deficiat. Aldus et alii post eum stellula excidisse aliquid significarunt; Modius supra §. 3 *octo* scripsit. In codicibus nullum lacunae indicium. Ceterum *Theodotus* non est nisi in Flor. CGI, reliqui *Theodetus*, quod nomen alibi non legitur.

§. 6. *a maioribus pleraque summa utilitate mutavit*] Haec est meorum codicum omnium scriptura, quam quidem esse incorruptam non contenderim, sed quod in appendice Aldinae Cyprianus Senilis Anconitanus in aliquot codicibus se scribit invenisse *tradita*, id ego in nullo libro reperi. Videtur tamen hoc ad integritatem loci deesse *a maioribus tradita*. Quod Modius edidit *pleraque a maioribus sumpta utiliter mutavit* et mala verborum collocatione sententiam corrumpit, nec est ex codd. ductum: recentiores tamen coniunctis Aldi et Modii emendandi rationibus *pleraque a maioribus tradita utiliter mutavit* non sane probabiliter edunt.

seorsus a ceteris] Edebatur hucusque vulgo *seorsum*, sed si meliores codices sequendos nobis esse statuamus, apud hunc scriptorem et *versus* et *seorsus* scribendum. Cf. ad VII, 10, 37.

§. 7. *observabatur ignis noctu*] Hoc igitur ipsum illud signum erat, quod milites ad vasa colligenda vocaret. Verbum *observabatur* abesse mavult Freinshemius et uncis inclusit Schmiederus, quod in Fl., Leid. apud Snakenburgium non legi tradatur. At ego in meis omnibus inveni, tantum quod in antiquissimis duobus Flor. item in Bern. A et Voss. duobus *observatur* praesenti tempore est. Nec causam video, cur viris eruditis displicuerit.

Cap. 8, §. 8. *Susa ei adituro*] *Ei* adieci ex Flor. ABG, alii boni libri apud Snak. *et* mendose exhibere traduntur, *Susam adit.* reliqui nostri. Paulo post *sua sponte* integerrimi codices, uti oppositionis causa videtur necessarium, vulgo *sponte* tantum.

sive sua sponte, filium obviam misit, traditurum se urb promittens. Benigne iuvenem excepit rex, et eodem d ad Choaspin amnem pervenit, delicatam, ut fama est, hentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulent occurrit. Dromades cameli inter dona erant velocit eximiae, XII elephanti a Dareo ex India acciti, iam r terror, ut speraverat, Macedonum, sed auxilium, opes v ad victorem transferente fortuna. Ut vero urbem intra incredibilem ex thesauris summam pecuniae egessit, L lia talentum argenti non signati forma, sed rudi ponde Multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant libe posterisque, ut arbitrabantur, quas una hora in externi gis manus intulit. Consedit deinde in regia sella mu excelsiore quam pro habitu corporis. Itaque cum pe

§. 9. *et eodem duce*] Vulgo *eo;* nostrum auctores habet Leid. Voss. 1 Flor. ABCG (e Bernensibus nihil enotatum est.) Tum *ad Choaspin* nunc dedi, cum olim reliquos recentiores secutus *ad Choaspen* scripsissem. Eadem dubitatio fuit apud Dionys. Perieg. vs. 1073 inter formas *Χοάσπης* et *Χόασπις* Optimi enim libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB *adeo haspin* exhibent, C *adeo Aspim*, DFI *ad ydaspim*, E *ad ydaspem*, H *ad hydaspim*, Bern. B *ad idaspim*, Voss. 2 *ad Idaspin*, solus Flor. G *ad Coaspen*. Edd. pr. et Aldina *ad Hydaspin*, Iuniana et Modiana *ad Hydaspen* exhibuerunt, unde proficiscens Glareanus *ad Choaspen* correxit. De *Choaspis* aqua regi Persarum etiam peregre bibi solita constat ex Herod. I, 188. Plinius nat. hist. XXXI, 21 Eulaeum illi adiungit: *Parthorum reges ex Choaspe et Eulaeo tantum bibunt, et eae quamvis in longinqua comitantur eos.* Idem tamen VI, 31 hoc ipsum de uno Eulaeo tradiderat.

§. 10. *Dromades cameli*] Non sunt hi natura a vulgaribus camelis, qui onera portant, diversi, quamquam fortioris et quasi nobilioris stirpis, sed arte usuque ad cursum exercitati. *Hedschin* hodie vocantur in Syria. De quibus nunc ipsum in itinere Taubenheimiano ab Haeklaendero nostrate descripto (Stuttgardiae a. 1842. Tom. II p. 149 sq.) curiosa quaedam cognosco. enim illos crura ingredientes non cussare, qui naturalis est equorum gressus, sed alternatim dextra et s stra explicare (cf. Plinium nat. hist. V 67) simul anterius ac posterius u lateris. Hoc facile illi credo, puto et propter hanc causam dromadas a I doro II, 54 *ἀναχώλους* vocari: sed id dromadas doceri necesse sit fat me non intelligere, quandoquidem gressus ille camelis naturalis est. eximia illorum velocitate veteres et centiores scriptores consentiunt, et c stat ne celerrimos quidem equorum d madum cursum aequare. Ad nostr scriptorem VII, 8 pertinet quod Str lib. XV p. 724 tradit, triginta aut q draginta dierum iter, intellige si q vulgaribus camelis uteretur, dromadi unis iisdemque confectum esse unde diebus. Isidorus in Originibus XII, 36 eos centum et amplius milia passu (20 miliaria Germ.) una die perg solere scribit.

iam non terror, ut speraverat] V gatur *non iam — speraverant*, sed il rum vocabulorum ordinem codic omnium consensu mutavi, in altero c rigendo quod verisimile videbatur c Modio secutus.

§. 13. *cum pedes*] Sic Modius optimi libri; vulgo *pedes cum.*

imum gradum non contingerent, unus ex regiis pueris men-
14 sam subdidit pedibus. Et cum spadonem, qui Darei fuerat, ingemiscentem conspexisset rex, causam maestitiae requisivit. Ille indicat, Dareum vesci in ea solitum, seque sacram eius mensam ad ludibrium recidentem sine lacrimis
15 conspicere non posse. Subiit ergo regem verecundia violandi hospitales deos. Iamque subduci iubebat, cum Philotas: *Minime vero haec feceris, rex, sed omen quoque accipe, mensam, ex qua libavit hostis epulas, tuis pedibus esse subiectam.*

16 Rex, Persidis finem aditurus, Susa urbem Archelao et 9
praesidium III milium tradidit: Xenophilo arcis cura mandata est, Macedonum aetate gravibus praesidere arcis cu-
17 stodiae iussis: thesaurorum Callicrati tutela permissa: satrapea regionis Susianae restituta Abulitae. Matrem quo-
18 que Darei et liberos in eadem urbe deponit. Ac forte Macedonicas vestes, multamque purpuram, dono ex Macedonia sibi missam, cum his, quae confecerant, tradi Sisygambi iubet: omni namque honore eam et filii quoque
19 pietate prosequebatur: admonerique iussit, ut si cordi quoque vestis esset, conficere eam neptes suas assuefaceret, donoque se doceret dare. Ad hanc vocem lacrimae obortae

Cap. 9, §. 16. *Persidis finem aditurus*] Durum est codicibus mss. omnibus refragari, qui singularem numerum tuentur, cum editi *fines* habeant. Neque ille hac significatione videri debet prorsus insolitus; Horatius enim in sermonibus non multum a vulgari sermone abhorrentibus II, 1, 35 *Venusinus arat finem sub utrumque colonus*, et apud Livium frequens est, qui scripsit IX, 6, 10 *ut proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur*, XXXVIII, 15 *quia nulla legatio ad finem praesto fuerat*, quorum locorum ad utrumque complura collegerunt eruditi interpretes.

Susa urbem] Annoto omnes libros meos et edd. vett. ante Modium *Susam urbem* habere.

aetate gravibus — iussis] Sic omnes codd., scriptoris nostri morem dicendi in ea re servantes. Vulgo *graves — iussi*. Iidem postea *regionis Susianae* et *Abulitae* pro vulg. *regionis Susiae — Abuliti*. *Susiana* vocatur regio, non *Susia*, et nomen *Abulites* Curtius sicut patronymica aut talia nomina, quale est *Thersites*, secundum primam declinationem videtur formasse.

§. 18. *cum his, quae confecerant — iubet*] Vulgo *quae eam conf.* et *iussit*, sed *eam* omnes libri nostri ignorant, et eadem constantia tempus praesens pro praeterito tuentur. Sed pro *confecerant* Voss. 2 Flor. CDEFGHI Bern. B *fecerant* (Pal. 1 *quae eam fecerant*), quorum librorum auctoritas ubi opponitur iis quos litteris AB designavimus exigua est.

§. 19. *donoque se doceret dare*] Mirum cur recentiores editores et ipse Modius ab hac vetere lectione auctoritate codicum firmata abierint et prono-

prodidere animum aspernantis id munus; quippe non aliud magis in contumeliam Persarum feminae accipiunt, quam admovere lanae manus. Nuntiant qui dona tulerant, tri- 20
stem esse Sisygambim, dignaque res et excusatione et solatio visa. Ipse ergo pervenit ad eam, et, *Mater*, inquit, *hanc vestem, qua indutus sum, sororum non donum solum, sed etiam opus vides: nostri decepere me mores. Cave, obsecro,* 21
in contumeliam acceperis ignorationem meam. Quae tui moris esse cognovi, ut spero, abunde servata sunt. Scio, apud vos 22
filio in conspectu matris nefas esse considere, nisi cum illa permisit: quotienscunque ad te veni, donec ut considerem annueres, restiti. Procumbens venerari me saepe voluisti: inhibui. Dulcissimae matri Olympiadi nomen debitum tibi reddo.
10 Mitigato animo eius, rex quartis castris pervenit ad III.
Tigrim fluvium: Pasitigrim incolae vocant: oritur in monti-

men omiserint. Intellige: diceretque neptibus suis se (regem) purpuram illis ad texendum donare. Aliter intelligitur vulgata: doceret illas, vestes ab ipsis contextas dono dare, regi nimirum ipsi; sed quoniam sic docendi verbum proprio sensu capiendum esset, ridiculi aliquid in eo praecepto inesset. Sed *quoque* in his verbis *si cordi quoque vestis esset* fateor me offendere. Puto post *cordi* excidisse *ei*.

§. 20. *et excusatione et solatio*] Prius *et* addidi iussu codicum Flor. omnium et utriusque Bernensis. Voss. 1 tradit Snak. habere *re ex excutione*, de Leid. silet.

non donum solum, hoc ordine verborum Bern. A Flor. ABCG, sine dubio etiam alii non pauci quoniam Modius concinit, sed silet Snak. de libris suis. Vulgo *non solum donum*.

§. 21. *cave — acceperis*] Vulgo *accipias* contra libros mss. Nam mei quidem omnes *acceperis* (unus Flor. C *accipe-ris*), cumque Snak. Leid. et Voss. 1 idem exhibere notarit, vix est ut credam in Voss. 2 aliud fuisse. Sed fuerit, revocanda est sine dubio scriptura plurimorum optimorumque librorum. Ab ea nescio an editores primos averterit usus Ciceronianus, apud quem *cave* non coniungitur nisi cum praesente, cum apud Comicos utrumque tempus sine discrimine adiungatur. Nec alibi Curtius perfecto utitur. Sed quoniam h. l. usus est, convenit existimare eum non sine causa usum esse. Atque ea est quod voluit perfectam rem significare, ut idem esset ac nolim te accepisse. Ceterum in uno Flor. G *cave obsecro ne — acceperis* addita coniunctione legitur. Mox *ignorantiam* habent Bern. B Flor. DEFHI Pal. 1, qua re libidinem produnt Curtianae orationis ad posterioris aetatis usum loquendi conformandae. III, 31 extr. *ignorationem nunquam antea visi regis excusans*. Neque utitur alibi Curtius verbo isto nec Cicero nisi duobus locis p. Flacco 20, 46 et Acad. I, 11, 42, cum *ignoratio* contra apud Quintilianum et Tacitum nusquam, *ignorantia* saepe legatur.

§. 22. *filio in conspectu matris nefas esse considere*] Vulgo editur *filium* ad grammaticam non minus recte, sed dativus casus omnium fere librorum nostrorum consensu ita defenditur ut ab eo abire nefas sit. Unus Flor. G *filium*, Flor. E cum Pal. 1 *filios* habent.

Cap. X, §. 1. *ad Tigrim fluvium*] Sic codices et eo nomine vocat etiam Diodorus c. 67. Quod per parenthesin additur *Pasitigrim incolae vocant* cum prioribus non pugnat: Tigris enim commune nomen fluminum rapidiorum in illa regione videtur fuisse, ut hic Tigris

bus Uxiorum, et per L stadia silvestribus ripis praeceps inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo praeterit, iam navium patiens. DC sunt stadia mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. Amne superato, cum IX milibus peditum et Agrianis sagittariisque et Graecorum mercenariorum tribus milibus, additis Thracum mille, in regionem Uxiorum pervenit. Finitima Susis est, et in primam Persidem excurrit, artum inter se et Susianos aditum relinquens. Madates erat regionis praefectus, haud sane temporum homo; quippe ultima pro fide experiri decreverat. Sed periti locorum Alexandrum docent, occultum iter esse per calles et aversum ab urbe: si paucos misisset leviter armatos,

cognomine quodam distinguendus fuerit. Vulgo autem *Tigrim* nomen omittunt. Unus Flor. A *Tigrin*, Bern. A *tygin*, sed in altero nomine ita variant ut solus G *Pasitigrim* exhibeat, Bern. A Flor. AB *fasim tigim*, ceteri *Phasim tygrim*.

per L *stadia*] Diodorus l. l. *mille stadia* fluvium istum per asperam regionem deferri tradit, longe verius: nam quinquaginta stadiorum spatium quid attinuit commemorare? Post paulo numerum vulg. scripturae cum Diodoro consentientem *DC sunt stadia* retinui, quamquam in Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 *CD* legitur, *DCC* in Flor. DF Pal. 1; *DC* in Flor. CEGHI Bern. B est. Sed ordo verborum vulgo est *stadia sunt* contra libros mss.

§. 3. *amne superato*] Additur vulgo in principio nominativus *Alexander*, sed is abest a mstis nostris quidem omnibus et Snak. Leid. Voss. 1; ac saepissime animadvertimus illud omnis historiae subiectum primarium non exprimi. Cf. ad III, 33 in. IV, 7, 5. IV, 34, 9. VI, 6, 18, IX, 3, 17 al. Sed eadem ratione etiam ubi de illo sermo est, Darei nomen intelligitur, vid. V, 24, 5.

sagittariisque et Graecorum mercenariorum tribus milibus, additis Thracum mille] Corrigendum hic erat aliquid ut sententia loci constaret. Editiones pr. et codices msti sic fere exhibent: *Satrianisque Graecorum mercenariis* (Flor. A Leid. Voss. 1 *Mercenario*, Bern. A Flor. B *Mercenarios*, Flor. CG *mercenariorum*) *tribus milibus additis Thracum in regionem* cet. Pro Satrianis qui nulli sunt Loccenii coniectura usus feci *sagittariis*, qui saepe coniuncti cum Agrianis ab historicis nominentur, et coniunctionem *et* adieci; deinde *mercenariorum* recepi, denique in fine addidi numerum millenarium littera M expressum, quae eadem extrema praecedentis vocis littera est. (Modius iam M inseruerat, sed ante *Thracum* collocaverat.) Vulgata autem scriptura cum ab Hadr. Iunio sic constituta esset: *cum novem millibus peditum et Agrianis atque Graecorum mercenariis, tribus millibus additis Thracum* postea in fine corrupta etiam est sic, ut *Graecorum mercenariis millibus* III, *millibus additis Thracum* ederetur.

§. 4. *erat regionis praefectus*] Vulgo *huius regionis* editur, sed pronomen ab omnibus nostris et Snakenburgii Leid. Voss. 1 abest (ut videatur inventum esse in Voss. 2, si fides silentio).

haud sane temporum homo] Editi libri *temporum multorum*, id quod in codicibus non est nisi paucis et corruptelae suspectis, Flor. quidem solo H (in Bern. B verba *temp. homo* exciderunt). Similiter Cicero pro Cluent. 50 *omnes illae orationes causarum et temporum sunt*, i. e. pendent ex temporum condicione.

super capita hostium evasuros. Cum consilium placuisset, 6
iidem itinerum fuerunt duces. M et D mercede conducti
et Agriani fere M Tauroni praefecto dati, ac post solis oc-
casum iter ingredi iussi. Ipse tertia vigilia castris motis 7
circa lucis ortum superat angustias, caesaque materia cra-
tibus et pluteis faciundis, ut qui turres admoverent extra
teli iactum essent, urbem obsidere coepit. Praerupta erant 8
omnia, saxis et cotibus impedita. Multis ergo vulneribus
depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum
loco dimicandum esset, subibant tamen, quia rex inter pri- 9
mos constiterat, interrogans tot urbium victores, an eru-
bescerent haerere in obsidione castelli exigui et ignobilis,
simul admonens * *
Inter haec eminus petebatur; quem testudine obiecta mili-
tes, ubi ut discederet perpellere nequierant, tuebantur.
11 Tandem Tauron super arcem urbis se cum suo agmine 10
ostendit: ad cuius conspectum et hostium animi labare, et
Macedones acrius proelium inire coeperunt. Anceps oppi- 11

§. 7. *superat angustias*] Sic plerique libri Flor. et uterque Bern. Leid. Voss. 1, *superant* Flor. C, *supererat* Flor. I, *superarat* Flor. H, nullus quod vulgo scribitur *superaverat*. Paulo post *faciundis* pro *faciendis* veteri more scribendum duxi ex Bern. AB et Flor. uno C excepto omnibus. Snak. silet de suis. Sic mox c. 17 pr. *progrediundum*. Item *extra teli iactum* omnes libri mei, vulgo *ictum*: cf. ad IV, 11.

§. 9. *simul admonens* *. *Inter haec*] Edidi locum sic ut in Florentino codice antiquissimo legitur, a cuius scriptura ne ceteri quidem nisi paulum discedunt. Unum de meo adieci, vocem *ubi* ante *ut*, quam ratio totius sententiae postulare videbatur. Lacunam aliquot verborum esse facile intelligitur, quam qui non agnoscerent, secando et interpolando locum magis etiam corruperunt. Nam edit. pr. *simul admonens iam inter haec eminus petebatur, cum test. obi. milites ut inde discederet perpellere nequiverant, tuebantur*. Aldina: *simul adm. iam inter haec eminus petebatur, quem test. obi. milites, ut inde discederet, pellere neq. tueb.* Iuniana: *simul admovens iam inter haec em. petebatur, quam test. obi. milites, quem ut inde disc. perpellere nequierant, tuebantur*. Modius denique, cum flagitiose antea *an — non erubescerent*, quasi sic fieri necesse esset, scripsisset, tum fecit: *simul iam inter haec em. petebatur, cum test. obi. milites, quem ut inde cederet propellere nequiverant, tuebantur*. Ex his nunc vulgata composita est: *Simul iam inter haec eminus petebatur; cum test. obi. milites qui ut inde discederet perpellere nequiverant* cet. Verum *admonens* in omnibus codicibus est, *iam* in uno Flor. G. Item *quem* omnes exhibent, *qui* in nullo invenitur. Pro *discederet* Flor. G *inde cederet* habet, reliqui *decederet* aut *descenderet*, Bern. A a pr. m. *ut diceret;* sed *discederet* tamen satis se tuetur. *Perpellere* de coniectura scribitur, codd. enim *pellere*, quod nec huius loci est nec particulam *ut* regere potest. *Nequiverant* in uno Flor. B est, ceteri *nequierant*.

Cap. XI, §. 10. *et hostium animi* hoc ordine omnes mei et Snak. Leid. Voss. 1, vulgo *et animi hostium* minus recte.

danos malum urgebat, nec sisti vis hostium poterat. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit, magna pars in arcem concessit. Inde xxx oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum a rege redditur, non esse veniae locum. Itaque suppliciorum quoque metu perculsi ad Sisygambim, Darei matrem, occulto itinere ignotoque hostibus mittunt qui peterent, ut ipsa regem mitigaret, haud ignari, parentis eam loco diligi colique. Et Madates sororis eius filiam secum matrimonio iunxerat, Dareum propinqua cognatione contingens. Diu Sisygambis supplicum precibus repugnavit, abnuens, deprecationem pro illis non convenire fortunae, in qua esset: adiicitque, metuere sese, ne victoris indulgentiam fatigaret, saepiusque cogitare, captivam esse se, quam reginam fuisse. Ad ultimum victa litteris Alexandrum ita deprecata est: ut ipsam excusaret, quod deprecaretur: petere se, ut illis quoque; si minus, sibi ignosceret: pro necessario ac propinquo suo, iam non hoste, sed supplice, tantum vitam precari. Moderationem clementiamque regis, quae tunc fuit, vel una haec res possit ostendere: non Madati modo ignovit, sed omnes et deditos et captivos libertate atque immunitate donavit, urbem reliquit intactam, agros sine tributo colere permisit. A victore Dareo plura mater non impetrasset.

§. 12. *suppliciorum quoque metu* i. e. non simplicis mortis tantum. *Quoque* ex optimis libris Leid. Voss. 1 Flor. A BCGH adieci. Bern. B *quorum*. Videtur, quod h. l. excidit, in deterioribus codicibus additum esse aliquanto post: *ut ipsa quoque regem* (Flor. I) aut *ut ipsa regem quoque* (Flor. DF Pal. 1).

sororis eius filiam] Necesse fuit *eius* ex integrioribus libris addere, nam si abesset, vix aliter nisi de ipsius sorore posset intelligi.

§. 13. *non convenire fortunae*] Negandi particulam libri omnes et msti et olim editi exhibent, donec Modius eam sustulit. Hunc secuti sunt recentiores editores, convicio illius, opinor, deterriti, quod elephantino corio tectos appellavit, si qui aliter sentirent. Sed facere non possum quin restituam quod a linguae Latinae ratione mihi quidem non prorsus videtur abhorrere, cum in Graeca frequentissimum sit. Addita certe negatione sine dubio dicemus: non abnuo quin conveniat pro eo quod est non abnuo convenire. Tum etiam *adiicitque* nunc scripsi. quia sic vel potius *adicitque* est in Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1 pro eo quod in editis libris est *adiecitque*, et ex iisdem libris nostris et edit. Mod. *saepiusque* addita coniunctione dedi.

§. 15. *libertate atque immunitate*] Additur in optimis ac plerisque libris mss. *et* ante *libertate*, iidem tamen omnes *atque* servant. Omnino frequentia illius particulae repetitae librarii h. l. in errorem inducti videntur, ut repeterent etiam ubi non opus esset.

12 Uxiorum dein gentem subactam Susianorum satrapae contribuit: divisisque cum Parmenione copiis, illum campestri itinere procedere iubet; ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione vastata, tertio die Persidem, quinto angustias, quas illi Susidas pylas vocant, intrat. Ariobarzanes has cum xxv milibus peditum occupaverat rupes, abscisas et undique praeruptas, in quarum cacuminibus extra teli iactum barbari stabant, de industria quieti et paventibus similes, donec in artissimas fauces penetraret agmen. Quod ubi contemptu sui pergere vident, tum vero ingentis magnitudinis saxa per montium prona devolvunt, quae incussa saepius subiacentibus petris maiore vi incidebant, nec singulos modo, sed agmina proterebant. Fundis quoque excussi lapides et sagittae undique ingerebantur. Nec id miserrimum fortibus viris erat, sed quod inulti quidem ferarum ritu velut in fovea deprehensi caederentur. Ira igitur in rabiem versa, eminentia saxa com-

Cap. 12, §. 16. *Uxiorum dein gentem*] *Dein* pro vulg. *deinde* dedi ex Bern. A Flor. AG Leid. Voss. 1, tum *Susianorum satrapae*, quod olim edebatur rectius, si codices sequendos tibi putes, quam quod Iunius primus scripsit et recentiores retinuerunt *satrapiae*.

§. 17. *Susidas pylas*] Diodor. XVII, 68 Σουσιάδας πέτρας, Arrian. III, 18 πύλας Περσίδας vocat. Possunt Graece etiam Σουσίδες esse. Earum, quae hodie Kotuli Socrib vocantur, situm ac naturam Anglus non indoctus Kinneir in explicatione chartae geographicae a. 1813 editae p. 73 ita describit, ut aliquid ad explicationem nostri scriptoris conferat, quapropter vide quae excerpsimus nos in commentatione ad comparationem antiquae et hodiernae geographiae pertinente, quae inserta est in Zeitschrift für die Kunst, Wissenschaft und Geschichte des Kriegs, Vol. IV, fasc. 4 Berol. 1825.

abscisas et undique praeruptas] Nostri codd. omnes sicut edidimus *abscisas*, praeter GH Bern. B, quorum vana auctoritas abunde compensatur Leidensi et Voss. 1. Cf. supra ad III, 20. Ceterum *et* deest in Bern. A Flor. BC Leid.; in Flor. A etiam ordo verborum mutatur sic: *abscisas rupes undique*.

§. 18. *incussa — incidebant*] Mendose Bern. A Leid. Voss. 1 *incussae*, item mendose omnes nostri cum Leid. Voss. 1 *incedebant*, Flor EF adeo *incendebant*, nec puto unum Voss. 2 quem silet Snak. servare quod verum est *incidebant*. Haec est enim Hadr. Iunii emendatio.

§. 19. *undique ingerebantur*] Sic nostri codd. omnes et Leid. Voss. 1. Vulgo *inger. undique*. Paulo post *quod* iteratur in codicibus et nostris et Snak. optimis: *sed quod inulti quod*, mendose sine dubio, sed viam monstrat emendatae lectionis, quae est in Flor. DEFGI *inulti quidem*. Eadem in editionibus antiquis est Merulae et Aldi et Iunii, donec Modius imperite verbum expunxit. Nam eo quasi accentus quidam additur mentique ea res affigitur. Sic VIII, 24 *quota pars Macedonum saevitiae tuae superest? quotus quidem non e vilissimo sanguine?*

plexi, ut ad hostem pervenirent, alius alium levantes co-nabantur ascendere. Ea ipsa, multorum simul manibus correpta et convulsa, in eos, qui commoverant, recidebant. Nec stare ergo poterant, nec niti, ne testudine quidem protegi, cum tantae molis onera propellerent barbari. Regem non dolor modo, sed etiam pudor temere in illas angustias eiecti exercitus angebat. Invictus ante eam diem fuerat, nihil frustra ausus: impune Ciliciae fauces intraverat, mare quoque novum in Pamphyliam iter aperuerat:

§. 20. *ut ad hostem pervenirent*] Sic dudum erat corrigendum, ni religio librorum veterum obstaret. En tibi vero omnes mei et Snak. codices (cum Mod. edit.) emendatae scripturae auctores, ut mirari subeat unde in editiones istud vitium *perveniant* irrepserit.

correpta et convulsa] Recte sic vulgo editi. Sed nescio quid sit quod in Bern. A Leid. Voss. 1, omissis prioribus duobus vocabulis, *convulsa* tantum legitur. Item sic habet Mod. editio. Sed in Flor. AB integra sunt *correpta et convulsa*, in Flor. CHI Bern. B *et convulsa*, in reliquis *convulsa*.

§. 21. *nec stare ergo poterant*] Hoc loco verbum ponunt codices nostri omnes, quod in editis exemplaribus praeter Mod. ultimum locum (post *protegi*) obtinet. Snak. Leid. et Voss. 1 commemorat, quos tradit habere *nec stare poterant* i. e. omisso vocabulo *ergo*, quod item deest in Flor. CDFI. Miror illos bonos libros a secta sua discedere, miror etiam Voss. 2 non commemorari, quamquam eum in collocatione verborum cum reliquis facere puto. Mox e Bern. A et Flor. A longe integerrimo *ne — quidem* restitui pro vulg. *nec — quidem*, neque enim coniunctione in gradatione opus est; cf. ad III, 28.

in illas angustias eiecti exercitus] Est haec veterum editionum et optimorum codicum (Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG) lectio, quam Modius primus deserens *coniecti* edidit. Eum secuti sunt editores recentiores, non sine causa, fateor, nam *eiicere in angustias* habet aliquid quod offendat, quoniam non exeundi causa sed progrediendi longius rex angustias intravit. Atque senserunt hoc antiqui codicum correctores et scripserunt *ducti exercitus* (Bern. B Flor. DEFHI), sive ut in Pal. 1 codice interpolato legebatur *conducti;* sed *conlecti*, quod Modius in libris se invenisse scribit, in nullo eorum quos accuratius novimus extat. Neque illud quod offendere dixi in vulgata olim lectione tantum est, ut ad eam condemnandam valeat; inest enim in eiiciendi verbo simul contemptus quaedam significatio ad hunc locum aptissima.

§. 22. *ante eam diem*] Dederat Freinsh. ex Pal. 1 *ad eam diem*, eamque scripturam, cum errorum amovendorum copia oculos confudisset, in priore edit. servavi, non recte faciens, quia, cum *ad* legatur illud quidem in Flor. DEFHI Bern. B, in reliquis tamen maioris auctoritatis libris nostris et Leid. Voss. 1 itemque in editionibus vetustioribus est *ante*.

mare quoque novum in Pamph. iter aperuerat] Praestantissimam hanc lectionem codicum Bern. utriusque Flor. ABCEGH et Snakenburgii trium recipere quis dubitet, cum regis in ea re minores partes fuerint quam fortunae et numinis divini? Vide de radicibus montis Climacis Phaselim inter et Pergam feliciter superatis Arrian. I, 26. Adhuc edebatur *mari*, ordine etiam verborum paulum immutato. (Sed est hercule ut addam *mare* me nominativum casum accipere, ne quis contra me, uti factum est, argumentetur consuetudinem sequendam esse et ablativo casu non *mare*, sed *mari* esse scribendum. Nec enim Alexander illam viam per maris litus straverat, sed ipsum mare opportune recedens itineris facultatem dederat. Cf. Plutarch. in vita regis c. 17, et Curtium unum de multis rerum scriptoribus cogita qui illic reprehenduntur.)

tunc haesitabat deprehensa felicitas, nec aliud remedium erat, quam reverti qua venerat. Itaque signo receptui 2
dato, densatis ordinibus, scutisque super capita consertis, retro evadere ex angustiis iubet. xxx fuere stadia, quae remensi sunt.

13 Tum castris undique aperto loco positis, non consul- IV.
tare modo quid agendum esset, sed vates quoque adhibere coepit a superstitione animi. Sed quid tum praedicere 2
Aristander, cui plurimum credebat ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempestivis sacrificiis, peritos locorum convocari iubet. Per Mediam iter ostendebant tutum apertumque: sed rex deserere milites insepultos erubescebat, 3
ita tradito more, ut vix ullum militiae tam sollemne esset munus, quam humandi suos. Captivos ergo, quos nuper 4
exceperat, vocari iubet: inter quos erat quidam Graecae Persicaeque linguae peritus, qui frustra eum in Persidem montium dorso exercitum ducere affirmat: silvestres esse calles, vix singulis pervios; omnia contegi frondibus, implexosque arborum ramos silvas committere.

Namque Persis ab altero latere perpetuis montium 5
iugis clauditur, quod in longitudinem MDC, in latitudinem

§. 23. *densatis ordinibus*] Sic nostri et Snak. mss. ad unum omnes, non *agminibus*, ut in editis exemplaribus praeter Modianum circumfertur.

Cap. 13, §. 2. *cui plurimum credebat*] Vulgo *cui tum plur. credebatur*, sed *credebat* msti et Snakenburgii et nostri praeter Flor. G omnes, *tum* a libris quidem satis tutum est, sed sensu cassum. Neque enim illo potissimum tempore Aristandro fidem rex habebat, sed per totum expeditionis spatium. Certe supra lib. IV, 24 in simili re non addita certi cuiusdam temporis significatio, nec infra lib. VII, 30. Itaque delevi particulam unius libri Leidensis, sed optimi, auctoritate e priore versu huc retractam ratus, nam et antea *tum*, non *tunc*, ut est in editis, scribendum fuit propter codd. consensum. Quin etiam *tunc* scribi potuerit non dubito, sed auctor videtur voluisse non tam illo tempore, quam rebus ita comparatis, non damals, sed nunmehr.

per Mediam iter] Edd. vett. *medium iter* (sine praepos.) ex codd. quales est Flor. E, cum in reliquis codd. omnibus legatur *per medium iter*. Hoc animadverso Bongarsius *per Mediam iter* coniecit Freinshemiusque in textum recepit, recte sine dubio, nam ea fuit illa circuitio multorum dierum, quam Diodorus XVII, 68 significat.

§. 3. *deserere milites insepultos*] Vulgatur *dimittere* inepte. *Deserere* est in Bern. A Flor. ABCG Leid. Voss. 1. Sed mox *ita* non est nisi in Flor. F et a m. secunda in G (fortasse etiam in Voss. 1 quippe qui non commemoretur); in reliquis omnibus *itaque* legitur, ex nota male intellecta, opinor.

§. 5. *quod in long. MDC, in latitudinem CLXX stadia procurrit*] *Latus* videtur subintelligendum esse ad pron.

CLXX stadia procurrit. Hoc dorsum a Caucaso monte ad rubrum mare pertinet; quaque defecit mons, aliud muninentum, fretum, obiectum est. Planities deinde sub radicibus montium spatiosa procumbit, fertilis terra, multisque vicis atque urbibus frequens. Araxes amnis per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum: Medus ad mare ad meridiem versus, minor amnis eo quem accepit, evehitur, gignendaeque herbae non alius est aptior, quicquid alluit floribus vestiens. Platani quoque et populi contegunt ripas, ita ut procul visentibus continuata videantur montibus nemora riparum. Quippe obumbratus amnis presso in solum alveo dilabitur, imminentque colles, ipsi quoque frondibus laeti, radices eorum humore subeunte. Regio non alia tota Asia salubrior habetur: temperat coelum hinc perpetuum iugum opacum et umbrosum, quod aestus levat, illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fovet.

quod, sed ita ut simul etiam montium iuga quibus efficitur significentur. Ceterum *stadia* eo loco posui, quo verbum legitur in codicibus omnibus, cum antea post priorem numerum collocaretur. Pro eo quod est *procurrit*, in Flor. C DEFHI Bern. B legitur *percurrit*. Pro *latitudinem* in Flor. A Voss. 1 est *altitudinem*, corrupte. *Latitudinem* intelligit quam superare debent qui ab occidente orientem versus tendunt, nam montes illos ad rubrum mare, h. e. ad sinum Persicum, meridiem versus pertinere dicit. Interioris Persidis montes alium tractum habere a geographis docemur.

quaque defecit mons] Vulgo *deficit* editur, sed nos nunc *defecit* restituimus ex edit. Mod. et codd. Bern. A Flor. AB Leid.

§. 7. *Medus ad mare ad meridiem versus — evehitur*] Sic est in Leid. Voss. 1 Flor. AB Bern. A; in reliquis et edd. vett. item *ad mare* quidem, sed tum fere *et ad mer. reversus* (Flor. D EHI Bern. B) aut *et merid. reversus* (Flor. F Pal. 1 Voss. 2 edit. pr.) aut *cum ad merid. reversus* (Flor. C) aut *et ad mer. versus* (Flor. G edit. Ald.). Modius in suis se invenisse tradit, quod in nostris Flor. DH est, *a mare*, atque cum mendose scriptum existimare deberet (*a* pro *ad*) in textum recepit. Hinc levi correctione adhibita Raderiano ingenio prodiit vulg. *a mari* et *ad mer. versus* omni sensu destituta. Ceterum de his amnibus eorumque in mare decursu, si verus est, cf. Ritteri Geogr. prioris edit. tom. II p. 102 sq. Hodie quidem orientem versus in lacum salsum exeunt, cf. eiusdem operis novam editionem tom. VIII p. 766. 866.

§. 8. *alveo dilabitur*] Coniectura haec esse principis editionis videtur, nam libri msti omnes *amne dilabitur*, sed bona et ad sententiam apta. Sed nulla causa est cur verborum collocatio, quae in mss. est, recepta illa scriptura mutetur legaturque *dilab. alveo.*

§. 9. *temperat coelum*] Parui codicibus optimis Bern. A Flor. AB et Leid. Voss. 1 (typographorum errorem ratus quod in edit. Snak. ex iis notatur *tempera coelum*). Vulgo paulo quidem abruptius, etsi non minus recte, *temperatum coelum*, sed interpunctione mutata hanc nostram scripturam elegantia praestare facile sentias. (Modius: *Regio non alia tota Asia salubrior temperat coelum: hinc perpetuum* cet.)

14 His captivus expositis interrogatus a rege, auditune 10
an oculis comperta haberet quae diceret, pastorem se fuisse, et omnes eas calles percurrisse, respondit: bis captum, semel a Persis in Lycia, iterum ab ipso. Subiit animum re- 11
gis memoria oraculo editae sortis: quippe consulenti responsum erat, ducem in Persidem ferentis viae Lycium civem fore. Igitur promissis, quanta et praesens necessitas 12
exigebat, et ipsius fortuna capiebat, oneratum, armari iubet Macedonum more, et, quod bene verteret, monstrare iter: quamvis arduum et praeceps, evasurum se esse cum paucis, nisi forte crederet, qua ipse pecoris causa isset, Alexandrum pro gloria et perpetua laude ire non posse. Etiam 13
atque etiam docere captivus, quam difficile iter esset, maxime armatis. Tum rex, *Praedem*, inquit, *me accipe, neminem eorum, qui sequuntur, recusaturum ire qua duces.* Cra- 14
tero igitur, ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quis assueverat, et iis copiis, quas Meleager ducebat, et sagittariis equitibus M, praecipit, ut castrorum specie manente, plures de industria ignes fieri imperet, quo magis

Cap. 14, §. 10. *his captivus expositis*] Hoc quasi legitimo ordine verba codices nostri omnes et alii olim collati. Vulgatum *his expositis captivus* induxerat Iunius.

et omnes eas calles] Hoc quoque loco integerrimi libri Bern. A Flor. A Leid. alii praeterea olim collati femininum genus voci vindicant: vulgo *eos*. Cf. ad libr. III, c. 25. *Et* omittitur in Flor. DFI, *et eos omnes* habet Flor. G.

§. 11. *subiit animum regis memoria*] Facere non potui quin pro impedita verborum structura, quae in vulgo editis est *subit animum memoria regis*, reciperem hanc legitimam ex codicibus Flor. DEFHI Bern. B et edit. Mod., quamquam in hac et Flor. F *subit* legitur. Quod in edit. Basileensi a. 1556 est *subit regis animum memoris* nullo libro ms. firmatur. Mox *promissis — oneratum*, quod et ratione verum est et usui loquendi Curtiano conveniens (vid. V, 34. VII, 18), nemo mutaverit scriptura quamvis bonorum codicum Leid. Voss. Bern. A Flor. AB aliorumque complurium *promissis — honoratum*. Mendum est et vulgare quidem.

§. 12. *monstrare iter* Freinshemii coniecturam secutus dedi, nam *monstraret*, quod legitur in libris et mss. et editis, in hanc constructionem non coit. Mox pro vulg. *quo* dedi *qua* ex Leid. Bern. A Flor. G, a qua scriptura non multum abit Flor. A *quia* et Flor. B *quam*. Agitur utique de itineris ratione, non de loco quo perveniendum erat.

§. 13. *praedem, inquit, me accipe* omnes libri mei et Leid. Voss. 1, vulgo *praedem me inquit* alio verborum ordine.

§. 14. *praecipit ut — imperet, quo magis — credant*] Ita concinit temporum ratio, quae antea perturbata erat: *praecepit — imperet — crederent*. Et *credant* quidem omnium librorum consensu edidi, *praecipit* autem invitis libris mss. ex uno Flor. E et editionibus antiquis scribendum fuit, veruntamen unius literae permutatio facilior videtur esse quam syllaba aut dempta aut adiecta. (Modius enim *praecepit — imperaret — crederet* dedit.)

barbari credant, ipsum regem in castris esse. Ceterum, si forte Ariobarzanes cognovisset, per callium anfractus intrare, et ad occupandum iter suum partem copiarum temptasset opponere, Craterus eum illato terrore retineret, ad propius periculum conversurum agmen: sin autem ipse hostem fefellisset, et saltum occupasset, cum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset, [persequentium regem,] id ipsum iter, quo pridie pulsi fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore, hostibus in semet aversis.

Ipse tertia vigilia silenti agmine, ac ne tuba quidem dato signo, pergit ad demonstratum iter callium. Tridui alimenta portare militem iusserat leviter armatum. Sed praeter invias rupes ac praerupta saxa, vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento ingredientes fatigabat: quippe velut in foveas delati hauriebantur, et cum a commilitonibus allevarentur, trahebant magis adiuvantes, quam sequebantur. Nox quoque, et ignota regio, ac dux incertum an satis fidus, multiplicabant metum: si custodes fefellisset,

§. 15. *per callium anfractus intrare*, scil. *se*, quod cum ambiguum esset omisit potius auctor. Edd. praeter Mod. *eum*, quod in nullo msto est.

Craterus eum — retineret — conversurum] Vulgo *in eum illato terrore retineret — conversum agmen*, non plane inepte, ut ait Modius, sed paulo impeditiore structura et contra libros mss., a quibus omnibus *in* ante *eum* abest. Sed apparet id a primis editoribus additum esse ut constructio absolveretur. Verum melius subsidium est, si quod est *conversum* emendatur ut sit *conversurum* secundum Leid. Voss. 1 Flor. A CG: tum duo cola fiunt *Craterus eum retineret* et *qui agmen conversurus esset.*

§. 16. *persequentium regem* plerique interpretes additamentum librariorum non sane verborum potestatis gnarorum iure existimant, neque enim de persecutione, sed vel de defensione, vel de fuga barbarorum cogitabatur. Libri tamen omnes sibi constant, nisi quod in Sigebergensi Modius *persequi regem* invenisse sese tradit. Sequor ciusdem Modii, Freinshemii, Cellarii iudicium uncis illa verba circumscribens.

Cap. 15, §. 18. *allevarentur* omnes libri nostri cum Leid. Voss. 1, estque hoc sustinendi erigendique sensu longe frequentius quam vulg. *levarentur*.

§. 19. *incertum an satis fidus*] *Incertus* Flor. CDEFHI Bern. B Pal. 1 Voss. 2 (totum gregem corruptorum librorum vides) cum edd. vett. usque ad Iunianam, in qua primum legitur *incertum*. Vide Drak. ad Liv. VIII, 17, 10 huius loci non immemorem. Iidem libri mss. (certe nostri de quibus testari possumus, nam Snak. silet) *multiplicabat*, cum in editis iam olim fuisset numerus pluralis.

si custodes fefellisset] Libri mss. et edd. vett. *fefellissent*. Quapropter Modius *nisi fefellissent* i. e. nisi laterent coniecit ac tumultuatur quod operae non paruerint. Nihil tamen apertius quam emendandum esse *fefellisset*, quippe cum de uno duce sermo sit, qui si aufugisset periculum erat ne totus exercitus periret in solitudine. Recte igitur Freinshemius Sebisii coniecturam recepit. Mox recte dicunt in unius illius ducis vel fide vel *anima* niti salutem suam. Sic Modius primus, antea ede-

quasi feras bestias ipsos posse deprehendi. Ex unius captivi vel fide vel anima pendere et regis salutem et suam Tandem venere in iugum. A dextra iter ad ipsum Ariobarzanen erat: hic Philotam et Coenon cum Amynta e Polyperconte, expeditam habentes manum, relinquit, monitos, ut quia eques pediti erat mixtus, qua pinguissimum esset solum et pabuli fertile, sensim procederent: duces erant itineris de captivis dati. Ipse cum armigeris et ala quam Agema appellabant, ardua semita, sed longius a stationibus hostium remota, multa cum vexatione processit Medius erat dies, et fatigatis necessaria quies: quippe tantundem itineris supererat, quantum emensi erant, sed minus praecipitis atque ardui. Itaque refectis cibo somnoque militibus, secunda vigilia surgit. Et cetera quidem haud aegre praeterit; ceterum, qua se montium iugum paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concursu cavata torrentium iter ruperat. Ad hoc arborum rami alius alio implicati et cohaerentes ut perpetuam obiecerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo ut vix lacrimis abstinerent, incesserat. Praecipue obscuritas terrori erat: nam etiamsi

batur *animo*, quod falsum quia non differt a fide, cum *anima* sit vita. Quod cum manifestum sit, miror in utroque Bern. et mss. olim collatis omnibus *animo* inventum esse, ex Flor. autem praeter CI enotari *anima*.

§. 20. *a dextra*] Sic Bern. A et libri Flor. praeter unum H. Vulgo *dextera*. Tum *Ariobarzanen* dedi (non *em* ut est in editis praeter Snak.) Bern. A Flor. ADI secutus; credo etiam Leid. Voss. 1 sic habere, quoniam Snak. silet. Deinde *relinquit* ex optimis plurimisque pro vulg. *reliquit*, quae non est de nostris nisi in Flor. DEI Bern. B. *Praemisit* quod legitur in Mer. Ald. Iun. in nullo codice inventum est.

quia eques pediti erat mixtus, qua] Sic Modius cum reliquis dederunt, recte, sed uno tantum libro Flor. C concinente. Nam integerrimi alias codd. Bern. A Flor. AB cum Leid. Voss. 1 *et* adiiciunt ante *eques*, et omnes nostri praeter Flor. C cum edd. vett. pro *qua* habent *et quam*, Flor. G et Bern. B praetera *erat* pro *esset*. Snak. ex Leid. *et quam*, ex Voss. 2 *quam* affert. Apparet igitur quod nunc editur edi de coniectura, nisi quis Florentinum C fide censeat praestare reliquis; sed coniectura bona est. Tum *duces erant itineris* restitui, quorum verborum medium Acidalii coniectura inutili Freinshemius sustulerat; et *appellabant* (sicut IV, 50, 26) scripsi pro vulg. *appellant* librorum mss. et edit. Modianae consensu.

§. 23. *haud aegre praeterit*] Editi *praeteriit*. Item post *montium iugum*, hoc ordine, omnes msti.

§. 24. *ad hoc*] Sic libri nostri omnes et Leid. Voss. 1 quos Snak. commemorat; editi *ad haec*. Paulo post *cohaerentes* pro vulg. *coëuntes* ad unum omnes libri mss. nostri et Snakenburgii cum edit. Modiana. *Ut perpetuam* dictum pro *quasi perpetuam*. Cic. de rep. I, 12 *ut militiae — Africanum ut deum coleret Laelius*. Unus Bern. B omittit *ut*.

qua sidera internitebant, continenti fronde tectae arbores conspicere prohibebant. Ne aurium quidem usus supererat, silvas quatiente vento, qui concurrentibus ramis maiorem quam pro flatu sonum edebat. Tandem expectata lux omnia, quae terribiliora nox fecerat, minuit: circumiri brevi spatio poterat eluvies, et sibi quisque dux itineris coeperat fieri.

Evadunt ergo in editum verticem: ex quo hostium 16
statione conspecta, strenue armati, a tergo se ostendunt nihil tale metuentibus; quorum pauci, qui congredi ausi erant, caesi sunt. Itaque hinc morientium gemitus, hinc ad suos recurrentium miserabilis facies, integros quoque, antequam discrimen experirentur, in fugam avertit. Fremitu deinde in castra, quis Craterus praesidebat, illato, ad occupandas angustias, in quibus pridie haeserant, miles educitur. Simul et Philotas cum Polyperconte Amyntaque et Coeno diversum iter ingredi iussus, alium terrorem intulit barbaris. Undique ergo Macedonum armis fulgentibus,

§. 25. *qui concurrentibus ramis — edebat*] Secutus sum codices meos concinentes, nisi quod leve vitium eorum correxi *edebant*. Edebatur initio *quae concucientibus — edebat*, tum ab Aldo *qui concutientibus — edebat*, ab Iunio *qui concutientibus — reddebat*, a Modio *quae concurrentibus — edebant*, denique vulgo nunc circumfertur *quae concutientibus — reddebant*, silvae nimirum. Sed omnia elegantiora fiunt, si ventum id fecisse statueris. Quid quod etiam argutantur, ut ramos *concutientes* tueantur, qui non sunt nisi in Voss. 2 pessimo libro.

Cap. 16, §. 28. *antequam discr. experirentur*] *Antequam* msti, editi *antea quam*.

§. 29. *quis Craterus praesidebat*] *Praesidere* eodem sensu quo *praeesse* et reliqui scriptores et Curtius non raro dicunt, ut V, 6 *arci praesidere* IV, 46 *itineri praesidebat*. Cicero pr. Sulla 31 *deos patrios* appellat, *qui huic urbi* atque *huic imperio praesidetis*. Tacitus praeter dativum adiungit etiam accusativum, Ann. III, 39 *proximum exercitum praesidebat*. Itaque nulla causa est, cur codicum nostrorum quidem omnium et Leid. Voss. 1 probatissimae scripturae levissima correctio praeferatur, quae est in editis praeter Modianum libris *quis Crat. praeerat*. Item paulo post male vulgo circumfertur *haesitarat*, pro eo quod in plerisque codd. est *haeserant*, in paucis (Flor. EGH Bern. B) *haeserat*, in uno Voss. 2 *haesitarant*. Pluralis certe numerus neminem debebat offendere, cum miles sensu collectivo dicatur nec tamen directo cum verbo *haeserant* coniungatur.

§. 30. *iussus — intulit*] Aliquot libri ex deteriorum numero, nostri quidem Flor. DEFHI et Bern. B, *iussis* habent. Vitium est vulgare. Quodsi *iussi — intulerunt* esset, defendi posset, nam Curtius, ubi subiectum addita praepositione *cum* multiplicatur, utroque numero utitur, sicut pluralis est infra cap. 29 ubi vide notam, singularis autem III, 35, 14 et V, 34, 18. Cf. gramm. Lat. nostram §. 375.

§. 31. *undique ergo*] Sic Mod. editio et Flor. omnes et Bern. B cum Voss.

ancipiti malo oppressi, memorabile tamen proelium edunt Ut opinor, ignaviam quoque necessitas acuit, et saepe de speratio spei causa est. Nudi complectebantur armatos, e ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipso rum telis plerosque fodiebant. Ariobarzanes tamen, XI ferme equitibus et quinque milibus peditum stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo suorum atque hostium sanguine erupit, Persepolim urbem, caput regionis, occupare festinans. Sed a custodibus urbis exclusus, consecutis strenue hostibus, cum omnibus fugae comitibus renovato proelio cecidit. Craterus quoque, raptim agmine acto, supervenit.

17 Rex eodem loco, quo hostium copias fuderat, castra communit. Quamquam enim undique fugati hostes victoriam concesserant, tamen praealtae praecipitesque fossae, pluribus locis obiectae, abruperant iter, sensimque et caute progrediundum erat, iam non hostium, sed locorum fraude suspecta. Procedenti ei litterae redduntur a Tiridate, custode pecuniae regiae, indicantes, eos, qui in urbe essent, audito eius adventu, diripere velle thesauros dimissos:

utroque apud Snakenburgium. Vulgatum *ergo undique* in Bern. A et Leid. inventum est, si fides silentibus.

§. 33. *XL ferme equitibus*] *X ferme equit.* Bern. B Flor. DEFHI Pal. 1, quod volebant intelligi *decem milibus*, ut etiam in Flor. G *XL* cum nota numeri millenarii exaratur. Frustra, nam Ariobarzani initio pugnae fuisse Diodorus tradit trecentos, Arrianus septingentos equites universos.

Cap. 17, §. 1. *castra communit*] Vulgo postquam Iunius ex cod. qualis est Flor. G sic dedit, *communivit*. Reliqui tamen omnes *communit*.

progrediundum erat] Sic Bern. A Flor. B et A ab altera sed antiqua manu. Idem in Snakenburgii libris melioribus fuisse puto, quoniam in variet. lectionis MSS. in universum citat. Vulgo *progrediendum erat*.

§. 2. *custode pecuniae regiae*] Sic omnes nostri codd. et Leid. Voss. 1 cum Mod. pro vulg. *regiae pecuniae*.

diripere velle thesauros dimissos: prop. occupare] Duplex est codicum scriptura: una enim pars alias integrior (Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC) et edd. antiquae habet *diripere velle thesauros; properaret occupare thesauros dimissos*. In quibus verbis *thesauros* repetitos nemo tulerit, itaque Modius et Freinsh. *thes. dimissos* sustulerunt, eaque vulg. scriptura facta est quam ego quoque in priore edit. servavi. Verum altera pars codicum Pal. 1 Voss. 2 Bern. B Flor. DEFHI exhibet *diripere velle thesauros dimissos*, nihil praeterea et omissis verbis *properaret occupare*. Unus Flor. G utramque scripturam sic coniungit: *diripere velle thes. dimissos, quos properaret occupare*. Quae cum ita sint, omnis olim confusio mihi quidem nata videtur omissione verbi *dimissos*, quod cum in aliis alio loco adderetur duplex scriptura extitit. Conciliandi rationem eam quam Flor. G iniit paulo artificiosiorem existimo. Satis videtur utram-

properaret occupare: expeditum iter esse, quamquam Ara-
3 xes amnis interfluat. Nullam virtutem regis istius magis, quam celeritatem, laudaverim: relictis pedestribus copiis, tota nocte cum equitibus, itineris tanto spatio fatigatis, ad
4 Araxen prima luce pervenit. Vici erant in propinquo: quibus dirutis, pontem ex materia eorum, subditis saxis strenue induxit.

5 Iamque haud procul urbe erant, cum miserabile agmen, inter pauca fortunae exempla memorandum, regi occurrit. Captivi erant Graeci ad quattuor milia fere, quos
6 Persae vario suppliciorum modo affecerant: alios pedibus, quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barbarum litterarum notis, in longum sui ludibrium reservaverant; et cum se quoque alienae dicionis esse cernerent,
7 volentes regi occurrere non prohibuerant. Invisitata simu-

que scripturam coniungere, certe verba *properaret occupare* librariorum ingenium non sapiunt.

§. 3. *magis quam celeritatem*] *Magis* deest in codd. plerisque, Voss. 1 Bern. A Flor. ACDEFI, legitur autem in ceteris, imprimis in Flor. B. In Leid. repetitur pronomen *istius*. Iam igitur quaeritur, num comparandi particula h. l. omitti possit. Non ego credo. Tum *relictis enim* annectendi causa primus editor dedit, ceterique praeter Modium servarunt; verum coniunctio a libris mss. abest omnibus et potest abesse, cf. IV, 42, 26.

ad Araxen cum Snak. mss. in universum laudante dedi ex Bern. A et Flor. G. Vulgo *ad Araxem*.

§. 4. *quibus dirutis*] Vulgo addunt *direptis ac dirutis*, sed orta haec lectio videtur ex mala nonnullorum codicum scriptura *quibus diruptis*. Certe in nullo meorum codicum duplex participium est, et alterum sine dubio alienum est. Cur enim crudelitatem adderet necessitati ac diriperet vicos?

§. 5. *haud procul urbe erat*] Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCDE (a pr. m.) I Pal. 1 *urbem* exhibent, ut facile aliquis veram hanc esse scriptoris manum putare possit, quandoquidem *non procul* idem sit quod *prope*. Sed obstat cum generalis ratio, tum usus scriptoris *procul* et *non procul* cum simplici ablativo, semel cum praepos. *ab* construentis. Vide ad IV, 25, 3. Itaque sicubi libri in mendo tam facili conspirant, id fortunae potius quam rationi tribuendum videtur. Sic iudicat etiam Drak. ad Liv. XXI, 61, 8, quamquam XXVII, 42, 14 eadem quae h. l. in partem deteriorem librorum consensio est.

inter pauca — memorandum i. e. fortunae exemplum maxime sive in primis memorabile. Nota hanc Curtiani sermonis a Ciceroniano dissensionem, cum reliquis argenteae aetatis scriptoribus convenientiam, de qua vide Handii Tursell. Vol. III, p. 394.

ad quattuor milia] Diodorus c. 69 et reliqui eius rei auctores Iustinus et Suidas s. v. *Ἀλέξανδρος octingentos* fuisse tradunt, a prioribus Persarum regibus abductos, senes plerosque. Eos Persae *in longum sui ludibrium reservaverant*, i. e. sibi ad ludibrium. De genitivo *sui* vide ad IV, 45.

§. 7. *invisitata simulacra*] Longiorem me esse h. l. accurata diligentia Drakenborchii vetat, qui ad Liv. V, 35, 4 ne huius quidem loci oblitus codicum mss. lectionem *invisitatus* defendit, pro qua fere solet *inusitatus* substitui. *Invisitata simulacra* exhibent Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, suntque „nova et antea non visa." Verum, ut fere

lacra, non homines videbantur, nec quicquam in illis praeter vocem poterat agnosci. Plures igitur lacrimas commovere, quam profuderant ipsi: quippe in tam multiplici variaque fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed tamen dispares poenas, quis maxime miserabilis esset, liquere non poterat. Ut vero Iovem illi tandem Graeciae ultorem aperuisse oculos conclamavere, omnes pari supplicio affecti sibi videbantur. Rex abstersis, quas profuderat, lacrimis, bonum habere animum iubet, visuros urbes suas coniugesque: et castra inde duo ab urbe stadia communit.

18 Graeci excesserant vallo, deliberaturi, quid potissimum a rege peterent: cumque aliis sedem in Asia rogare, aliis reverti domos placeret, Euctemon Cymaeus ita locutus ad eos fertur: *Ii, qui modo etiam ad opem petendam ex tenebris et carcere procedere erubuimus, ut nunc est, supplicia nostra*

fit, vera observatione Drakenborchius abutitur, ut *invisitatum* etiam ubi non opus est et *inusitatum* locum significatione facile tuetur inducat. Conf. ad IX, 2, 13.

§. 8. *affecti sibi videbantur*] Adhuc Macedones miserabiles illos senes conquesti erant, tum vero cum agnoscerent sibi coniunctos esse animis suaque regisque suī fortuna laetari, tanto magis commiserabantur, adeo ut ipsi sibi mutilati viderentur. Explicandum duxi, quod et olim Acidalius et nuper complures interpretes in hoc loco haeserunt.

et castra inde] *Inde* pro *deinde* positum eum qui Liviano dicendi genere assuetus est minus offendere potest (vid. Handii Tursell. Vol. III p. 368), cf. etiam mox c. 20 §. 17. Sed mei quidem libri omnes cum Leid. Voss. 1 habent tantum *in*. Verum quid facias istis *in duo ab urbe stadia*, nisi probare possis *in* cum accusativo Latine dici pro *ἐντός*? Accedat igitur hoc exemplum illis, quae pro diligentia sua Drakenborchius ad Livii lib. X, 20, 6 collegit, permutatarum vocum illarum.

Cap. 18, §. 9. *sedem in Asia* omnes mei et Snak. libri. Vulgo *sedes*.

Euctemon Cymaeus] Homo in editis h. l. et in fine capitis vocatur olim *Eutemon*, Ald. *Euthymo*, Iun. et Mod. *Euctemon*, deinde rursus *Euthymon*, sed hoc nomen Graecum nullum est ac debet esse *Euthymos*. Verum *Euctemon* frequens est et legitur in Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. G, *Eustemon* in Flor. AB, *Euthemon* in Flor. DF, *Enthemon* in Flor. I, *Euectemon* in C, *eatemen* in E, *erythemon* in Bern. B, *eritemon* in Flor. H. Infra *Evetemon* Flor. AB.

§. 10. *ii qui modo etiam ad opem petendam — erubuimus*] Edidi *ii* pro vulg. *hi* auctoritate optimorum librorum Leid. Voss. 1 Flor. AB Bern. A. In singulari numero hac significatione non aliter dixeris quam *is qui erubuit*, itaque similiter videntur veteres in plurali dixisse. Modius audacter *nos* posuit. Sed *etiam* addidi ex omnibus mstis melioris aeque ac deterioris notae.

ut nunc est supplicia nostra] Verba *ut nunc est* explica: ut nunc res se habet, i. e. hoc quidem loco: quae nunc sententia vestra videtur vel maioris partis vestrum. Laudat Snak. Asinii Pollionis epist. inter Tullianas X, 31 extr. *constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci*, i. e. sicut nunc sentio. Aliter nec tamen dissimili ratione Cic. ad Att. XII, 29 *quae* (causae) *si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Bru-*

(*quorum nos pudeat magis an poeniteat, incertum est*) *ostentare*
11 *Graeciae velut laetum spectaculum cupimus. Atqui optime miserias ferunt, qui abscondunt: nec ulla tam familiaris est infelicibus patria, quam solitudo, et status prioris oblivio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quam*
2 *celeriter lacrimae inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit; nam et calamitas querula est, et superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat. Nisi mutuo miseri essemus, olim alius alii potuissemus esse fastidio: quid mirum est, fortunatos semper parem quae-*
3 *rere? Obsecro vos, olim vita defuncti quaeramus locum, in quo haec semesa membra obruamus, ubi horribiles cicatrices celet exilium. Grati prorsus coniugibus, quas iuvenes duximus, revertemur! Liberi in flore et aetatis et rerum agnoscent patres*

tum, *at ut nunc est manebunt*, h. e. sicut nunc iudicare possum. Curtius infra IX, 24 *Cura salutis tuae, ut nunc est, tibi vilis*, i. e. sicut ex iis quae nunc facis apparet. Non igitur est quod aliquis ὑπερκριτικὸς, qualis olim fuit Heumannus, de lectionis integritate dubitet. Sed addendum erat ex codd. (Florentinis quidem omnibus, reliqui silentur) *supplicia nostra*, quod verbum vulgo desiderabatur.

§. 11. *atqui optime miserias ferunt*] Sic cum edit. Mod. omnes nostri, et mirarer ni etiam Snakenburgiani, qui silentur. Quod vulgo circumferunt *at* ii elumbe est. Item paulo post quo ordine verborum scripsimus *nec ulla tam familiaris est*, pro vulg. *est tam famil.*, omnes nostri Snakenburgiani.

§. 12. *nisi mutuo miseri essemus*] Additur vulgo in principio *et*, quod cum absit a Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB edit. Mod. et in hac sententiosa oratione non desideretur, delendum censui. Tum vulg. *essemus miseri*. Restitui nunc eum ordinem verborum qui est apud Mod. et in libris nostris et Snak. omnibus praeter Flor. A.

§. 13. *in quo haec semesa membra obruamus, ubi horribiles cicatrices celet exilium*] Retinui locum sicut vulgo editur, quamquam video paucos tantum nec optimos codices sic eum exhibere. Nam melior eorum classis priora tantum illa habet *in quo haec semesa obruamus*, etiam omissa voce *membra*, (codd. Leid. Voss. 1 Flor. AB et Bern. A, quamquam ex hoc nihil de omisso verbo annotatum est); deteriores iique numero longe plures posteriora omissis prioribus exhibent: *ubi horribiles cicatrices celet exilium*. Unus ex meis cod. G utrumque colon coniungit. Mirabilis sane res, neque facile haec postrema manum interpolatoris prodere dixeris. Quamquam ne hoc quidem loco si quis solam auctoritatem secutus omnia ad codices illos quos integerrimos saepe appello exegerit, reprehendendus videbitur. Ex his autem *grati* cum Freinshemio edidimus, cum in ceteris et in ipso codice G legatur *ingrati*, nam acerbitas orationis decet hunc contionatorem.

agnoscent patres] Ausus sum Acidalii coniecturam sequi, cum vulgo legeretur *et fratres*. Nam *et* in optimis illis libris, quos saepe laudavi, et aliis praeter eos deest; sed, ut eam coniunctionem a praecedente syllaba obrutam putemus, quoniam in Bern. B et Flor. DEFHI expressa legitur, quae ista in eleganti oratione negligentia est: *liberi in flore et aetatis et rerum agnoscent, et fratres, ergastuli detrimenta?* Si *fratres* dicere voluisset, non singulariter de iis dixisset? sic fere: fratres in communionem bonorum accipient? Quidni etiam so-

ergastuli detrimenta? Et quota pars nostri tot obire terras potest? Procul Europa in ultima Orientis relegati, senes, debiles, maiore membrorum parte multati, tolerabimus scilicet, quae armatos et victores fatigaverunt. Coniuges deinde, quas captis fors et necessitas unicum solatium applicuit, parvosque liberos, trahimus nobiscum, an relinquimus? Cum his venientes nemo agnoscere volet. Relinquemus ergo extemplo praesentia pignora, cum incertum sit, an visuri simus illa quae petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros nosse coeperunt. Haec Euctemon.

19 Contra Theaetetus Atheniensis orsus est dicere: Neminem pium habitu corporis suos aestimaturum, utique saevitia hostis, non natura, calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuito: tristem enim de mortalitate

rores? Has ob causas Acidalium vere coniecisse opinor.

§. 14. *maiore membrorum parte multati*] *Multati* Bern. A Flor. AB et Modii ac Snakenburgii codices, quippe qui sic ediderint ipsi, cum vulgo fuisset olim *mutilati*, posthac *mulctati*. Difficile est statuere de vera eius verbi scriptura. Hoc fere constat *mulcatum* scribendum esse ubi de corpore verberibus conciso dicatur, vide doctos editores Ciceronis ad orat. p. Mil. c. 14 et Livii VIII, 24 XXVIII, 30, nos ad Cic. in Verr. IV, 43 §. 94. Verum h. l. ablativus adiungitur non instrumenti, sed partis corporis qua quis aut laesus i. e. mulcatus, aut poenae causa privatus i. e. multatus, esse potest. Atque hoc quidem h. l. videtur significari, cum VII, 42 et VIII, 41 *parte membrorum mulcati* legantur eo sensu ut membra saxis illisa et fracta intelligantur.

fatigaverunt] Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A cum edit. Mod. *fatigarunt*. Cf. ad VI, 38, 13.

§. 15. *quas captis fors applicuit*] Sic Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AG et editio Modiana, recte, nam *sors*, quod vulgo editur, non aliter applicat coniugem nisi sortito. *Fors* appellatur quae nobis fortuitus congressus et amor inde natus est.

§. 16. *relinquemus ergo extemplo praesentia pignora*] Sic recte editur a Freinshemio, sed *praesentia* ex coniectura Acidalii, cum in libris mss. et olim editis legatur *praesentium*, quod si ad uxores referretur, ut necesse est, excluderet uxores, quae vel maxime pignorum verbo intelliguntur. Sunt enim pignora *filiorum et affectionum* ut veteres grammatici loquuntur (vid. Drak. ad Liv. III, 38), et comprehenduntur eo nomine coniuges a Curtio IV, 53. Livius quoque II, 1 *pignora coniugum ac liberorum* coniungit. Itaque *praesentium* mendose scriptum opinor, fortasse ab illis primum qui pro *extemplo* scripsissent *exemplo*, sicut factum est in multis libris (Bern. B Flor. DEFHI et olim collatis Pal. 1 Voss. 2). *Extemplo* nonnihil confert ad augendam rei invidiam, quasi quod sine ulla mora fieri oporteat: nec Modium probo qui omisit, sicut sane deest in Flor. G. Etiam *relinquemus* verum est, quamquam *relinquimus* legitur in bonis libris Leid. et Flor. B et in deterioribus omnibus praeter G. Paulo post *illa quae petimus* pro vulg. *ea q. p.* in nostris quidem codicibus omnibus est, Snak. ex uno Voss. 1 annotat.

Cap. 19, §. 17. *Theaetetus*] Sic Modius et Flor. A, *theatetus* Bern. A, *Theatetis* Leid., *theatetes* Flor. B, *theatus* a pr. m. Flor. G, reliqui codd. Flor. *Thea*, Bern. B *Theas*, edd. antiquae *Theatus*.

qui erubesceret fortuito] Olim editi *fortunae*, quemadmodum turba deteriorum codicum; Modius *fortuita* dedit eaque facta est vulg. scriptura. Verum

ferre sententiam, et desperare misericordiam, quia ipse al-
18 teri denegaturus sit. Deos, quod ipsi nunquam optare ausi
forent, offerre patriam, coniuges, liberos, et quicquid homi-
19 nes vel vita aestimant, vel morte redimunt. Quin illi ex
hoc carcere erumperent: alium domi esse coeli haustum,
alium lucis aspectum: mores, sacra, linguae commercium
etiam a barbaris expeti: quae ingenita ipsi omissuri sint
sua sponte, non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis
20 carere coacti essent. Se certe rediturum ad penates et in
patriam, tantoque beneficio regis usurum: si quos contu-
bernii liberorumque, quos servitus coëgisset agnoscere, amor
detineret, relinquerent, quibus nihil patria carius esset.
21 Pauci huius sententiae fuere: ceteros consuetudo, na-
tura potior, vicit. Consenserunt, petendum esse a rege,
22 ut aliquam ipsis attribueret sedem. Centum ad hoc electi
sunt: quos Alexander ratus, quod ipse praestare cogitabat,

non est nisi in uno Flor. B, nec construitur *erubescere* in prosa oratione cum accusativo casu, saltem is insolentior est ablativo. Hunc igitur restitui ex Leid. Voss. 1 Flor. A, *fortuito*, intellige ex praegressis *malo*. Quod in Bern. A legitur *fortuite* leve mendum est, nec *fortuita* aliter aestimandum videtur. Flor. G ingenium frustra in scriptura deteriorum librorum corrigenda exercuit: *qui erubescere insidias mavult fortunae:* nam accedit quod in multis libris, etiam bonis, *erubescere* legitur pro *erubesceret*.

de mortalitate i. e. mortalibus sive de genere humano, cum alibi fere naturam mortalium vel condicionem mortalem significet, ut VIII, 16, 24; IX, 12, 7. Sed hoc ipso sensu Plinius maior lib. II, c. 7 *fragilis et laboriosa mortalitas in partes ista digessit*, et eod. cap. *invenit tamen inter has utrasque sententias medium sibi ipsa mortalitas numen* (fortunam). Id. VII, 45 *Divum Augustum universa mortalitas in hac censura nuncupat.*

§. 18. *nunquam optare ausi forent*, hoc verborum ordine, omnes libri mss. Male editi *ausi optare forent*. Mod. *ausi forent optare*. In Bern. A omittitur *optare*.

§. 19. *quae ingenita*] Sic de coniectura emendavit Freinshemius, nam libri quidem omnes et edd. veteres *ingentia*.

§. 20. *relinquerent quibus nihil patria carius esset* i. e. qui patriam revisere cuperent relinquerent illos qui novam patriam invenisse sibi viderentur. *Nihil* pro vulg. *nil* ex codicibus nostris omnibus praeter Flor. B recepi; *esset* correxi, cum vulgo legeretur *est*, qui indicativus in hac orationis forma locum non habet, sed inveni tamen *esset* ex Flor. H Bern. B enotatum. *Relinqueret* mendose uterque Bern. et Flor. ADFGHI.

§. 21. *consuetudo natura potior*] *Potior* libri mei quidem omnes et Snakenburgii Leid. et Voss. 1, in quo mendose *pacior* scriptum est (Voss. 2 siletur) et Pal. 1. Editi (etiam Mod.) *potentior*. Cf. VIII, 49 *metu potior fuerat pudor*. Est hic usus ex recentiore sed bona Latinitate, cum apud antiquiores prosae orationis auctores non dicatur *potior* nisi de eo qui praefertur.

§. 22. *electi sunt*] Sic vulgo, Mod. *lecti sunt*, codd. melioris ordinis *adlecti* (Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1), sive *alecti* (Flor. B), quod est pro eo quod est *allecti* in Flor. C. Non muto vulgatam.

petituros, *Iumenta*, inquit, *assignari quae vos veherent, et singulis vestrum milia denarium dari iussi. Cum redieritis in Graeciam, praestabo, ne qui statum suum, si haec calamitas absit, vestro credat esse meliorem.* Illi obortis lacrimis terram 23
intuebantur, nec aut erigere vultus aut loqui audebant: tandem rege tristitiae causam exigente, Euctemon similia iis, quae in consilio dixerat, respondit. Atque ille non for- 24
tunae solum eorum, sed etiam poenitentiae misertus, terna milia denarium singulis dari iussit: denae vestes adiectae sunt; et armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli serique attributus iis ager posset.

20 Postero die convocatos duces copiarum docet, nullam VI.
infestiorem urbem Graecis esse, quam regiam veterum Persidis regum. Hinc illa immensa agmina infusa: hinc Dareum prius, dein Xerxem Europae impium intulisse bellum. Excidio illius parentandum esse maioribus. Iamque barbari, 2

singulis vestrum milia denarium dari] Attigit hunc locum magnus Gronovius ad Liv. XXIX, 15, 9, ubi docet pluralem numerum in distributione adhiberi, si singulis singula quaeque attributa dicere velis. Atque hoc cum in aliis verbis tum in hoc numero millenario semper fit, uti facile docebunt loci et ab ipso Gronovio et a Drakenborchio ad Liv. IV, 15, 6 allati. Nimirum *milleni* vox est insolita Romanis et grammaticorum potius in libris quam in usu communi versata. Iam igitur si codices consulas, meos quidem omnes Gronovianae emendationi patrocinari tibi persuade, ut satis mirari nequeam quid Snakenburgio acciderit, quod in Flor. Heinsii, qui est noster A, Leid. Voss. 1 sicut vulgo editur *mille* legi tradiderit. Quamquam idem in annotatione subiecta habere mstos suos *milia* discedens a se ipso scribit.

ne qui statum] Vulgo *ne quis*, sed *qui* substantive positum non raro inveniri apud optimos quosque veterum, imprimis in hac vocum iunctura *ne qui*, non est quod doceam. Cf. nostram not. ad Cic. in Verr. V, 10, 25. Itaque codices soli sequendi sunt, nostri autem omnes exceptis tribus Flor. postremis GHI et Bern. B item Snakenburgiani *qui* exhibent.

§. 23. *similia iis quae*] Sic (*iis* non *his*) Bern. A Flor. AB et Snak. praeter Voss. 2. Eadem prorsus res est in eo quod sequitur *attributus iis*.

§. 24. *misertus* de coniectura Iunii editur, cum in antiquioribus edd. et deterioris ordinis codicibus *miseratus* legeretur. Sed optimi libri msti *miseretur* exhibent, nullus *misertus*. Placetne igitur restitui *miseretur*? Mihi quidem displicet, sed si quis fecerit eum non reprehendam.

terna milia denarium] Miror h. l. in Bern. A et Flor. ABCG et Leid. Voss. 1 *denariorum* legi, cum antea *denarium* in iisdem sine variatione fuerit. *Tria* in Bern. B Flor. DEFHI Voss. 2 minus recte legitur. Pro eo quod est *denae* in Bern. B Flor. EH est *deinde*, in Flor. DFI *dein*, in Flor. G *dein denae*.

Cap. 20, §. 1. *dein Xerxem*] Vulgo *deinde*, nostrum exhibent Leid. Voss. 1 Flor. AB. *Xerxen* Graeca terminatione non exhibent nisi Flor. FGI, sed *Xersen* Bern. AB Leid. Flor. H. Post *nihil cunctatus* pro vulg. *nil* Bern. AB Flor. A alii multi et Snakenburgiani, si licet ex eo coniicere quod ipse sic edidit.

deserto oppido, qua quemque metus agebat, diffugerant; cum rex phalangem nihil cunctatus inducit. Multas urbes, refertas opulentia regia, partim expugnaverat, partim in fidem
3 acceperat, sed urbis huius divitiae vicere praeterita. In hanc totius Persidis opes congesserant barbari: aurum argentumque cumulatum erat, vestis ingens modus, supellex non ad usum,
4 sed ad ostentationem luxus comparata. Itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur: pro hoste erat, qui pretiosiorem occupaverat praedam: et cum omnia, quae recipiebant, capere non possent, iam res non occupabantur, sed aestima-
5 bantur. Lacerabant regias vestes, ad se quisque partem trahentes: dolabris pretiosae artis vasa caedebant: nihil neque intactum erat, neque integrum ferebatur; abrupta
6 simulacrorum membra, ut quisque avellerat, trahebat. Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas, in capta urbe grassata est: auro argentoque onusti vilia captivorum corpora trucidabant, passimque obvii caedebantur, quos ante
7 pretium sui miserabiles fecerat. Multi ergo hostium manus voluntaria morte occupaverunt, pretiosissima vestium induti e muris semetipsos cum coniugibus ac liberis in praeceps iacientes. Quidam ignes, quod paulo post facturus hostis

§. 3. *non ad usum, sed ad ostentationem*] Corruperunt locum editores, qui *modo* adiicientes sententiam ad vulgarem rationem revocarunt. E nostris libris ne unus quidem habet neque Modius edidit: contra ex silentio Snak. esse *modo* in Voss. 1 coniicere debeas.

§. 4. *omnia quae recipiebant capere non possent*] Quod edidi in omnibus libris mstis extat, ac videtur argute dictum esse, quoniam *recipit* aliquis, si suum esse dicit quod traditur, sibi vindicare, quamvis id ipse capere ac tueri nequeat. Edebatur autem olim *recipiebantur* passiva terminatione, quod ab Hadr. Iunio et Modio et seqq. ita mutatum est ut scriberent *reperiebantur*. Posset aliquis *reperiebant* verum putare, ni id ipsum praestaret quod codices exhibent.

§. 5. *ad se quisque partem trahentes*] Codd. mei quidem omnes *quemque* praeter Flor. G qui habet *quamque*, sed neutrum Latinum videtur. Itaque antiquos editores sequendos mihi putavi. Snak. cum in Leid. Voss. 1 *quemque* esse scribat, Voss. 2 non commemorat, sed mihi quidem non persuadet ut fuisse in illo *quisque* videatur. *Partes* Bern. B Flor. EFHI Voss. 2 Pal. 1, *patres* Voss. 1. In fine *neque integrum* mss. omnes, editi *nec integrum*.

§. 6. *ante pretium sui*] Edd. *antea*, sed *ante* probatissimi libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A (in B hic desunt nonnulla).

§. 7. *in praeceps iacientes*] Editiones una Modiana excepta *iaciantes* exhibent omnes, inepte, neque enim istud verbum in re quae semel fit locum habere potest. Libri msti eadem, qua editi falsum, constantia verum suppeditant *iacientes*.

videbatur, subiecerant aedibus, ut cum suis vivi cremarentur. Tandem suis rex corporibus et cultu feminarum abstinere iussit. Ingens captivae pecuniae modus traditur, prope ut fidem excedat. Ceterum aut de aliis quoque dubitabimus, aut credemus, in huius urbis gaza fuisse C et XX milia talentum: ad quae vehenda (namque ad usus belli secum portare decreverat) iumenta et camelos a Susis et Babylone contrahi iussit. Accessere ad hanc pecuniae summam, captis Persagadis, sex milia talentum. Cyrus Persa-

§. 8. *suis rex corporibus et cultu feminarum abstinere iussit*] Genus dicendi insolitum (cf. interpr. ad Liv. XXVII, 27, 24) sed quod contra librorum fidem mutare non ausim, immo quod ex optimis lib. X, 25, 4 nunc restitui *Perdicca pueris equos iussit conscendere*. Possis quidem ut altero loco *pueros* vulgo legitur, sic h. l. corrigere *suos*, atque id facilius existimaverim quam quod Gronovius l. l. voluit, ut *suis corporibus* coniungeretur quasi liberis corporibus, ac scriberetur *abstineri*. Nam illud quidem dici Latine non probavit, ac, si probasset, collocatio tamen verborum non admitteret, denique ne historiae quidem fides servaretur, quoniam Diodorus viros omnes interfectos esse tradit. Serventur igitur haec quasi documenta nihil non in constructione huius verbi licere, nam Priscianus certe libro XIV p. 1131 Putsch. dicendi rationem *iubeo tibi currere* et *iubeo te currere* in eodem numero videtur habere. Editur etiam apud Ciceronem ad Att. IX, 13, 2 *Quamquam hae mihi litterae Dolabellae iubent ad pristinas cogitationes reverti*. Sed locus Livii XXVII, 16 *Fabius interroganti scribae quid fieri signis vellet (ingentis magnitudinis dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) deos iratos Tarentinis relinqui iussit* in hunc censum non venit: oratio ἀναχόλουθος est et dativus positus pro ablativo absoluto.

captivae pecuniae modus] Hoc ordine verba in nostris codicibus omnibus leguntur, ut operarum errorem arbitrer quod Snakenb. in suis se *captae pecuniae* invenisse dicat. Certe *captivum* aurum argentumque, *captiva* pecunia, al. apud Livium frequenter leguntur; cf. etiam nostr. VIII, 25.

§. 9. *aut dubitabimus aut credemus*] Recepi Acidalii emendationem pro vulg. scriptura *dubitamus — credimus* eam ob causam, quod in optimis libris saltem *dubitavimus* legitur ac sensus illud unice postulat. Modius *dubitabimus — credimus* edidit.

C et XX milia talentum] Correxi cum Acidalio *talentum*, quod vulgo est *talenta*. Legitur quidem hoc in codicibus nostris omnibus, sed in iisdem vox *milia* non exprimitur, sed lineola superinducta notatur, ut facile librarii ad scriptum numerum vocis casum accommodare potuerint. Cf. ad IV, 44, 12. Nam cum *milibus* non coniungi nisi genitivum constat, praeterquam ubi centenarii numeri applicantur.

a Susis et Babylone] Sic Bern. A et vulgo editur, sed codd. Flor. plerique et Bern. B *et a Susis et Bab.*, unus Flor. H *et a suis et a Bab.*, Flor. C *cum a Susis cum a Babilonia*, Flor. E *a Susis et a Babillone*. Itaque nescio num vere tradiderit Snakenb. in suis esse *et a Susis et a Bab.*, sicut esse debet repetita coniunctione et legitur in Modiana.

§. 10. *captis Persagadis*] Codd. in scribendo hoc nomine variant: integerrimi nostri et Snakenburgii sic ut editur et a nobis et a ceteris, reliqui et nostri quidem Flor. CDEFI *Parsagadis*, nullus *Pasargadis*, quae forma Graecis quidem usitata est, sed, ut Freinsh. apte docet, permutatione litterarum orta. Quod paulo post legitur *Persagadum urbem* (sive *Parsag.* Leid. Bern. A Flor. ACDFI) pro *Persagadarum* dictum puta ceterorum gentilium nominum more ac ratione, ne quis cum Schellero in lex. singulare nomen neutrius generis inde efficiat. Sed urbem utrum

gadum urbem condiderat, quam Alexandro praefectus eius Gobares tradidit.

11 Rex arcem Persepolis, III milibus Macedonum praesi- 21
dio relictis, Nicarchiden tueri iubet: Tiridati quoque, qui gazam tradiderat, servatus est honos, quem apud Dareum habuerat: magnaque exercitus parte et impedimentis ibi
12 relictis, Parmeniona Craterumque praefecit. Ipse cum mille equitibus peditumque expedita manu interiorem Persidis regionem sub ipsum Vergiliarum sidus petiit, multisque imbribus et prope intolerabili tempestate vexatus, procedere
13 tamen, quo intenderat, perseveravit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat. Locorum squalor et solitudines inviae fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos se videre credentem. Omnia vasta atque sine ullo humani cultus vesti-

Persagadas an *Persagada* nomines perinde videtur. Nam lib. X, 4 *Persagada* codices exhibent, sicut Ptolemaeus Geographus appellat (*Πασαργάδα*), cum a ceteris *Πασαργάδαι* dicatur: cf. Cellarii Geogr. Tom. II p. 810. Persagadas hodie esse oppidum Muryhab, quod intervallo novem ferme mil. geogr. distet a ruinis regiae Persepolitanae, hodie Takht Dschemschid vel Tchil Minar (i. e. quadraginta columnae) appellatis, situmque eius regionis docet Ritterus Geogr. Tom. VIII p. 875 sqq. novae editionis.

sex milia talentum] Veram formam genitivi, quamquam silet Snak. de suis, omnes libri nostri exhibent, editi (praeter Mod.) *talentorum*. Vide supra ad III, 35, 16.

Gobares] Sic primus Iunius, deinde Freinsh. et reliqui, cum in edd. antiquis et codd. *Globaris* legatur. *Γωβάρην* quendam, Oxyartis filium, in Media pugnantem incertum quo tempore occisum, nominat Lucianus in Cataplu c. 6. Sed apud Suidam *Γώβαρις ὄνομα πόρσον* in lexico invenitur. Itaque etiam h. l. *Gobaris* scribi poterit.

Cap. 21, §. 11. *Nicarchiden* edidi ex emendatione Freinshemii, id nomen inter trierarchos legi apud Arrianum Ind. c. 18 docentis. Olim erat *Nicartidem*, post *Nicarthidem*. Codd. optimi quidem *Nichartiden*, alii *Niarchidem*, Flor. B *Nicarthidem*, Flor. C *in Carthidem*, Mod. edit. *Nicarthiden*. Paulo post *Parmeniona* Graecam formam pro vulg. Latina *Parmenionem* plerique et optimi libri exhibent, servantes in ea re morem Curtianum. Vid. ad III, 33, 2.

§. 12. *sub ipsum Vergiliarum sidus*] Nimis incerta temporis anni significatio, cum ignoremus exortum an occasum, et matutinum an vespertinum dixerit. Sed occasum sideris vespertinum intelligit, ut patet ex ipsa re; hiemis enim tempestatem describit, sed iam ad finem vergentis, cum medio anno in Media Alexander versaretur, postquam quatuor menses in Persis commoratus est, Plutarcho teste c. 37. Plin. nat. hist. XVIII, c. 26 s. 66 III *Nonas Apriles in Attica Vergiliae vespere occultantur: eaedem postridie in Boeotia, Caesari autem et Chaldaeis Nonis.*

§. 13. *locorum squalor*] In priore edit. *locorumque* dederam, sicut ante Iunium edebatur et in codd. mss. plerisque et edit. Mod. legitur. Nunc sustuli coniunctionem Bern. A et Flor. A secutus, quia descriptio hinc incipit, quae minus recte continuatur cum iis quae quasi praeparandi causa praecesserunt.

gio attoniti intuebantur, et, antequam lux quoque et coelum ipsos deficerent, reverti iubebant. Rex castigare ter- 14
ritos supersedit: ceterum ipse equo desiluit, pedesque per nives et concretam glaciem ingredi coepit. Erubuerunt non sequi, primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites: primusque rex dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit: exemplum regis ceteri imitati sunt. Tandem 15
propemodum invias silvas emensi, humani cultus rara vestigia et passim errantes pecorum greges repperere: et incolae, qui sparsis tuguriis habitabant, cum se callibus inviis septos esse credidissent, ut conspexere hostium agmen, interfectis qui comitari fugientes non poterant, devios montes et nivibus obsitos petiverunt. Inde per colloquia ca- 16
ptivorum paulatim feritate mitigata, tradidere se regi. Nec in deditos gravius consultum.

Vastatis inde agris Persidis, vicisque compluribus re- 17
dactis in potestatem, ventum est in Mardorum gentem bellicosam et multum a ceteris Persis cultu vitae abhorrentem. Specus in montibus fodiunt, in quos seque ac coniuges et liberos condunt: pecorum aut ferarum carne vescuntur. Ne feminis quidem pro naturae habitu molliora ingenia sunt: 18

§. 14. *desiluit pedesque per nives — ingredi coepit*] *Desiluit* pro soloeco *desiliit* libri mss. omnes, cf. ad IV, 12 princ., *nives* pauciores sed integriores quique Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB pro vulg. *nivem*. Sic etiam ante *perpetuis obsitum nivibus* et post *montes nivibus obsitos*.

§. 15. *greges repperere*] Verbum duplici litera *p* in optimis codicibus Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB et aliis nonnullis scribitur, qua de re ne plura disseram accurata Conradi Schneideri diligentia facit, Elem. p. 593 seqq.

et nivibus obsitos hoc ordine verborum omnes codices, sed *nivibus* non est nisi in Bern. A Flor. AB Leid., reliqui *nubibus*, etiam Voss. 1 et Modii membranae quas dicit.

§. 17. *Mardorum gentem bellicosam*] Vulgo *bellicosissimam*, sed contra fidem libris debitam. De Mardis his, quos Arrian. in Ind. c. 11 Persarum vicinos dicit, Herodotus 1, 125 illorum tribubus adnumerat, vide Cellar. Geogr. II p. 807 sq. Non uno loco vivebat ea natio, sed regionibus dissita, si unius sunt nationis qui Mardi ad Mediae et Hyrcaniae et ad Margianae Bactrianaeque fines habitabant.

in quos seque ac coniuges] Sic primus Modius secundum libros quales sunt nostri Bern. A Flor. ABG, antea *se ac coniuges*. Codd. deteriores variant: *quos quaeque se ac* Flor. CEH, *quos quemque se ac* Flor. DI, *quos quisque se ac* Flor. F, *quos quoque se ac* Bern. B, *quosque seque* traditur esse in Voss. 2. Noster VIII, 15 *miles seque et arma sustentans*, Livius V, 49 et 51 *sed diique et homines*, II, 59 *eo pavore signaque et ordines turbavit*, XXV, 14 *execratus inde seque et cohortem*. Vide plura sed mixta alienis apud Drak. ad Liv. X, 30, 2.

comae prominent hirtae, vestis super genua est; funda vinciunt frontem, hoc et ornamentum capitis et telum est.
19 Sed hanc quoque gentem idem fortunae impetus domuit. Itaque trigesimo die, postquam a Persepoli profectus erat,
20 eodem rediit. Dona deinde amicis ceterisque pro cuiusque merito dedit. Propemodum omnia, quae in ea urbe ceperat, distributa.

VII. Ceterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes 22
reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate
2 foedavit. Hoste et aemulo regni reparante cummaxime bellum, nuper subactis quos vicerat, novumque imperium aspernantibus, de die inibat convivia, quibus feminae intererant, non quidem quas violari nefas esset, quippe pellices,
3 licentius quam decebat cum armato vivere assuetae. Ex his una Thais, et ipsa temulenta, maximam apud omnes

§. 19. *trigesimo die*] Mirum quod tradit Snak. in Leid. Voss. 1. 2 Flor. Heinsii legi *tricesimo*, cum nihil prorsus a constanti edd. scriptura *trigesimum* diversum e nostris codd. enotetur. Alioquin ego quidem formam *vicesimus* et *tricesimus* longe praeferendam putarem. Sed mox *postquam* pro vulg. *posteaquam* omnes nostri et Snak. codices. Tum *rediit* non est nisi in Flor. DFI, reliqui et codd. Snak. *redit*. Verum praesenti tempori h. l. inter praeterita non videtur esse locus.

Cap. 22, §. 1. *in deditos fidem, in captivos clementiam*] Accusativos h. l. omnes mei et Snak. codices exhibent, sicut res ipsa iubet. Editi tamen libri praeter Mod. et *deditis* et *captivis* exhibent, similitudine cum praegressis abusi.

§. 2. *reparante cummaxime bellum*] Edebatur vulgo olim *tum maxime*, post Modium *tum cummaxime*, nec alterutrum condemno; sed libri tamen et plures et probatiores *cummaxime*, *tumm.* est in Voss. 2 Flor. BE, *tum cummaxime* in nullo nec meorum nec ceterorum, quod equidem sciam. Cf. ad III, 5, 17.

nuper subactis quos vicerat] Haec extrema Modius, multum irrisis reliquis editoribus, cum afficta censeret auctori, omisit, quamquam librorum auctoritate abunde munita. Neque non puto defendi posse; vicerat enim gentes Alexander proelio, subegerat armis circumferendis, nondum tamen pacis usu et humanitate pacaverat.

§. 3. *ex his una Thais*] Sic non solum Bern. A Flor. AB, sed etiam Flor. CG, quorum similes libri mss. olim principi editori ad manum videntur fuisse. Reliqui vero Flor. et Bern. B et Voss. 2 *ex his Thais et ipsa temulenta una*. De Thaide Attica cf. Athenaeum lib. XIII, c. 37, p. 576 *περὶ ἧς φησι Κλείταρχος ὡς αἰτίας γενομένης τοῦ ἐμπρησθῆναι τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια. Αὕτη δὲ ἡ Θαῒς καὶ μετὰ τοῦ Ἀλεξάνδρου θάνατον καὶ Πτολεμαίῳ ἐγαμήθη τῷ πρώτῳ βασιλεύσαντι Αἰγύπτου, καὶ ἐγέννησεν αὐτῷ τέκνον Λεοντίσκον καὶ Λάγον, θυγατέρα δὲ Εἰρήνην, ἣν ἔγημεν Εὔνοστος, ὁ τῶν Σόλων τῶν ἐν Κύπρῳ βασιλεύς.*

apud omnes Graecos] Insolitum monstrum vulgo fovetur *apud omnes Graecorum*, quod sicut nullis antiquis testi-

Graecos initurum gratiam affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi: expectare hoc eos, quorum urbes barbari delessent. Ebrio scorto de tanta re ferenti sententiam 4
unus et alter, et ipsi mero onerati, assentiuntur. Rex quoque avidior fuit, quam patientior: *Quin igitur ulciscimur Graeciam, et urbi faces subdimus?* Omnes incaluerant mero: 5
itaque surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiae iniecit, tum convivae et ministri pellicesque. Multa cedro aedificata erat regia: quae celeriter igne concepto, late fudit incendium. Quod ubi exercitus, qui haud procul urbe tendebat, con- 6
spexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed 7
ut ad vestibulum regiae ventum est, vident regem ipsum adhuc aggerentem faces. Omissa igitur, quam portaverant, aqua, aridam materiem in incendium iacere coeperunt.

bus natum videtur, ita sine comploratione sepeliatur. Hoc tantum mirari subit, cur patienter tulerint editores praeter Iunium et Modium.

§. 4. *re ferenti sententiam — assentiuntur*] Correxi *ferenti* concinnitatis causa, sed defendi posse *ferente* non nego. Dicuntur quidem apud Snak. codd. Flor. (Heinsii) Leid. Voss. 1. 2 et editiones veteres complures *ferenti* exhibere, verum typographorum error in ea re versatus videtur, quandoquidem editiones veteres quibus utor (Vind. Mer. Ald. Iun.) *re ferente* vel *referente* habent, nec aliter codd. Bern. ac Florentini. Unus Modius *referenti* dedit. Tum *unus alter* Leid. Voss. 1. 2 Bern. A Flor. ABCG (a pr. m.) male omisso *et*, fortasse ob proximum *et ipsi* quod tamen alterius generis est. Sed bene *assentiuntur* Flor. ABCG Leid. Voss. 1 Bern. A pro vulg. *assentiunt*, quod Aldus invexit, cum iam in principe editione fuisset forma deponentialis. Vide supra ad IV, 47, 7.

avidior fuit quam patientior] Vulgo *fuit avidior*, sed quo ordine verborum edidimus Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG exhibent. Flor. C *fuit avidior quam parentior*. Mox *subicimus* Bern. B Flor. DEFI Pal. 1, *subiicimus* Flor. H Voss. 2, verbum vulgare paululum rariori subiicientes: VI, 21 *sarcinis face subdita*.

§. 6. *haud procul urbe tendebat*] Vulgo *procul ab urbe*, sed praepositionem omittunt Flor. omnes et edit. Mod., et solet sic potius loqui Curtius. Cf. ad IV, 25, 3. *Tendebat* librariorum ignorantiae obnoxium fuit ita, ut in deterioribus libris nostris *sedebat*, in Flor. FHI Bern. B *edebat*, in Pal. 1 *cedebat* exaretur. Silet Snak. de suis. Sed locutio minime dubia est, qua utitur noster III, 21, VII, 10, 27, X, 24.

§. 7. *aggerentem faces*] Codd. optimi Bern. A Flor. AB *aggerantem*, facili errore, sed errore tamen, opinor, neque enim *aggerat faces* qui in ardentem domum immittit, sed qui coacervat et cumulat ut quasi aggerem efficiant. Intelligere tamen mihi videor in primo exemplari non fuisse *adgerentem* scriptum, nec facile credo Snakenburgio in Leid. Voss. 1 fuisse *adgerantem*.

omissa igitur — aqua, aridam materiem] Ut fere solent codices inter formam *materiam* et *materiem* dubitant, sed *materiem* h. l. et plurimi et optimi libri. Alibi primae declinationis forma *materia* potior est, sed *materies* etiam IV, 10, *materiem* VII, 9 legimus. Verum quid illud sit quod in omnibus codd. et edd. antiquis post *aqua* additur *igni*, nondum excogitare quisquam potuit.

8 Hunc exitum habuit regia totius Orientis, unde tot23
gentes antea iura petebant, patria tot regum, unicus quondam Graeciae terror, molita mille navium classem et exercitus, quibus Europa inundata est, contabulato mari molibus, perfossisque montibus, in quorum specus fretum im-
9 missum est. Ac ne tam longa quidem aetate, quae excidium eius secuta est, resurrexit. Alias urbes habuere Macedonum reges, quas nunc habent Parthi: huius vestigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet. Haud procul moenibus fluxerat: inde urbem fuisse xx stadiis di-
10 stantem credunt magis, quam sciunt, accolae. Pudebat Macedones, tam praeclaram urbem a comissabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa est, et imperaverunt sibi, ut crederent illo potissimum modo fuisse de-
11 lendam. Ipsum, ut primum gravatam ebrietate mentem quies reddidit, poenituisse constat, et dixisse, maiores poenas Graecis Persas daturos fuisse, si ipsum in solio regia-
12 que Xerxis conspicere coacti essent. Postero die Lycio, itineris, quo Persidem intraverat, duci, xxx talenta dono dedit.

Hinc in regionem Mediae transiit, ubi supplementum

Delevit primus Modius. Sed habent etiam *omissam — aquam* Bern. B, *aquam* Flor. DFHI.

Cap. 23, §. 8. *antea iura petebant*] Vulgo *ante*, sed alterum omnes libri mei et Leid. Voss. 1, quos Snak. de suis commemorat. *Iura petere*, ſein Recht holen, Liviana locutio est de subditis imperio, ut de Carthaginis aut Capuae principatu lib. XXIII, 5 et 10.

mille navium] Sic primus Modius. Olim edebatur quod in codd. deterioribus omnibus est *X milium navium*.

§. 9. *ac ne tam longa quidem*] *Tam* addidi ex edit. Mod. et librorum mss. quorum notitia accuratior est omnium consensu. Unus Flor. C *ac ne tam quidem longa*.

huius vestig. non inveniretur] Rem nimis auget: nam vestigia regiae etiam hodie extant, et urbs Persepolis diu post Alexandrum superfuit, quam, ut alios antiquiores scriptores non commemorem, Ammianus Marcellinus XXIII, 6 extitisse sua aetate tradit.

§. 10. *praeclaram urb. a comissabundo*] *Praeclaram* primus Mod., cum in vetustioribus contra codd. fuisset *claram*. *Comissabundo* scripsi in varietate codicum hic et VIII, 36, 18 et IX extr., quorum optimi h. l. *comesabundo*, reliqui *comisantes* exhibent, secundum veteres grammaticos a Graecis verbis κῶμος, κωμάζειν derivantes. Cf. Drak. ad Liv. XL, 7, 5.

§. 11. *Graecis Persas* omnes libri Flor. et Bern. B, cum in editis praeter Mod. *Persas Grtaecis* sit. Item paulo post *si ipsum in solio regiaque Xerxis conspicere coacti essent* libri mss. rectissime, nam *respicere*, quod praeter Modianam ceteras omnes editiones obsidet, non est huius loci.

novorum e Cilicia militum occurrit. Peditum erant quinque milia, equites mille: utrisque Platon Atheniensis praeerat. His copiis auctus, Dareum persequi statuit.

24 Ille iam Ecbatana pervenerat, caput Mediae urbs haec: VII
nunc tenent Parthi, eaque aestiva agentibus sedes est. Adire deinde Bactra decreverat, sed veritus, ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium iterque mutavit. Aberat 2
ab eo Alexander stadia MD; sed iam nullum intervallum adversus velocitatem eius satis longum videbatur. Itaque proelio magis, quam fugae, se praeparabat. XXX milia pe- 3
ditum sequebantur, in quibus Graecorum erant quattuor milia, fide erga regem ad ultimum invicta. Funditorum 4
quoque et sagittariorum manus quattuor milia expleverat: praeter hos III milia et CCC equites erant, maxime Bactrianorum. Bessus praeerat, Bactrianae regionis praefectus. Cum hoc agmine paulum declinavit via militari, iussis prae- 5
cedere lixis impedimentorumque custodibus. Consilio deinde 6

§. 12. *novorum e Cilicia militum* codd. mss. omnes. Edd. *nov. mil. e Cil.* Itidem post omnes *Platon*, non *Plato* ut vulgo. Sic *Tauron* V, 11, *Patron* V, 27, 15 et V, 30 plus semel, *Melon* V, 35, 7, *Hephaestion* bis VI, 42. Contra *Bico* IX, 27, 4, *Parmenio* bis III, 17, VI, 32, 4 sed *Parmenion* VII, 8, 23.

Cap. 24, §. 1. *caput Mediae urbs haec: nunc tenent Parthi*] *Urbs haec* omnes libri mss. (nisi quod pauci Flor. C Sigeberg. Modii *urbis haec* habent), quod ita correxerant principes editores ut *urbem hanc* cum sequentibus *tenent Parthi* coniungerent. Sed praestat Gronoviana (Obss. II, 12) interpungendi ratio, qua et sententiae et librorum fidei consulitur. Modianam licentiam in constituendis hisce verbis praetermitto, quippe nimis ineptam. „Parthici reges Ecbatanis aestiva, quemadmodum Ctesiphonte ad Tigrim hiberna, agebant, quod ibi in boreali parte regni moderatior aestus, hic ad austrum vergente regione tolerabilior hiems esset." Cellar.

§. 2. *adversus velocitatem eius*] Nescio cur *velocitas* non hoc uno loco editoribus antiquis displicuerit, qui suum ingenium secuti *celeritatem* correxerint, quamvis eo verbo iam abusus auctor posset videri. Cf. ad IV, 17 pr.

§. 3. *fide erga regem*] Codd. omnes et edd. antiquae *fideliter erga regem* (solus Voss. 2 *fidelium*): emendarem *fidelitate*, si id verbum a Curtio usurparetur. Itaque teneo quod Hadr. Iunius primus de coniectura edidit, donec melius aliquis excogitaverit.

§. 4. *Bactrianorum* de coniectura primus edidit Iunius ac ceteri facile obsecuti sunt. Equidem in priore editione restitueram codd. et edd. vetustiorum lectionem *Parthienorum*, sed veritate victus ad Iunianam scripturam revertor. Neque enim posthac ulla *Parthienorum* fit mentio, *Bactrianorum* saepissime proximeque his adiungitur Bessus *Bactrianae regionis praefectus*. Delendum enim cum Modio quod inauspicato olim in textum irrepsit *Bactrianae urbis regionisque*, neque enim ulli codices, quos quidem noverimus, habent. Item paulo post §. 5 *Dari* nomen subintelligatur tamquam primarium, non exprimatur, si melioribus libris fides habenda. Vulgo enim (etiam apud Mod.) *cum hoc agmine Darius* cet. Cf. ad V, 10, 3.

§. 5. *impedimentorumque custodibus*]

advocato, *Si cum ignavis*, inquit, *et pluris qualemcunque vitam honesta morte aestimantibus fortuna iunxisset, tacerem po-*
7 *tius, quam frustra verba consumerem. Sed maiore, quam vellem, documento et virtutem vestram, et fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis sim, quam dubi-*
8 *tare, an vestri similes adhuc sitis. Ex tot milibus, quae sub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem persecuti*
9 *estis. Fides vestra et constantia, ut regem me esse credam, facit. Proditores et transfugae in urbibus meis regnant: non hercule quia tanto honore digni habentur, sed ut praemiis eorum vestri sollicitentur animi. Meam fortunam tamen quam victoris maluistis sequi, dignissimi, quibus, si ego non possim, dii*
10 *pro me gratiam referant. Et mehercule referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quae non in coelum vos debitis laudibus ferat. Itaque, etiamsi consilium* 25
fugae, a qua multum abhorret animus, agitassem, vestra tamen
11 *virtute fretus obviam issem hosti. Quousque enim in regno exulabo, et per fines imperii mei fugiam externum et advenam regem? cum liceat experto belli fortunam aut reparare quae*
12 *amisi, aut honesta morte defungi. Ni forte satius est expectare victoris arbitrium, et Mazaei et Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis unius: ut iam malit ille gloriae suae,*
13 *quam irae obsequi. Nec dii siverint, ut hoc decus mei capitis*

Coniunctionem addi et res iubet et librorum auctoritas Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB. Addidit etiam prudens Flor. G librarius supra lineam.

§. 6. *si cum ignavis*] Additur in editis exemplaribus (etiam Modiano) *ne: si me cum ignavis — fortuna iunxisset*, sed invitis codicibus; pauci tamen ex deteriorum numero Bern. B Flor. DHI Voss. 2 Pal. 1 ante extremas voces adiiciunt. Sed ne hoc quidem opus videtur, quoniam ex eo quod sequitur *tacerem potius* facile pronomen subintelligitur.

§. 9. *non quia — digni habentur*] Sic libri mei quidem omnes, nisi quod *habeantur* est in Bern. B Flor. G. *Quia* Snak. ex Leid., *habentur* ex Leid. et Voss. 1 affert. Editur autem *qui — habeantur*, non male quidem, sed tamen ut nostrum non postponas. Nam indicativum post *non quia* excusari posse exemplis allatis in gramm. Lat. §. 537 docui. Post *meam fortunam tamen* codices, editi praeter Mod. *meam tamen fortunam.*

et meh. referent] *Referunt* tres Snak. libri et Bern. A Flor. A. Nec tamen receperim, quoniam sequitur futurum.

Cap. 25, §. 12. *ni forte*] Sic Leid. Flor. AB. Vulgo *nisi forte* nec quicquam ab hoc diversum notatur ex Bern. A. Itaque poteris *nisi forte* si minus auctoritate, at ea observatione tueri, quam Mützellius fecit, alibi apud Curtium non inveniri *ni forte.*

§. 13. *nec dii siverint*] *Di* non *dii* meliores, et sic olim fuisse ostendunt depravationes deteriorum *desiverint, de-*

aut demere mihi quisquam aut condonare possit: nec hoc imperium vivus amittam, idemque erit regni mei, qui spiritus, finis. Si hic animus, si haec lex, nulli non parta libertas est: nemo 14
e vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbum ferre cogetur. Sua cuique dextera aut ultionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem, quam versabilis fortuna sit, documentum 15
ipse sum. Nec immerito mitiores vices eius expecto. Sed si iusta ac pia bella dii aversantur, fortibus tamen viris licebit honeste mori. Per ego vos decora maiorum, qui totius Orien- 16
tis regna cum memorabili laude tenuerunt, per illos viros, quibus stipendium Macedonia quondam tulit, per tot navium classes in Graeciam missas, per tot tropaea regum oro et obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis, ut eadem 17
constantia animorum, qua praeterita tolerastis, experiamini quicquid deinde fors tulerit. Me certe in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.

26 Haec dicente Dareo, praesentis periculi species omnium IX.
simul corda animosque horrore perstrinxerat, nec aut consilium suppetebat, aut vox: cum Artabazus, vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi saepe diximus, *Nos vero,* inquit, *pretiosissimam vestem induti, armisque quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur,*

sinerit, desiderant. Sed etiam §. 15 *di* Bern. A Flor. AB.

qui spiritus] Apage istud *et*, quod intruserunt editores: *qui et spiritus.* Abhorret enim aeque a Latinitate atque a fide librorum mss.

§. 14. *dextera*] Sic Flor. A Bern. A edit. Mod., quod nunc recipiendum putavi pro vulg. *dextra.* Silet Snak.

§. 15. *dii aversantur*] Recte sic edd. pleraeque et codd. optimi, sed *aversantur* tamen et ipsum legitur in Flor. BEFGHI Bern. B Voss. 2 et patronum repperit Schefferum. Assentior tamen Ernestio ad Tac. Hist. I, 1 *adversari* cum accusativo scribis potius quam scriptoribus deberi; certe a Curtiano dicendi genere abhorret. De confusione eorum verborum cf. ad VIII, 12, 14 et Appendic. ad VI, 21, 9.

§. 16. *cum memorabili laude*] Non pauci codices interque eos Leid. Voss. 1 Bern. A, sed e Florentinis tamen unus A coniunctim exhibent *commemorabili laude.* Non est hoc ex usu scriptoris nostri, qui contra *memorabilem laudem, pugnam, victoriam* solet dicere.

Cap. 26, §. 1. *saepe diximus*] Intellige in libris deperditis primo aut altero, res enim pertinet ad Ochi tempora, qui ante Dareum regnavit, vide Diodor. XVI, 52 quo loco supra usi sumus ad III, 6. Repetit Curtius etiam infra VI, 14. Tum *pretiosissimam vestem induti* omnes libri mss. et mei et Snak. etiam olim editi, ut non aliunde existimem nisi ex cap. 20 similitudine abusum Freinshemium correxisse *pretiosissima vestium.*

ea quidem mente, ut victoriam speremus, mortem non recusemus.
2 Assensu excepere ceteri hanc vocem. Sed Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso, inauditi antea facinoris societate inita, regem suum per milites, quibus ambo praeerant, comprehendere et vincire decreverant, ea mente, ut, si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege vivo inirent gratiam victoris, magni profecto cepisse Dareum aestimaturi, sin autem eum effugere potuissent, interfecto
3 Dareo, regnum ipsi occuparent, bellumque renovarent. Hoc parricidium cum diu volutassent, Nabarzanes aditum nefariae spei praeparans, *Scio, me,* inquit, *sententiam esse dicturum, prima specie haudquaquam auribus tuis gratam. Sed medici quoque graviores morbos asperis remediis curant, et gubernator, ubi naufragium timet, iactura quicquid servari potest*
4 *redimit. Ego tamen, non ut damnum quidem facias, suadeo, sed ut te ac regnum tuum salubri ratione conserves. Diis adversis bellum inimus, et pertinax fortuna Persas urgere non desinit. Novis initiis et ominibus opus est. Auspicium et imperium interim alii trade, qui tamdiu rex appelletur, donec*
5 *Asia decedat hostis, victor deinde regnum tibi reddat. Hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra intacta sunt: Indi et Sacae in tua potestate: tot populi, tot exercitus, tot equitum*

ut victoriam speremus] Sic libri veteres, sed Aldus *victoriam ut speremus* scribere maluit inani elegantiae studio. Pro eo quod sequitur *mortem* Bern. A et Flor. G *hostem*, Leid. Voss. 1 *vel hostem* in textu habent, item Modius scriptos libros ait dare *hostem*. Reliqui autem praeter G Florentini libri recte *mortem* exhibent, unus Flor. A in margine habet *hostem*.

§. 2. *decreverant*] En qua ratione scriptor per interiectum colon ad pluralem numerum devenerit; unus Bern. B *decreverat*.

regnum ipsi occuparent] E codicibus meis solus Flor. G exhibet quod est in vulgo editis *regnum sibi occuparent*, ceteri fere et Modius rectissime quod edidimus. Hoc enim vim addit sententiae, illud inane est, nam qui occupat, non addito in cuius alterius gratiam, *sibi* occupat. Flor. H et Bern. B *regnum ipsum*.

§. 4. *interim alii trade*] Sic verba ordinantur in Leid. Bern. utroque et Flor. omnibus. Vulgo *alii trade interim*, Mod. *alii interim trade*, a Voss. 1. 2 Snak. tradit abesse *interim*.

§. 5. *Sacae*] Vulgata scriptura veterum editionum ac Modii Freinshemiique est *Sagae*, eademque scribendi ratio in libris mss. ita valet ut *c* littera nusquam certa auctoritate nitatur. Nec tamen a Iunio discedam, qui primus *Sacas* edendum curavit; iubet enim aliorum scriptorum Graecorumque auctoritas. Arrian. III, 8 de exercitu Persico ad Arbela: εἵποντο δὲ αὐτοῖς (Βακτρίοις) καὶ Σάκαι. Σκυθικὸν τοῦτο τὸ γένος τῶν τὴν Ἀσίαν ἐποικούντων Σκυθῶν, οὐχ ὑπήκοοι οὗτοι Βήσσου, ἀλλὰ κατὰ συμμαχίαν τὴν Δαρείου. ἡγεῖτο δὲ αὐτῶν Μαβάκης· αὐτοὶ δὲ

peditumque milia ad renovandum bellum vires paratas habent, ut maior belli moles supersit, quam exhausta sit. Quid ruimus beluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at nihil virtus inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, praefectum regionis eius Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus, iusto regi tibi fiduciarium restituet imperium.

27 Haud mirum est, Dareum non temperasse animo, quamquam tam impiae voci quantum nefas esset, latebat. Itaque, *Pessimum*, inquit, *mancipium, repperisti exoptatum tibi tempus, quo parricidium aperires!* strictoque acinace interfecturus eum videbatur, ni propere Bessus Bactrianique,

ἱπποτοξόται ἦσαν. Cf. ad VII, 38, ubi Alexander foedus cum iis facit.

ad renovandum bellum vires paratas habent] Est haec vetus emendatio ab alt. manu in codicibus Flor. CG extans, ab Aldo, Iunio, reliquis recepta. Nec video quid facias integriorum codicum et edit. princ. scripturae, quam Modius quamquam ipse reprehendens in textum revocavit, *ad renovandas vires paratas habent*. Codices tamen Flor. DEFI *parata habent*, ut, si repetitam saepius vocem *tot* non uno casu accipiendum censeas, iam sic procedere possit verborum constructio *tot populi — parata habent tot milia equitum peditumque*. Modius ipse coniecit *tot populos — ad renovandas vires paratas habes*, quod non intelligo nisi *parata* voluit, ad *milia* relatum.

§. 7. *at nihil virtus*] Sic omnes codd. nostri et Leid. Voss. 1; editiones (etiam Mod.) *at virtus nihil*.

§. 8. *regem temporis gratia statuamus*] Ultimum verbum abest a libris alias melioribus Leid. Voss. 1 Bern. A pr. m. Flor. AB, sed in reliquis legitur, et aut hoc ipsum aut simile aliquod ad explendam sententiam necessarium est. Sed *temporum* Bern. B Flor. DE FHI habent. Mirum *rebus* deesse in Bern. A pr. m. Leid. Voss. 1, extare autem in Florentinis omnibus.

fiduciarium restituet imperium] Emendatio haec est Iunii a Modio et reliquis recepta, nam in libris mss. omnibus et olim impressis *fiducia* legitur. Liv. XXXII, 38 *Nabidi eam urbem velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret.*

Cap. 27, §. 9. *quantum nefas esset*] Elegans est quod hucusque editur *subesset*, sed infidum, quoniam nullo in codice msto praeter Flor. G extat. Probatissimi autem quod edidimus exhibent, ceteri *inesset* Pal. 1 Voss. 2 Bern. B Flor. DEFHI. Ferri posse simplex verbum facile intelligitur.

repperisti exoptatum tibi tempus] *Exoptatum* in nostris codd. et iis quos Snak. contulit omnibus est, olim iam a Modio edi coeptum, cum antea fuisset *optatum*. *Repperisti* duplici *p* Snak. mss. ut sit et nostri uterque Bern. Flor. ADGH.

§. 10. *interfecturus eum videbatur*] Pronomen codd. consensus adiici iussit. Quod sequitur *deprecantium specie* ex coniectura est Snakenburgii, quamquam is *pristina* adiici voluit, et Heusingeri Emend. p. 222; in codicibus deterioribusque editionibus constanter *deprecarentur tristium specie* legitur. Modius quidem illam vocem delevit, *tristium* reliquit, in qua re ceteri eum secuti sunt; sed nobis dubium non erat, si alterutrum verbum a librariis esset, vulgare potius esse, non illud quod

deprecantium specie, ceterum, si perseveraret, vincturi, circumstetissent. Nabarzanes interim elapsus, mox et Bessus consecutus, copias, quibus praeerant, a cetero exercitu secedere iubent, secretum inituri consilium. Artabazus convenientem praesenti fortunae sententiam orsus, mitigare Dareum, temporum identidem admonens, coepit: ferret aequo animo qualiumcunque, suorum tamen, vel stultitiam, vel errorem. Instare Alexandrum gravem, etiamsi omnes praesto essent: quid futurum, si persecuti fugam ipsius alienentur? Aegre paruit Artabazo, et quamquam movere castra statuerat, turbatis tamen omnium animis, eodem in loco substitit. Sed attonitus maestitia simul et desperatione tabernaculo se inclusit. Ergo in castris, quae nullius regebantur imperio, varii animorum motus erant, nec in commune, ut antea, consulebatur. Dux Graecorum militum Patron arma capere suos iubet, paratosque esse ad exequendum imperium. Persae secesserant: Bessus cum Bactrianis erat, temptabatque Persas abducere, Bactra et intactae regionis opulenta, simulque quae manentibus instarent pericula, ostentans. Persarum omnium eadem fere fuit vox, nefas esse deseri regem. Inter haec Artabazus omnibus imperatoriis fungebatur officiis: ille Persarum ta-

omnes veritatis notas haberet. Sed originem depravatae scripturae ex obsoetis litterarum ductibus in terminatione ocis *deprecantium* repetere malo.

§. 11. *mox et Bessus consecutus*] Vulgo *secutus*, sed nostrum codices unice uentur (etiam scribendi rationem littera , de qua nemo veterum dubitavit).

§. 12. *instare Alexandrum*] Addunt ost *instare* codices *tamen*, nisi quod Voss. 2 et Flor. G hic quidem ex corr. *um* habent. Delevit primus Iunius, nec usus sum revocare in textum, propter- a quod non solum sensu cassum est ed corrumperet etiam orationis eleganiam. Videtur e praegressis male repeitum; in editionibus quidem antiquis nte Iunium et Modium alterum illud *amen*, quod praecedit cum *suorum*, non legitur, quod necessarium recte existimatur.

§. 13. *aegre paruit*] Faciendum putavi ut ingeniosam Acidalii coniecturam reciperem pro eo, quod in libris et mss. et olim editis legitur, *alienentur a rege. Ea re paruit.* Nimis enim languidum est, quamvis possis *ea re* pro *propterea* dictum accipere, id quod Gudius ad Phaedr. fabulam 11 libri I defendit p. 24 edit. Burm.

§. 14. *ut antea*] Discrepant libri meliores inter se; nam Leid. et Voss. 1 Snak. tradit habere *ante* atque sic edit. Modiana, contra Bern. A Flor. AB *antea* tuentur. Reliqua turba sine dubio habet *ante*.

§. 16. *intactae regionis opulenta*] Dicendi genus Curtio familiare restitui *opulenta* recipiendo ex Bern. et Flor. codicibus omnibus et Leid. Voss. 1 pro vulg. *opulentiam*. Cf. ad III, 20, 12.

bernacula circumire, hortari, monere nunc singulos, nunc universos, non ante destitit, quam satis constaret imperata facturos. Idem aegre a Dareo impetravit, ut cibum caperet, animumque rebus adverteret.

28 At Bessus et Nabarzanes olim agitatum scelus exequi statuunt, regni cupiditate accensi: Dareo autem incolumi tantas opes sperare non poterant. Quippe in illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoque barbari conveniunt, et pristinae veneratio fortunae sequitur adversam. Inflabat impios animos regio, cui praeerant, armis virisque et spatio locorum nulli earum gentium secunda. Tertiam partem Asiae tenet: multitudo iuniorum exercitus, quos amiserat Dareus, aequabat. Itaque non illum modo, sed etiam Alexandrum spernebant, inde vires imperii repetituri, si regis potiri contigisset. Diu omnibus cogitatis, placuit per milites Bactrianos, ad omne obsequium destinatos, regem comprehendere, mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret, vivum asservari eum, si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dareum, et Bactra cum suarum gentium manu petituri. Ceterum propalam comprehendi Dareus non poterat, tot Persaram milibus laturis opem regi: Graecorum quoque fides timebatur. Itaque quod vi non poterant, fraude assequi temptant: poenitentiam secessionis simulare decreverant, et excusare apud regem consternationem suam. Interim qui Persas

1 2 3 4 5 6 7 8 9

§. 17. *animumque rebus adverteret*] Codices, ut videtur, omnes (de nostris et Snak. certum est) pro *rebus* exhibent *regis*, atque adeo *rebus* non est nisi ex coniectura Iunii, quamvis Modius stulte glorians in omnibus libris esse dicat. Sed eam nos emendandi rationem multo meliorem putamus quam Palmerii a Modio probatam ut verbum *adverteret* eiiciatur. Habet enim ridiculi aliquid cibum et regium animum sic copulare. Cf. Tacit. Ann. XIII, 49 *qui animum etiam levissimis* (rebus) *adverterent.*

Cap. 28, §. 4. *si regis potiri contigisset*] Freinshemii Heinsiique coniecturam secutus scripsi *regis* pro eo quod est *regionis.* In eo enim res omnis vertebatur ut regis et corpus et personam sibi subiiceret, regionem militesque ex ea conscriptos satis in potestate habebant, ut ipse indicat auctor. Neque quicquam facilius ea correctione. Genitivum casum Curtius solet applicare *potiendi* verbo, nisi quod uno loco IX, 34 *oppido potiri* dicit.

§. 8. *quod vi non poterant*] Sic codd.; editi, etiam Mod. *quod non poterant vi.* Itidem aliquanto post §. 9 *subdere illos* manuscripti omnes; vulgo *illos subdere.* Sed etiam *rei* i. e. rei publicae pro vulg. *rerum* recipiendum fuit ob consensum codicum meliorum.

sollicitarent, mittuntur. Hinc spe, hinc metu militares animos versant: ruinae rei subdere illos capita, in perniciem trahi, cum Bactra pateant, exceptura eos donis et opulentia, animis quam concipere non possint.

Haec agitantibus Artabazus supervenit, sive regis iussu,29 sive sua sponte, affirmans, mitigatum esse Dareum, et eundem illis amicitiae gradum patere apud regem. Illi lacrimantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, ut causam ipsorum tueretur, precesque perferret. Sic peracta nocte, sub lucis exortum Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo praetorii aderant, titulum sollemnis officii occulto sceleri praeferentes. Dareus, signo ad eundum dato, currum pristino more conscendit. Nabarzanes ceterique parricidae procumbentes humi, quem paulo post in vinculis habituri erant sustinuere venerari, lacrimas etiam poenitentiae indices profuderunt: adeo humanis ingeniis parata simulatio est. Preces deinde suppliciter admotae Dareum, natura simplicem et mitem, non credere modo quae affirmabant, sed flere etiam coëgerunt. Ac ne tum quidem cogitati sceleris poenituit, cum intuerentur, qualem et re-

§. 9. *animis quam concip. non possint*] Hoc modo verba collocantur in Leid. Pal. 1 et nostris omnibus, sed Flor. B *quantam*, et DEF cum Bern. B *auderent* pro *possint*, G *possent*. Editi *quantam animis*. In Voss. utroque Snak. tradit aliter atque in reliquis esse *quam animis*.

Cap. 29, §. 12. *sub lucis exortum*] Edd. princ. et vulgo editi *ortu*, quod certe debebat esse *ortum*, sicut dedit Iunius. Nam *sub* cum ablativo de tempore poëticum est et in prosa oratione rarissimum, certe a Curtiano dicendi more alienum. Sed si res ex codicum auctoritate pendet, *exortum* fuit scribendum. Paulo post *praeferentes* optimi codices et ceterorum quoque non pauci exhibent, neque hoc contemnendum videtur, quamvis ob eam rem necesse sit corrigamus *aderant*, quae verbi terminatio librariorum incuriae nimis erat exposita. Constructio est qualis IV, 23 *Pharnabazus cum Apollonide et Athenagora vincti traduntur*, et VI, 42 *Hephaestion cum Cratero et Coeno consurgunt*. Nescio an scriptura Bern. B Flor. DEFGHl (miror Snakenburgium tradere etiam Leid. et utriusque Voss.) *et Nabarz.* inde orta sit quod olim pluralis numeri explicandi causa temptatum fuit *Bessus et Nabarz.*, quod in margine Flor. E extat.

§. 13. *Nabarzanes ceterique parricidae*] Optimi libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB et deterioris ordinis Voss. 2 Flor. CEHI Bern. B pro *Nabarzane* hoc loco appellant *Artabazum*, manifesto errore, sed propterea notando, ut ne integerrimos quidem libros immunes esse eiusmodi vitiorum appareat.

§. 14. *sed flere etiam*] Sic verba collocantur in Bern. A Flor. ABCG Leid. Voss. 1; vulgo *sed etiam flere*. Sed *flere omnes* Flor. H, *se flere omnes* Flor. FI, *flere omnes* Flor. DE, *sed flere* Bern. B.

gem et virum fallerent. Ille quidem, securus periculi quod instabat, Alexandri manus, quas solas timebat, effugere properabat.

30 Patron autem, Graecorum dux, praecipit suis, ut arma, XI. 1
quae in sarcinis antea ferebantur, induerent, ad omne imperium suum parati et intenti. Ipse currum regis sequebatur, occasioni imminens alloquendi eum: quippe Bessi facinus praesenserat. Sed Bessus, id ipsum metuens, custos verius, quam comes, a curru non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus, ac saepius sermone revocatus, inter fidem timoremque haesitans regem intuebatur. Qui ut tandem advertit oculos, Bubacen spadonem inter proximos currum sequentem percontari iubet, numquid ipsi velit dicere. Patron, se vero, sed remotis arbitris, loqui velle cum eo respondit. Iussusque propius accedere, sine interprete, nam haud rudis Graecae linguae Dareus erat: *Rex*, inquit, *ex* L 5
milibus Graecorum supersumus pauci, omnis fortunae tuae comites, et in hoc tuo statu iidem, qui florente te fuimus, quascunque terras elegeris, pro patria et domesticis rebus petituri.

Cap. 30, §. 1. *praecipit suis*] Historicum quod vocatur praesens Voss. 1 Bern. A Flor. AB commendant, edd. *praecepit.*

§. 3. *sermone revocatus*] Modii coniecturam *revocato* editores insequentes fere omnes receperunt, quamquam diversa ratione explicant. Modius enim hoc dici vult: serendo subinde alium atque alium sermonem captasse Patronem occasionem secreto cum Dareo colloquendi; Freinshemius *revocato sermone* esse putat: cum saepius dicturus totiens se repressisset, vocemque iam prodire volentem quasi reprehendisset. Quarum interpretationum, si id agitur quid Latine intelligi debeat, haud dubie prior est verior, nam *sermonem revocare* non idem est quod revocare vocem sive verba. Verum illud quoque, quod Modius statuit, Patronem cum rege iam collocutum fuisse atque adeo sermones de variis rebus seruisse, non verisimile fit, quoniam paulo post Dareus ad illum mittit numquid sibi vellet dicere. Itaque *sermone revocatus*, quae vetus lectio est, et auctoritatis causa codicum et ob sensum unice mihi probatur, cum idem sit atque *avocatus a sermone* quem cum rege nectere concupiscebat. Solent autem hi aetatis argenteae scriptores prosarii ablativum casum omissa praepositione cum verbis *removendi* coniungere, certe longe frequentius id faciunt quam Cicero et aequales. Est etiam hac in re quaedam cum poëtis similitudo, verum hoc velim attendi eiusmodi ablativos praeponi fere, nam *revocatus sermone* si dixisset, ablativus non posset esse nisi qui dicitur abl. instrumenti.

§. 4. *Bubacen* et h. l. et c. 33, 10 codd. plerique. Editi *Bubacem*, quod est in Flor. DGH Bern. B.

numquid ipsi velit dicere] Vulgo *ipse* sine sensu, cum ne antea quidem per interpretem loqui voluerit. Scribe igitur *ipsi*, quod in codicibus non paucis sed non iis quibus alias confidere solemus legitur. (Pal. 1 Flor. DEFHI).

§. 5. *quascunque terras elegeris*] Sic omnes libri mss., ut nesciam unde in

Secundae adversaeque res tuae copulavere nos tecum. Per hanc fidem invictam oro et obtestor, in nostris castris tibi tabernaculum statue: nos corporis tui custodes esse patiaris. Omisimus Graeciam, nulla Bactra sunt nobis: spes omnis in te, utinam et in ceteris esset. Plura dici non attinet. Custodiam corporis tui externus et alienigena non deposcerem, si crederem alium posse praestare.

Bessus, quamquam erat Graeci sermonis ignarus, ta- 31
men stimulante conscientia indicium profecto Patronem detulisse credebat: et interpretis relato sermone Graeci exempta dubitatio est. Dareus autem, quantum ex vultu concipi poterat, haud sane territus, percontari Patrona causam consilii, quod afferret, coepit. Ille non ultra differendum ratus, *Bessus*, inquit, *et Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo discrimine et fortunae tuae et vitae. Hic dies aut parricidis aut tibi futurus ultimus.* Et Patron quidem egregiam conservati regis gloriam tulerat. Eludant videlicet, quibus

edita exemplaria *sedes* venerint, quas ne sensus quidem commendat.

§. 6. *omisimus Graeciam*] Omnis codd. auctoritas pro ea scriptura est quam edidimus *omisimus*, editur tamen vulgo *amisimus*. Sed hoc vix dicere voluit aut potuit Patron, neque enim eadem est Graecia quae Macedonia. *Omiserunt* Graeciam sua sponte, non *amiserunt* inviti.

Cap. 31, §. 7. *interpr. relato sermone Graeci ex dub. est*] Adhuc editi *interpretis Graeci relato sermone* contra librorum mss. omnium auctoritatem. In extrema periodo item iubentibus mss. adiecimus *est*, quod habet editio Mod. Sed ad sensum quod attinet, cum supra Patron cum rege remotis arbitris et sine interprete collocutus dicatur, hic interpretis sermo, nisi quod in verbis vulnus subest, pertinere non potest nisi ad sermonem inter Bubacen et Patronem habitum.

§. 8. *quantum ex vultu concipi*] Modius de coniectura edidit *conspici* idque ex Bern. B enotatur, male, nam tum non esset *quantum*, sed *quod*. Idem suo more convicio adversus aliter sentientes usus sustulit *coepit*, quod maxime ad narrationem pertinet.

discrimine et fortunae tuae et vitae] Prius illud *et* Acidalius corrigi voluit scribique *es*, quod malim potius in fine adiici. *Is dies* Flor. G ex correctione.

§. 10. *Eludant videlicet quibus forte temere* cet.] Periodus bene conformata, sicut fere Liv. XXVI, 22 *eludant nunc antiqua mirantes: non equidem — aut principes graviores — aut multitudinem melius moratam censeam fieri posse.* Sed mirum est illa verba in quibus quasi cardo vertitur *equidem aeterna constitutione crediderim* in nullo prorsus codice ms. legi, sed a principe editore ad explendam sententiam excogitata videri, apte, quis neget? sed a nobis pro fide nostra uncis a reliqua oratione separanda. Reliqua ad auctoritatem librorum diligentius quam adhuc factum est exegimus. Primum *videlicet* restituimus, pro quo Iunius primus *licet* substituit, non male, quoniam *licet* unice aptum videtur illi usui loquendi, quo cum alii tum Livius posuit VI, 41 *eludant nunc licet religiones* cet., sed hoc loco simplex coniunctivus est, qui concessivus dicitur, ac *videlicet* adverbiali-

forte temere humana negotia volvi agique persuasum est: [equidem aeterna constitutione crediderim,] nexuque causarum latentium, ex multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Dareus certe re- 11
spondit, quamquam sibi Graecorum militum fides nota sit, nunquam tamen a popularibus suis recessurum. Difficilius sibi esse damnare, quam decipi. Quicquid fors tulisset inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri. Se perire sero, si salvum esse milites sui nollent. Patron, desperata regis salute, ad eos, quibus praeerat, rediit, omnia pro fide experiri paratus.

32 At Bessus occidendi protinus regis impetum ceperat. XII
Sed veritus, ne gratiam Alexandri, nisi vivum eum tradidisset, inire non posset, dilato in proximam noctem sceleris consilio, agere gratias incipit, quod perfidi hominis insidias, iam Alexandri opes spectantis, prudenter cauteque vitasset. Donum eum hosti laturum fuisse regis caput. Nec mirari, 2
hominem mercede conductum omnia habere venalia: sine pignore, sine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hostem, ad nutum licentium circumferri. Purganti deinde se, deos- 3

ter rem esse consentaneam significat: eludant, en, facile est, quod facile est intellectu, sive eludant nimirum, quod verbum similiter et adverbium est et coniunctio. Tum *forte temere* mss. omnes et edit. Mod., quod genus dicendi Livio familiare primi editores corruperunt *forte ac temere* scribentes, nimiumque fideles vel incuriosos potius imitatores invenerunt. Vide Gronov. et Drak. ad Liv. x, 43, 12. Etiam Cicero de div. II, 68 *nisi ista casu nonnumquam forte temere concurrerent;* idem eod. libro c. 7 *quid est tandem quod casu fieri aut forte fortuna putamus*, etsi illic in codd. nonnullis *forte fortunave* legitur. Denique quod in optimis et plurimis codd. est *causarum ex multo ante destinatarum* raritate locutionis, opinor, deterriti editores non tulerunt dederuntque *et* pro eo quod est *ex*, sicut legitur sane in Flor. CF, fortasse etiam in Vossianis, si fides silenti Snakenburgio (quamquam de priore Voss. vehementer dubito). Sed prorsus non intelligo cur Latine non dicatur *ex multo* pro eo quod esset ex remoto tempore constituere quid futurum sit. Unus Flor. G *et ex multo ante.*

§. 11. *se perire sero, si salvum esse milites sui nollent*] Verba collocavimus quemadmodum libri aut meliores aut omnes iusserunt. Vulgo *sero se perire* et *sui milites*. Post etiam *regis salute* omnes codd. mss., editi *salute regis.*

Cap. 32, §. 1. *impetum ceperat*] Vulgo *conceperat*, sed *impetum capere* usitata est et Livio familiaris locutio, *concipere* non item. *Ceperat* edit. Mod. et Flor. AB Leid. Voss. 1, *coeperat* Bern. A. Paulo post *nisi* pro vulg. *ni* omnes Flor. et Bern. B Leid. Voss. 1. Miror ab hoc concentu utroque loco abesse Bern. A, ni collatio fefellit.

§. 3. *purganti deinde se*] Coniectura locum bene correxit Iunius; codices enim et edd. vetustiores *arguenti* exhibent.

que patrios testes fidei suae invocanti Dareus vultu assentiebatur, haud dubius, quin vera deferrentur a Graecis; sed eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset non cre-
4 dere suis, quam decipi. XXX milia erant, quorum inclinata in scelus levitas timebatur: IV milia Patron habebat; quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium fide,
5 parricidio excusationem videbat offerri. Itaque praeoptabat immerito, quam iure violari. Besso tamen insidiarum consilium purganti respondit, Alexandri sibi non minus iustitiam, quam virtutem, esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab eo praemium expectent: violatae fidei nemi-
6 nem acriorem fore vindicem ultoremque. Iamque nox appetebat, cum Persae more solito armis positis ad necessaria ex proximo vico ferenda discurrunt. At Bactriani, ut imperatum a Besso erat, armati stabant.

7 Inter haec Dareus Artabazum acciri iubet, expositis-33
que, quae Patron detulerat, haud dubitare Artabazus, quin transeundum esset in castra Graecorum. Persas quoque
8 periculo vulgato secuturos. Destinatus sorti suae, et iam nullius salubris consilii patiens, unicam in illa fortuna opem Artabazum, ultimum illum visurus, amplectitur; perfususque mutuis lacrimis, inhaerentem sibi avelli iubet: capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut a rogo
9 intueretur, in humum pronum corpus abiecit. Tum vero custodia eius assueti, quos regis salutem vel periculis vitae

vultu assentiebatur] Edd. vulg. *assentiebat*, codd. et Modius *assentiebatur*. Vide ad IV, 47.

§. 4. *IV mil. Patron habebat*] Omittitur nomen *Patron* in Flor. AB Bern. A Leid. Voss. 1.

§. 6. *ut imperatum a Besso erat*] Adhuc *imp. erat a Besso*. Illud est in omnibus codd. nostris nisi quod Bern. A Flor. AC itemque Leid. Voss. 1 *erant* mendose exhibent.

Cap. 33, §. 8. *digredientem velut a rogo*] Digreditur velut *a rogo* Artabazus, i. e. regem quasi iam conclamatum, ut similitudinem similitudine explicem, relinquit, tamquam hominem desperatum suaeque fortunae proditum. Extat autem haec lectio in Aldina editione, cum in principe fuerit *a rege*, sed hoc mirum, postquam melius quod esset semel monstratum fuit et a Iunio Modioque propagatum, editores tamen recentiores ad priscas sordes redisse. Codices Snak. et nostri omnes *rogo* exhibent praeter Flor. DFI.

§. 9. *custodia eius assueti*] Ablativum casum tuentur Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB. Vulgo (etiam Mod.) *custodiae*. Cf. ad lib. III, 23. Sed quod sequitur *vel periculis vitae* omnium librorum auctoritas atque adeo editionum vett. commendat prae vulg. *periculo*, quam Iunius invexit.

tueri oportebat, dilapsi sunt, armatis, quos iam adventare credebant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis spadonibus, quia quo discederent non habebant, circumstantibus regem. At ille, remotis arbitris, diu aliud atque aliud consilium animo volutabat. Iamque solitudinem, quam paulo ante pro solatio petiverat, perosus, Bubacen vocari iubet. Quem intuens, *Ite*, inquit, *consulite vobis, ad ultimum regi vestro, ut decebat, fide exhibita. Ego hic legem fati mei expecto. Forsitan mireris, quod vitam non finiam: alieno scelere, quam meo, mori malo.* Post hanc vocem spado gemitu non tabernaculum modo, sed etiam castra complevit. Irrupere deinde alii, laceratisque vestibus lugubri et barbaro ululatu regem deplorare coeperunt. Persae, ad illos clamore perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos inciderent, nec quiescere audebant, ne impie deserere regem viderentur. Varius ac dissonus clamor sine duce ac sine imperio totis castris referebatur.

34 Besso et Nabarzani nuntiaverant sui, regem a semetipso interemptum esse. Planctus eos deceperat. Itaque citatis equis advolant, sequentibus quos ad ministerium sceleris delegerant; et cum tabernaculum intrassent, quia regem vivere spadones indicabant, comprehendi vincirique iusserunt. Rex curru paulo ante vectus et deorum auspiciis ac suis honoribus cultus, nulla externa ope admota,

dilapsi sunt armatis] Additur vulgo *tum armatis*, quod legitur in paucis codd. deterioris ordinis (Flor. CG), cum in reliquis exhibeatur *tum*, sed utrumque falsum est nec ortum nisi ex verbo proxime praecedente. Deleverant iam Iunius et Modius.

§. 12. *non tabernaculum modo*] Sic omnes codd. nostri et Snak. praeter Voss. 1 qui *non modo tabern. modo;* editi *non modo tab.*

Cap. 34, §. 16. *et deorum auspiciis ac suis honoribus cultus*] Sic codd., tantum quod in deterioribus atque ex iis in edd. antiquis non *ac* sed *a* legitur. Hoc cum sensum non haberet, Iunius ceterique post eum omnes *auspiciis* deleverunt: debebant potius *honoribus*, si de interpolatione suspicio esset. Verum tutissimum est sequi librorum fidem. *Deorum auspiciis* colebatur rex Persarum, quippe cuius currum deorum simulacra ornarent et cui sacer ignis praeferretur; *suis honoribus* qui illi uni tamquam regi ac domino haberentur, inter quos imprimis adulatio (προσκύνησις) erat.

nulla externa ope admota] *Opem* h. l. intellige non auxilium sed vim, operam, in malam partem, uti Forcellinus in lex. loco Liviano XLIV, c. 7 ad fin. allato probat: *adeo sine ulla ope hostis, quae aggravaret, cum ipsa difficultate pugnandum erat.* Flor. G

captivus servorum suorum, in sordidum vehiculum pellibus undique contectum imponitur. Pecunia regis et supellex quasi belli iure diripitur; onustique praeda, per scelus ultimum parta, fugam intendunt. Artabazus cum his, qui imperio parebant Graecisque militibus Parthienen petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus. Persae, promissis Bessi onerati, maxime quia nemo alius erat, quem sequerentur, coniunxere se Bactrianis, agmen eorum tertio assecuti die. Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Dareum vinciunt, nova ludibria subinde excogitante fortuna. Et ne forte cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerant: ignoti iumenta agebant, ne percontantibus in agmine monstrari posset: custodes procul sequebantur.

II. Alexander, audito Dareum movisse ab Ecbatanis, omisso itinere, quod patebat in Mediam, fugientem insequi pergit strenue. Tabas (oppidum est in Paraetacene ultima) pervenit: ibi transfugae nuntiant, praecipitem fuga Bactra

ope habet ille quidem in textu, sed adscribitur *al. vi*, atque hoc ipsum *externa vi* inventum est in Bern. B Flor. DEFHI. Miror Gronovium in Obss. II, 12 sic quasi de coniectura scribere voluisse.

pellibus undique contectum] *Contectus* in edit. principe et Merulae codicibusque Leid. Voss. 1. 2 Bern. A Flor. A BC legitur, sed male, nam ut omittam sequi paulo post illos *sordidis pellibus vehiculum intexisse*, vocabulum *undique* certe ad hominem non aptum videtur. Recte igitur Aldum, qui primus *contectum* dedit, secuti sunt reliqui.

§. 17. *belli iure* omnes msti, editi *iure belli.*

§. 18. *cum his qui imp. parebant*] *His* omnes codd. nostri et Snak., sed *quibus imperabat* Flor. DFI, *quibus improperabant* Bern. B Flor. H et E a pr. m.

Cap. 35, §. 1. *omisso itinere quod patebat in Mediam*] Codd. *petebat*, sed recte ad Curtii mentem emendasse puto Palmerium, quod a Modio receptum per omnes postea editiones propagatum est. Eam autem Curtii mentem a fide historiae abhorrere comparatio historiae Arriani docet, nam Diodorus in hac parte expeditionis iusto brevior est. Neque enim Alexander iter in Mediam omisit, sed haud procul ipsis Ecbatanis, Mediae capite, Dareum non proelio se accingere, sed fugere longius instituisse comperit. Ecbatanis non diu, sed tamen aliquot dies commoratus, agmen celeriter quidem, sed non celeritate, qua quis utitur, si unius horulae omissae detrimentum magnum futurum sit, hostem persesutus est Rhagas usque prope pylas Caspias iter undecim dierum. Haec omnia omisit noster tamquam minus ad summam rem pertinentia, nec eius dux Clitarchus longus videtur in hac narratione fuisse. Ceterum aliquam Mediae partem non attigit Alexander, quam non dubito quin subiecturus fuerit, ni Dareum persequi maluisset eamque Curtius quoque videtur cogitasse cum scriberet omissam esse Mediam, Atropatene quae dicitur, armis virisque florens et situ locorum amoenissima.

§. 2. *pervenit: ibi*] Locum e fide librorum mss. constitui, nam olim editi *Tabas oppidum est in Par. ultima: quo*

petere Dareum. Certiora deinde cognoscit ex Bagistane 3
Babylonio: non equidem vinctum regem, sed in periculo
esse aut mortis, aut vinculorum affirmabat. Rex, ducibus 4
convocatis, *Maximum*, inquit, *opus, sed labor brevissimus superest. Dareus haud procul destitutus a suis, aut oppressus. In illo corpore posita est nostra victoria, et tanta res celeritatis est praemium.* Omnes pariter conclamant, paratos ipsos 5
sequi; nec labori, nec periculo parceret. Igitur raptim
agmen cursus magis quam itineris modo ducit, ne nocturna
quidem quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quin- 6
genta stadia processit, perventumque erat in vicum, in quo
Dareum Bessus comprehenderat. Ibi Melon Darei inter- 7
pres excipitur. Corpore aeger non potuerat agmen assequi, et deprehensus celeritate regis, transfugam se esse simulabat. Ex hoc acta cognoscit. Sed fatigatis necessaria 8
quies erat. Itaque delectis equitum sex milibus, trecentos, quos Dimachas appellabant, adiungit: dorso hi graviora

ubi pervenit, in qua scriptura cum non iniuria Modius interpolatoris manum perspexisset, nimis tamen longe progressus est corrigendo, cum ipsum etiam verbum ex quo accusativus *Tabas* pendet amputavit. Itaque non dubitavi eius iudicium, quamquam ceteris editoribus, ut fere solet in deterioribus, probatum, relinquere. Glareanus Arrianum auctorem secutus has *Rhagas* fuisse, non *Tabas* non male coniecit, ubi de Dareo capto nuntium acceperit; sed corrigendi Curtii nulla prorsus ratio est: immo quod supra significavi, quae in medio sunt a Paraetacene in potestatem redacta usque ad Mediam peragratam et Caspias pylas itinere petitas, omnia praetermisit Curtius, sive consulto sive quod magis credo quia Clitarchus hac in parte negligentior fuit. Est autem Paraetacene inter Persidem et Mediam in longitudinem porrecta annumeraturque ab aliis Persidi, ab aliis Mediae, ac Tabae oppidum Persidis vocat Polybius XXXI, 11.

§. 3. *Bagistane Babylonio*] Sic codd. plerique omnes et Arrianus lib. III, 21. Vulgo edunt *Bagysthene*.

non equidem] *Non* abesse a suis libris Modius tradit, item Snak. non inveniri in Leid. Voss. 1. De nostris non est in Bern. A Flor. A, sed legitur in reliquis: certe deesse non posse omnes intelligunt. Sed verbum extremum *affirmabat*, cum in omnibus libris esset, Modius scholii nomine sibi suspectum delevit et nimis faciles astipulatores invenit. Mutata interpunctione nihil opinor inesse quo quis offendatur. De vocabulo *equidem* pro *sane quidem* posito vide ad VIII, 27.

§. 4. *nostra victoria* omnes codd. nostri et Snak.; editi *vict. nostra*.

§. 7. *agmen assequi*] Sic unus edidit Modius, sed extat etiam in plerisque codd., nostris quidem excepto Flor. C omnibus. Vulgo editur *sequi*, minus recte, nam secutus quidem erat agmen.

§. 8. *Dimachas appellabant*] Codd. *Dimichas* aut *dimicas*. Sed recte emendavit Glareanus. Appellat etiam Diodorus V, 33 *διμάχας*, qui fere solebant *ἄμιπποι* vocari. Plura commixtis posterioris aetatis institutis vide apud Pollucem I, c. 10 §. 132. *Appellabant* e consensu omnium librorum mss. edidi pro vulg. *appellant;* erat etiam secundum Arrianum III, 21 hoc genus equi-

arma portabant, ceterum equis vehebantur; cum res locusque posceret, pedestris acies erat.

9 Haec agentem Alexandrum adeunt Orsilos et Mithra- 36
cenis: Bessi parricidium exosi transfugerant, nuntiabantque, stadia D abesse Persas, ipsos brevius iter monstraturos.
10 Gratus regi adventus transfugarum fuit. Itaque prima vespera ducibus iisdem cum expedita equitum manu monstratam viam ingreditur, phalange, quantum festinare posset, sequi iussa. Ipse quadrato agmine incedens, ita cursum
11 regebat, ut primi coniungi ultimis possent. CCC stadia processerant, cum occurrit Brocubelus, Mazaei filius, Syriae quondam praetor. Is quoque transfuga nuntiabat, Bessum haud amplius quam CC stadia abesse. Exercitum, utpote qui nihil praecaveret, incompositum inordinatumque procedere. Hyrcaniam videri petituros. Si festinaret sequi, pa-
12 lantes superventurum. Dareum adhuc vivere. Strenuo alioquin cupiditatem consequendi transfuga iniecerat. Itaque calcaribus subditis, effuso cursu eunt. Iamque fremitus hostium iter ingredientium exaudiebatur; sed prospectum ademerat pulveris nubes. Paulisper ergo inhibuit cursum,
13 donec consideret pulvis. Iamque conspecti a barbaris erant, et abeuntium agmen conspexerant, nequaquam futuri pares,

tum ex peditibus temporis causa, non ad perpetuum usum (sicut qui recenti aetate Dragones vocabantur) constitutum.

Cap. 36, §. 9. *Orsilos et Mithracenis* scripsi e libris, qui homines in editis *Orsillos et Mythracenes* sunt. Soli Flor. G *Metracenes* Pal. 1 *Mythratenes* cum terminatione *es*. Omisi etiam *qui*, quod nominibus vulgo adiungitur, quia in optimis Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 non extat et ea brevitas narrandi Curtio non est insolita.

§. 11. *Brocubelus*] Apud Arrianum III, 21 idem videtur esse Ἀντίβηλος, alio loco VII, 6 Ἀρτιβόλης. Leid. Voss. 1 *Brochubelus*, Bern. A *Brachubelus*, Flor. DFI *Brozubelus*, Flor. H Bern. B *Brozabelus*, Flor. G *procubelus*.

utpote qui nihil praecaveret] Voces mediae *qui nihil* in omnibus et meis et Snak. codd. desunt, sed abesse non possunt.

palantes superventurum] *Palantibus* emendaverat Modius, atque ita recentiores omnes ediderunt; male, quia contra codices, atque potest accusativus hac significatione haud dubie defendi. Est enim id quod incidere in illos, non venire postquam aliquid illi iam facere coeperunt. Cf. Ruddim. Instit. edit. repet. Lips. II, p. 129. Ceterum verbum illud omittitur in Bern. B Flor. DEFHI Pal. 1 Voss. 2.

§. 12. *strenuo alioquin*] Sic omnes codd. nostri et editiones principes cum Modiana, additque Snak. Leid. Voss. 1 (quasi discrepet Voss. 2, sed mihi quidem non persuadet). Aldus dedit *alioqui*, idque per reliquas edd. propagatum est. Deest vocabulum in Flor. C.

si Besso tantum animi fuisset ad proelium, quantum ad parricidium fuerat. Namque et numero barbari praestabant, et robore: ad hoc refecti cum fatigatis certamen inituri erant. Sed nomen Alexandri, et fama, maximum in bello utique momentum, pavidos in fugam avertit. 1

37 Bessus vero et ceteri facinoris eius participes, vehiculum Darei assecuti, coeperunt hortari eum, conscenderet equum, et se hosti fuga eriperet. Ille deos ultores adesse testatur, et Alexandri fidem implorans negat, se parricidas velle comitari. Tum vero ira quoque accensi, tela coniiciunt in regem, multisque confossum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque, ne longius prosequi possent, convulnerant, duobus servis, qui regem comitabantur, occisis. Hoc edito facinore, ut vestigia fugae spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra, paucis equitum comitantibus, petebant: barbari, ducibus destituti, qua quemque aut spes ducebat, aut pavor, dissipabantur: D tantum equites congregaverant se, incerti adhuc, resistere melius esset, an fugere. Alexander, hostium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam emittit: ipse cum ceteris 1 16 17 18 19

§. 14. *in fugam avertit*] Legitimus est hic verbi usus, vide ad III, 29, 24, ac revocandus consensu meliorum librorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB etiam G a pr. m. Editi praeter Mod. *convertit.*

Cap. 37, §. 15. *Bessus vero*] Addidimus *vero* ex libris nostris et Snak. omnibus.

hortari eum, conscenderet equum] Omisi *ut* quod vulgo additur, codicibus Bern. A Flor. ABG (a pr. m) et Voss. 1 confisus. Miror in hoc numero non esse Leidensem. Sed Modius nobiscum facit. IV, 5 *conclamant duceret;* IX, 17 *clamor iubentium duceret diis secundis;* VI, 24 *orare coeperunt iram in defectionis auctorem reservaret;* VII, 43 *qui monerent nunc saltem salubrius consilium inirent;* IX. 30 *Cratero imperat rex, haud procul amne copias duceret.*

§. 16. *tela coniiciunt* Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1 Modius, *iniiciunt* ceteri cum editis. Verum ne fallam, *coniciunt* et *iniciunt* msti, ut solent. Paulo post *convulnerant* iidem illi libri meliores pro *convulnerantur.*

§. 18. *resistere melius esset*] Sic omnes nostri et Snakenb. codices mss. Editi praeter Mod. *resisterene.*

§. 19. *emittit*] Sic Mod. editio et codices mss. omnes, vulgo editi *praemittit.* Tum *resistentia* dedimus secundum fidem codicum paene omnium; in edit. pr. est *resistentium agmina*, quod in nullo cod. inventum est, tum Aldus dederat *resistentia*, Iunius et Modius *resistentium* eaque scriptura ab insectis editoribus propagata est, quamvis non extet nisi in Flor. G et in Bern. B tradatur esse *resistentium occisi* (quamquam dubito de hoc, quoniam in compari eius Flor. H est *resistentia occisi*). Denique *pecudum more* legitima quasi collocatione verborum (sic *pecorum modo* III, 28 et VIII, 50) omnes mss., typis impressi (etiam Mod.) *more pecudum.*

sequitur. III ferme milia resistentia occisa sunt; reliquum agmen pecudum more intactum agebatur, iubente rege, ut caedibus abstineretur. Nemo captivorum erat, qui monstrare Darei vehiculum posset: singuli, ut quaeque prenderent, scrutabantur, nec tamen ullum vestigium fugae regis extabat. Festinantem Alexandrum vix tria milia equitum persecuta sunt. At in eos, qui lentius sequebantur, incidebant universa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plures captivi, quam qui caperent, erant: adeo omnem sensum territis fortuna penitus excusserat, ut nec hostium paucitatem, nec multitudinem suam satis cernerent.

Interim iumenta, quae Dareum vehebant, nullo regente38 decesserant militari via, et errore delata per quattuor stadia, in quadam valle constiterant, aestu simulque vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monstratum a peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit; ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixa conspexit. Miratusque confossa potius quam abacta esse, semivivi * * *

[hominis gemitum percipit. Itaque more ingenii humani cupidus visendi, quid rei vehiculo isto conderetur, dimotis pellibus, quibus obtectum erat, Dareum multis vulneribus confossum repperit. Regius enim cultus, et aureae catenae, quis a parricidis vinctus fuerat, dubitationem eximebant. Non erat expers Graeci sermonis Dareus; gratiasque agebat diis, qui post tanta mala, tamque gravia, hoc tamen indulsissent solatii, ne omnino in solitudine extremum spiri-

§. 20. *ut quaeque prenderent*, i. e. Macedones pro se quisque si quod vehiculum prenderant, studiose perquirebant. Sed coniunctivum modum in actione saepe repetita sic eleganter poni docui in gramm. §. 569. *Prendere* autem potius quam *prehendere* a veteribus et pronuntiatum et scriptum esse idonei sunt auctores grammatici, quorum observationes excerptas vide apud Conr. Schneiderum in Elem. ling. Lat. p. 187, et in codd. mss. sic fere scribi solere Livii editores multis locis demonstrarunt, vide Drak. ad lib. II, 29, 4, nosque apud Curtium lib. VII extr. *prensum* optimorum codicum iussu edidimus. Hoc autem loco *quaeque prenderent* legitur in Leid. Voss. 1 Flor. A C Bern. A; *quemque prenderant* habent Flor. BFGI, *quemque prenderent* Pal. 1 Flor. D, *quemque prenderet* a pr. m. Flor. E, *quemque prehenderent* Voss. 2 Flor. H, *quemque prehenderet* Bern. B. Editio princ. Ald. *quenque prehenderent*, Iun. *quenque prehenderant*, Mod. et vulgo *quaeque prehenderant*.

Cap. 38, §. 25. *semivivi* ***] Adiicitur *hominis* in aliquot libris deterioris familiae, Bern. B Flor. CEGH et edd. veteribus; sed in Flor. AB unius vel duarum vocum relicto spatio sequitur ex proximo seq. libro *pugnae discrimen*, in margine ab eadem manu sed diverso atramento notatur in A *hinc deest*, in B *hic plura deficiunt, finis scilicet quarti et principium quinti.*

tum effunderet. *Itaque te*, inquit, *quisquis es mortalium, per communem hominum sortem, a qua nec maximos regum exemptos esse praesenti spectaculo moneris, rogo quaesoque, ut haec ad Alexandrum mandata mea perferas: nihil eorum, quae longe tristissima perpessus sum, ne hunc quidem incomparabilis calamitatis exitum, ita gravem mihi accidisse, ut hoc unum, quod post tanta in me meosque merita adversus clementissimum victorem inimico vivendum fuit, et nunc ingrato moriendum est. Sed si qua postremis miserorum votis apud deos vis est, et cum ipso spiritu profusas preces mitius aliquod numen exaudit; ille quidem sospes et incolumis, longeque supra contagium meae sortis et invidiam fortunae positus, in solio Cyri gloriosam aetatem exigat: suaeque virtutis memor, eum matri liberisque meis locum apud se esse patiatur, quem illi fide et obsequio meruerint. At parricidas promptum exitium consequatur, quod Alexander irrogabit, si non misericordia infelicis hostis, saltem odio facinorum, et ne impunita in aliorum etiam regum suumque ipsius exitium erumpant.* Post haec, cum siti angeretur, allata per Polystratum aqua recreatus, *Ergo*, ait, *hanc etiam tantis calamitatibus extremam accedere oportuit, ut bene merito gratiam referre non possim: at referet Alexander; Alexandro vero dii.* Dextram deinde protendit, eamque Alexandro, fidei regiae pignus, ferri iubens, apprehensa Polystrati manu animam efflavit. Alexander an spiranti adhuc supervenerit, incertum est: illud constat, miserabili regis opulentissimi exitu comperto, copiosas lacrimas profudisse, statimque chlamyde sibi detracta corpus operuisse, et magno cum honore ad suos deferri iussisse, ut regio Persarum more curatum monumentis maiorum inferretur. Ingratitudinem hominum, a quis pro summis beneficiis crudele exitium Dareus pertulit, quamquam suopte ingenio horrendam et exsecrabilem, insigniore ad posteritatem infamia damnavit canis cuiusdam mira fides, qui ab omnibus familiaribus derelicto solus adfuit, et quam in vivum prae se tulit benevolentiam, morienti quoque constanter praestitit. Hunc vitae finem sortitus est ille, quem modo contumelia affici putabant, nisi regem regum, et deorum consanguineum salutarent: magnoque iterum experimento approbatum est, neminem magis patere fortunae, quam qui pluribus eiusdem blanditiis irretitus, iugum illius tota cervice receperit.]

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER VI.

ARGUMENTUM.

uctor, *postquam Alexandri historiam usque ad Darei mortem enarravit, repe-* s *rebus interim in Graecia gestis, tradiderat de rebellione Lacedaemoniorum, anno a. Chr. nat.* 331. *incipiente aestate, Agide rege suo duce, Peloponnesio-* n *plerisque in partes perductis, arma adversus Macedones moverant. Et cum* io *rem prospere gessissent, ac Megalopolim, sociam Macedonibus urbem, obsi-* e *coepissent, postquam Antipater, praefectus Alexandri, ex Thracia cum exer-* t *advenit, belli fortuna mutata est.* (1) Apud Megalopolim acie congressi edaemonii et Macedones diu ancipiti Marte pugnarunt, neque illi, quamquam nerato Agide rege, proelium omiserunt, (2) donec, superante Macedonum ltitudine, cedere coacti sunt. Ipse Agis, sic regem Lacedaemoniorum de- e ratus, repetito certamine, cecidit, nec incruenta Macedonibus victoria fuit. Ea tamen victoria, fractis hostium animis, pax in Graecia restituta; de La- laemoniis res ad ipsum Alexandrum reiecta est.

(4) Verum Alexandri mores post Darei mortem mutari coeperunt, et ad uriam Persarum depravari. (5) Conviviales ludos celebrans inter captivas ritu canentes neptem Ochi, olim regis Persarum, invenit, eamque commi- atus in pristinam fortunam restituit. Item ceteros captivos recognovit, suum ilissimis honorem servans. (6) In urbe Parthienes Hecatompylo tumultus itum fit propter falsum rumorem, velle regem propediem in patriam reverti, m ut sedaret, iussu praefectorum Alexander ipse orationem habuit, (7) qua uit ad certam terrarum, quas cepissent, possessionem opus esse aliquo tem- e, (8) neque dum omnes gentes, quae Dareo paruissent, ab ipsis subactas e, quae, si liberae manerent, mox bellum renovaturae essent, (9) superesse ique Bessum, in propinquo sceleris praemiis fruentem, quem ut ulciscerentur virtutem et fidem postulare.

(10) Tumultu igitur militum sedato, Alexander per Parthienen in Hyrca- m movet. Natura vallis, qua eam terram adeunt, et amnis Ziobetis descri-

bitur. (11) Ibi litterae a Nabarzane allatae sunt, quibus se excusavit, quod necessitate coactus contra Dareum coniuraverit, seque deditioni paratum ostendit, si fidem ei rex dederit. Et eam quidem dedit Alexander. (12) Hyrcania, quam tum terram intravit, describitur, pinguissima vallis ad mare Caspium demissa. (13) Procedenti Phrataphernes, Hyrcanorum et Parthyaeorum satrapa, sese dedit, et Phradates praefectus Tapurorum, (14) porro Artabazus cum Graecis militibus ad ultimum Dareo fidelibus. Et ille quidem comiter ab Alexandro excipitur; (15) sed Graeci mille et quingenti cunctanter se regis fidei permittunt, nec tamen praeter Lacedaemoniorum legatos quicquam gravius patiuntur. (16) Tum gentem feram Mardorum propter singulare munitionis genus magna cum molestia aggressus, (17) capti etiam Bucephalae dolore graviter commovetur, equum tamen barbari reddunt, et semet ipsos pertinacia regis victi dedunt. Adiiciuntur praefecturae Phradatis. (18) Tandem Nabarzanes diu expectatus in regia urbe Hyrcaniae (*Zadracarta appellabatur*) sese Alexandri fidei permittit. (19) Ibi Thalestris, regina Amazonum, ad regem venisse fertur, cuius libidinis explendae causa complures dies substitit.

(20) Inde in Parthienen reversus superbiam et luxuriem regum Persicorum aemulari coepit; (21) cumque milites eam rem graviter ferre intellexisset, praevertendum ratus, Bessum, iam Artaxerxis nomine regem salutatum, bello persequi statuit, et sarcinas totius exercitus praeter maxime necessarias comburi iussit. (22) Iam in Bactrianam proficiscenti nuntiatur Satibarzanes, cui ipse paulo ante Arianae satrapeam restituerat, defecisse ab eo. Itaque, omisso itinere incepto, hunc prius petit. Satibarzanes cum exigua suorum manu Bactra fugit. Alexander Craterum Artacacna oppugnare iubet. (23) Ipse alios barbaros, qui in montibus consederant, igne expugnat, (24) tum Artacacna redit, dedentes semet in fidem accipit. Inde supplemento militum auctus Drangas pervenit quorum satrapes Barzaentes aufugerat.

(25) Ibi commoranti domesticae insidiae parantur, quarum particeps Dimnus rem cum Nicomacho, deliciis suis, communicat. (26) Nicomachus fratri Cebalino defert. Is Philotam adit, rogatque, ut regi nuntiet. Philotas rem procrastinat, ac suspicionem malae fidei praebet. Itaque Cebalinus per Metronem quendam rem ad Alexandrum defert. (27) Dimnus comprehensus semet ipse interficit, Cebalinus Philotam procrastinationis accusat. (28) Hic purgat se regi, quod indicium contempserit, et primum tamquam absolutus dimittitur. (29) Sed postea, consilio amicorum advocato, Craterus, inimicus Philotae, regis suspiciones adversus illum patremque eius Parmenionem acuit, (30) ceterique criminosum Philotae silentium arguentes quaestionem de eo habendam esse censent. (31) Itaque rex comiter dimissum nocte proxima cum ceteris, qui coniurasse dicebantur, vinctum in regiam attrahi iussit. (32) Luce orta in contione militum de coniuratione queritur, et auctorem eius Parmenionem, ministros Philotam, illius filium, cum Peucolao et Demetrio appellat. (33) Indicibus auditis Philotae silentium arguit, (34) reliqua animi dudum alieni argumenta colligit, aperte denique Macedones orat, ut suam salutem puniendis inimicis tueantur. (35) Tum Philotas productus miserabili aspectu animos militum movet. Verum contra eum cooriuntur et Amyntas, (36) et Coenus, et ipse rex, invidiam illi ex usu Graeci sermonis excitans. (37) Tum Philotas defensionem vix orditur: se inter coniuratos non esse nominatum, (38) unicum et verum crimen silentium esse. Id quamvis rex oranti iam remiserit, excusari tamen levitate indicis, (39) et innocentiam suam ea ipsa re probari, quod nihil biduo egerit, probari etiam vita anteacta: nec posse sibi crimini verti, quod Amyntae regis patrueli (*consobrinum appellat Curtius, vulgarem consuetudinem secutus*) amicus fuerit, et deum esse Alexandrum aegre passus sit. (40) Patris denique senis fortunam misera-

tur, et de iniqua condicione sive indicandi, sive tacendi, quae ad regis salutem pertineant, queritur. (41) Contio a Bolone quodam incitata et admonita superbiae, qua Philotas olim usus erat, capitis illum condemnat. (42) Verum supplicio in posterum dilato, rex de amicorum sententia Philotam torqueri iubet. Et primum ille fortiter dolorem fert, deinde laceratus omnia se confessurum promittit. Interim nobilissimorum equitum fuga fit, donec Alexander veterem legem de supplicio propinquorum se remittere edixit. (43) Confitetur Philotas, Hegelochum olim tribunum equitum Parmenioni sibique auctorem fuisse, regem divinitatis causa invisum interimendi, eam vero rem, donec Dareus in vivis esset, dilatam esse. Cumque initio nihil se cum Dimno commune habere dixisset, postea etiam hoc agnoscit, sed patrem Parmenionem culpae eximit. (44) Postero die in contione etiam Demetrio et Cali quodam convictis, supplicium vetusto more de coniuratis sumitur. (*Auctumno anni, ut videtur, a. Chr.* 330. *Olymp.* 112, 3.)

Supplementum Freinshemii.

[Dum ea per Asiam geruntur, ne in Graecia quidem Macedoniaque tranquillae res fuere. Regnabat apud Lacedaemonios Agis Archidami filius, qui Tarentinis opem ferens ceciderat, eodem die quo Philippus Athenienses ad Chaeroneam vicit. Is Alexandri per virtutem aemulus, cives suos stimulabat, ne Graeciam servitute Macedonum diutius premi paterentur: nisi in tempore providerent, idem iugum ad ipsos transiturum esse. Annitendum igitur, dum aliquae adhuc Persis ad resistendum vires essent: illis oppressis, adversus immanem potentiam frustra avitae libertatis memores futuros. Sic instinctis animis, occasionem belli ex commodo coeptandi circumspiciebant. Igitur felicitate Memnonis invitati, consilia cum ipso miscere aggressi sunt; et postquam ille rerum laetarum initia intempestiva morte destituit, nihilo remissius agebant. Sed ad Pharnabazum et Autophradaten profectus Agis, triginta argenti talenta, decemque triremes impetravit, quas Agesilao fratri misit, ut in Cretam navigaret, cuius insulae cultores inter Lacedaemonios et Macedonas diversis studiis distrahebantur. Legati quoque ad Dareum missi sunt, qui in usum belli ampliorem vim pecuniae pluresque naves peterent. Atque haec eorum coepta clades ad Issum (nam ea intervenerat) adeo non interpellavit, ut etiam adiuverit. Quippe fugientem insecutus Alexander in longinqua loca magis magisque rapiebatur; et ex ipso proelio mercenariorum ingens multitudo in Graeciam fuga penetraverat: quorum octo milia Persica pecunia conduxit Agis, eorumque opera plerasque Cretensium urbes recepit. Cum deinceps Menon, in Thraciam ab Alexandro missus, barbaros ad defectionem impulisset, adque eam comprimendam Antipater exercitum ex Macedonia in Thraciam duxisset, opportunitate temporis strenue usi Lacedaemonii totam Peloponnesum, paucis urbibus exceptis, in partes traxerunt, confectoque exercitu viginti milium peditum, cum equitibus bis mille, Agidi summam imperii detulerunt. Antipater ea re comperta bellum in Thracia, quibus potest conditionibus, componit; raptimque in Graeciam regressus, ab amicis sociisque civitatibus auxilia cogit. Quibus convenientibus, ad quadraginta pugnatorum milia recensuit. Advenerat et ex Peloponneso valida manus: sed quia dubiam ipsorum fidem resciverat, dissimulata suspicione gratias egit, quod ad defendendam adversus Lacedaemonios Alexandri dignitatem affuissent: scripturum se id regi, gratiam in tempore relaturo. In praesens nihil opus esse maioribus copiis: itaque domos redirent, foederis necessitate expleta. Nuntios deinde

ad Alexandrum mittit, de motu Graeciae certiorem facturos. Atque illi regem apud Bactra demum consecuti sunt: cum interim Antipatri victoria, et nece Agidis, in Arcadia transactum esset. Sane iam pridem tumultu Lacedaemoniorum cognito, quantum tot terrarum spatiis discretus potuit, providerat: Amphoterum cum Cypriis et Phoeniciis navibus in Peloponnesum navigare, Meneten tria milia talentum ad mare deferre iusserat, ut ex propinquo pecuniam Antipatro subministraret, quanta illum indigere cognovisset. Probe enim perspexerat, quanti ad omnia momenti motus istius inclinatio futura esset, quamquam deinceps accepto victoriae nuntio suis operibus id discrimen comparans, murium eam pugnam fuisse cavillatus est. Ceterum principia eius belli haud improspera Lacedaemoniis fuere. Iuxta Corrhagum Macedoniae castellum cum Antipatri militibus congressi victores extiterant: et rei bene gestae fama etiam qui suspensis mentibus fortunam spectaverant, in societatem eorum pertracti sunt. Una ex Eleis Achaeisque urbibus Pellene foedus aspernabatur; et in Arcadia Megalopolis, fida Macedonibus ob Philippi memoriam, a quo beneficiis affecta fuerat. Sed haec arte circumsessa haud procul deditione aberat, nisi tandem Antipater subvenisset. Is postquam castra castris contulit, seque numero militum alioque apparatu superiorem conspexit, quamprimum de summa rerum proelio contendere statuit: neque Lacedaemonii detrectavere certamen. Ita commissa est pugna, quae rem Spartanam maiorem in modum afflixit. Cum enim angustiis locorum, in quibus pugnabatur, confisi, ubi hosti nullum multitudinis usum futurum credebant, animose congressi essent, neque Macedones impigre resisterent, multum sanguinis fusum est. Sed postquam Antipater integram subinde manum laborantibus suis subsidio mittebat, impulsa Lacedaemoniorum acies gradum paulisper retulit. Quod conspicatus Agis, cum cohorte regia, quae ex fortissimis constabat, se in medium]

1 * * * pugnae discrimen immisit, obtruncatisque, qui prom- 1
ptius resistebant, magnam partem hostium propulit. Coe- 2
perant fugere victores, et donec avidius sequentes in planum deduxere, inulti cadebant: sed ut primum locus, in quo stare possent, fuit, aequis viribus dimicatum est. Inter 3
omnes tamen Lacedaemonios rex eminebat, non armorum modo et corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo uno vinci non potuit. Undique nunc comminus, nunc emi- 4
nus petebatur, diuque arma circumferens, alia tela clipeo excipiebat, corpore alia vitabat: donec hasta femina per-

Liber VI. Cap. 1, §. 2. *et donec — inulti cadebant*] Sic Modius partim ex coniectura partim ex libris correxit; et copulam quidem, cum a libris abesset, de suo adiecit, in quo eum ceteri editores secuti sunt, *inulti*, quod e libris mstis sumpsit, quodque in Bern. A Leid. Flor. AB extat, recipere plerique noluerunt. At pertinet hoc vel maxime ad id quod sequitur aequis viribus post paulo dimicatum esse, estque illorum permutatio verborum longe frequentissima. Vide ex. gr. ad III, 27 extr.

in quo stare possent] Nescio quemadmodum explicuerint quod vulgo ediderunt, *posset*. Nam et victores antea et qui nunc resistunt, Macedones sunt. Certe in libris nostris omnibus et Snak. Voss. 2 (solo scilicet!) *possent* legitur.

§. 4. *corpore alia vitabat*] Cicero in Catil. Orat. 1 c. 6 *quot ego petitiones tuas ita coniectas ut vitari non*

5 fossa, plurimo sanguine effuso, destituere pugnantem. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, 6 iactationem vulnerum haud facile tolerantem. Non tamen omisere Lacedaemonii pugnam, et ut primum sibi quam hosti aequiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus 7 effuse fluentem in se aciem excepere. Non aliud discrimen vehementius fuisse memoriae proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugna- 8 bant. Lacedaemonii vetera, Macedones praesentia decora intuebantur: illi pro libertate, hi pro dominatione pugna- 9 bant: Lacedaemoniis dux, Macedonibus locus deerat. Diei quoque unius tam multiplex casus modo spem, modo metum utriusque partis augebat, velut de industria inter for- 10 tissimos viros certamen aequante fortuna. Ceterum angustiae loci, in quo haeserat pugna, non patiebantur totis ingredi viribus: expectabant ergo plures quam inierant proelium, et qui extra teli iactum erant, clamore invicem suos accendebant.

11 Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma su- 2
dore vix sustinens; pedem deinde referre coepit et urgente 12 hoste apertius fugere. Insequebatur dissipatos victor, et

posse viderentur, *parva quadem declinatione*, *et*, *ut aiunt*, *corpore effugi*. Ipse Curtius VII, 19 et IX, 29 *corporis declinationem* maluit dicere.

femina perfossa] Optimi quique libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB exquisitiorem hanc vocem pro vulg. *femora* exhibent, sed unus Modius adhuc in textum recepit. Cf. ad III, 30, 2. Ceterum non *femora*, sed *femore* alia praeterea correctione usi exhibent Bern. B Flor. F, et *perfossa femora* Flor. G.

§. 6. *effuse fluentem*] *Effusi* codd. et editiones antiquae, sed recte correxit Acidalius.

§. 10. *totis ingredi viribus*] Codd. eadem constantia *ingredi* exhibent, qua edita exemplaria, etiam Modianum, *congredi*. Recte tamen opinor Snakenb. iudicasse, nullam esse causam cur codicum auctoritas contemnatur. Supple *locum* e praegressis: augustiae loci prohibebant quominus totis viribus, i. e. omnibus copiis, ingrederentur locum ubi pugna constiterat. Quod sequitur *expectabant*, a Iunio primo sive ex uno aliquo codice, qualis est Flor. G, protractum, sive quod magis credo, coniectura mutatum est, ut esset *spectabant*, cuius rationes intelligere quidem videor, sed parum probo. Expectabant illi pugnae eventum, ut, sicut res posceret, aut in locum commilitonum succederent, aut fugerent. Vulgo tamen Iuniana lectio recepta est.

Cap. 2, §. 11. *et urgente hoste apertius fugere*] Codd. et edd. vett. *ut urgente — fugeret*, quae coniungendi ratio cum iure Modium offendisset, de coniectura sua edidit *ac urgente hoste apertius fugere;* peius etiam Freinsh. *urg. hoste* cum praecedentibus coniungens: *ac apertius fugere*. Apparet, opinor, corrigendum fuisse ut edidi, nam *ut* et *et* facile commutantur, cuius rei exempla vide a Drak. ad Liv. XXI, 28, 8 colle-

emensus cursu omne spatium, quod acies Laconum obtinuerat, ipsum Agin persequebatur. Ille, ut fugam suorum 13
et proximos hostium conspexit, deponi se iussit: expertusque membra, an impetum animi sequi possent, postquam 14
deficere sensit, poplitibus semet excepit, galeaque strenue sumpta, clypeo protegens corpus, hastam dextra vibrabat, ultro vocans hostem, si quis iacenti spolia demere auderet. Nec quisquam fuit, qui sustineret comminus congredi. 15
Procul missilibus appetebatur, ea ipsa in hostem retorquens, donec lancea nudo pectori infixa est: qua ex vulnere evolsa, inclinatum ac deficiens caput clypeo paulisper excepit, deinde linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit. Cecidere Lacedaemoniorum v milia et ccc, 16
ex Macedonibus haud amplius mille: ceterum vix quisquam nisi saucius revertit in castra.

3 Haec victoria non Spartam modo sociosque eius, sed etiam omnes, qui fortunam belli spectaverant, fregit. Nec 17
fallebat Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium vultus; sed bellum finire cupienti opus erat decipi. Et quamquam fortuna rerum placebat, invidiam tamen, quia maio-

cta, et verborum terminationes *ret* et *re* in libris Curtianis confusas saepe vidimus, vid. Indicem.

§. 12. *ipsum Agin*] Sic traditur legi in Leidensi libro, Voss. 1 Bern. A Flor. A *Hagin*, reliqui libri mss. *agmen*. Sed certissime apparet non *Agim* sed Graeca terminatione *in* scribendum fuisse.

§. 14. *postquam deficere sensit*] Non dicit auctor, regem ipsum animo defecisse, sed membra invalida fuisse nec usum suum praestitisse. Hoc cum recte Schefferus intellexisset, deleri iussit quod vulgo editur pronomen *se deficere sensit*. Omiserat iam olim Modius, neque nunc repetent, cum absit a Snakenburgii libris et omnibus nostris uno excepto Florentino B.

§. 15. *evolsa*] Sic verbum constanter scribitur in optimis, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A pro vulg. *evulsa*.

§. 16. *V milia et CCC — haud amplius mille*] Vulgo ad priorem numerum adduntur LX, alter ita imminuitur ut sint *trecenti*. Sed hunc quidem numerum in nullo equidem codice inveni, neque alii invenerunt, sed eius loco Flor. ABM̄, Bern. A et Leid. item QQ, ceteri X quam notam ex illa numeri millenarii ortam puto. Cf. paulo post ad c. 5, 9 et ad VIII, 15, 13, item Append. V, 24, 8.

In priore autem numero LX qui omittant libri sunt complures, etiam ex deteriore familia, atque certum hoc prorsus haberi debet, quia idem numerus est apud Diodorum, c. 63. Graecus tamen auctor Macedonum tradit cecidisse tria milia quingentos, sed noluisse hoc Romanum indicio est quod adiicit *non amplius*.

Cap. 3; §. 16. *sed etiam omnes*] *Omnis* Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1, *set omnes* Flor. B, *sed omnes* Flor. E. Post *fortunam bellam* iidem illi libri alias integri.

res res erant, quam quas praefecti modus caperet, metue-
18 bat. Quippe Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suae demptum glo-
19 riae existimans, quicquid cessisset alienae. Itaque Antipater qui probe nosset spiritus eius, non est ausus ipse agere arbitria victoriae, sed concilium Graecorum, quid fieri pla-
20 ceret, consuluit. A quo Lacedaemonii, nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, Tegeatae veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Megalepolitanis, quorum urbs obsessa erat a defectionis sociis, Achaei et Elei

§. 19. *probe nosset spiritus eius*] Vulgo *spiritum*, sed pluralem numerum plurimorum librorum auctoritas defendit Leid. Voss. 1. 2 meorumque omnium, exceptis Flor. BC. Rectissime quoniam *spiritus* plurali numero etiam unius hominis superbia dicitur. Ceterum recte coniecisse Antipatrum ipse indicat scriptor libro X, 31.

agere arbitria victoriae] Olim fuit *arbitrio*, sed correxit Modius omnium librorum mstorum consensu. Liviana est locutio, de qua vide Gronovii Obss. lib. IV c. 11 pag. 647 edit. Lips. et conf. lib. VIII, 4, 34. Iunius correxerat *arbitrum*, non male, nisi verum esset alterum.

concilium Graec. — consuluit] *Consilium* plerique omnes libri manuscripti, sed tuentur tamen Flor. A Bern. A vulgatam quam etiam propter vicinum verbum *consulendi* deserere nolim. Cf. ad VIII, 24 pr. Hoc loco dicuntur congregatae legationes civitatium Graecarum foedere Macedonico coniunctarum, quod scriptores commune Graecorum concilium appellare solent (*τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων συνέδριον*, Diodor. XVII, 73). De Graeciae rebus imperante Alexandro olim, dum in Curtio recensendo versor, libellum composui insertum in libro menstruo Zeitschrift für Kunst, Wissenschaft und Geschichte des Krieges, Vol. V fasc. 7. 8. 9. Berol. 1825.

§. 20. *Tegeatae veniam defectionis — impetraverunt*] Videor mihi medicinam huic loco attulisse, quam ut viris doctis probem experiendum est. In codd. Leid. Voss. 1 Flor. AB sic legitur: *liceret procati geatae veniam:* in Bern. A *precati* deest et expletur manu recentiore in margine, tum *geatae veniam*, in ceteris illud quod fuerat *geatae* corruptum est *grate*, *gratae*, *gerere*, pro *precati* in nonnullis (Bern. B Flor. DF GHI Pal. 1) invenitur *precari*. Apparet civitatis alicuius nomen in his vocibus latere, nam ipsorum Lacedaemoniorum causa integra ad regem Alexandrum reiecta est, quae verba sunt Diodori lib. XVII, c. 73. Ac mihi quidem fit verisimile verbum *precati* a vetere correctore adiectum esse ut ex eo penderet colon *ut — mittere liceret*, in syllabis autem istis *geatae* latere *Tegeatarum* nomen. Sic enim et litterarum ductus iubent et historiae fides concordat. Aeschines enim adv. Ctesiphontem p. 77 §. 165 Bekk. sic dicit de hoc bello Graecorum: *Λακεδαιμόνιοι μὲν καὶ τὸ ξενικὸν ἐπέντυχον μάχῃ καὶ διέφθειραν τοὺς περὶ Κόῤῥαγον στρατιώτας, Ἠλεῖοι δ' αὐτοῖς συμμετεβάλοντο καὶ Ἀχαιοὶ πάντες πλὴν Πελληναίων καὶ Ἀρκαδία πᾶσα πλὴν Μεγάλης πόλεως, αὕτη δὲ ἐπολιορκεῖτο καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπίδοξος ἦν ἁλῶναι.* Itaque Arcadiae civitatem nobilissimam huc inferentes certe non multum ab ipsa auctoris mente aberrasse nos existimamus.

Quae sequuntur itidem corrupta sunt; quae in Flor. A sic leguntur: *Maegalepolitani quorum urbs obsesserat a defectionis eius achas eteli* cet. Bern. A *megale politanis, quorum urbs erat obsessa a defectionis eius achas et eli.* Snak. ex Leid. affert: *Maegalepolitani* et *a defectionis eius*, ex Voss. 1 *obsesserat* et *Achas Siteli.* Flor. B *maegale politani quorum urbs obsessa erat ad effectionis eius. Obsessa erat* etiam in re-

cxx talenta dare iussi sunt. Hic fuit exitus belli, quod 21
repente ortum, prius tamen finitum est, quam Dareum Alexander apud Arbela superaret.

4 Sed ut primum instantibus curis laxatus est animus, II.
militarium rerum quam quietis otiique patientior, excepere eum voluptates, et quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt: intempestiva convivia, et perpotandi pervigilandi- 2
que insana dulcedo, ludique, et greges pellicum, omnia in externum lapsa morem. Quem aemulatus quasi potiorem suo, ita popularium animos oculosque pariter offendit, ut a
plerisque amicorum pro hoste haberetur. Tenaces quippe 3
disciplinae suae, solitosque parco ac parabili victu ad implenda naturae desideria defungi, in peregrina et devicta-

liquis Florentinis recte correctum est, sed populorum nomina varie corrupta leguntur Flor. B *Achasquameli*, CFGHI Bern. B *Achasetoli*, D *Achasetali* E *cichasetoli*. Pro *a def.* in aliquot libris Flor. DEFHI *ad def.* legitur, unde Aldus adiecta praeterea voce fecit *ad def. eius mulctam*. Iam vulg. hodie lectio *Megalopolitani, quorum urbs erat obsessa a defectione, Achaeis et Aetolis — dare iussi sunt* prorsus contra rei veritatem est, nam Megalepolitonos qui convenit, cum fidelitatis praemia expectare deberent, multă esse punitos? Itaque recte olim Modius et post eum Gronovius *Megalopolitanis* scribendum censuerunt, iidem *Eleos* restituerunt. Sed quod Modius *a defectione*, id est, si recte intelligo, propter defectionem, omisso *eius*, edidit, Gronovius deleta praepositione *defectionis rei* corrigendum statuit, in eo ab utroque discessi, et edere ausus sum *a defectionis sociis*, litterarum similitudinem et sermonis usum secutus. Ceterum de forma *Megalepolitanus* vide ad X, 27.

§. 21. *prius tamen finitum*. Hoc falsum est, et pugnat ipse secum Curtius lib. VII, 19, cf. etiam Aeschin. adv. Ctes. §. 165 Bek. qui cum dicat *Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει*, de Babyloniae regione certe non cogitat. Schmiederus ad libr. IV, 1, §. 38 ordinem rerum gestarum descripsit. Nimirum pugna ad Arbela facta est adulta aestate (accuratius Cal. Octob.) a. 331 Olymp. 112, 2; Lacedaemonii uno anno post ineunte aestate victi (item Olymp. 112, 2,) eodem fere tempore quo Dareus occisus est, sed eius rei fama nondum in Graeciam perlata, quod apparet ex Aesch. orat. §. 132.

Cap. 4, §. 2. *intempestiva convivia* quae eadem paulo post redeunt his quidem locis in omnibus codd. sunt, neque ullam causam video, cur a Lipsii iudicio (Excurs. A ad Taciti Annal. XIV) recedam, quamvis *tempestiva convivia* longe saepius legantur, *intempestiva* hisce locis et Ciceronis p. Mur. 6 exceptis fortasse nusquam satis se librorum auctoritate tueantur. Ex Bong. 1 *tempestiva* utroque loco citatur, sed unius et prorsus incerti libri in tanto ceterorum et optimorum consensu nulla fides est. Explica igitur convivia in multam noctem (quae et ipsa intempesta dicitur) producta.

omnia in externum lapsa morem] Delevi, quod vulgo additur, *sunt* auctoritate optimorum librorum Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1. Nominativi sunt quasi absoluti, sed subintellecto *tum erant* s. *vigebant* explicandi, cohaerentes etiam cum praegresso nominativo *vitia*. Quod sequitur *quem* in libris manuscriptis et edd. antiquis est *quemque*, sed librariorum culpam puto, recte sublatam a Iunio.

rum gentium mala impulerat. Hinc saepius comparatae in caput eius insidiae, secessio militum, et liberior inter mutuas querelas dolor, ipsius deinde nunc ira, nunc suspiciones, quas excitabat inconsultus pavor, ceteraque his similia, quae deinde dicentur.

Igitur cum intempestivis conviviis dies pariter noctesque consumeret, satietatem epularum ludis interpellabat, non contentus artificum, quos e Graecia exciverat, turba: quippe captivae iubebantur suo ritu canere, inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam rex ipse conspexit maestiorem quam ceteras, et producentibus eam verecunde reluctantem. Excellens erat forma, et formam pudor honestabat: deiectis in terram oculis, et, quantum licebat, ore velato, suspicionem praebuit regi, nobiliorem esse, quam ut inter conviviales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata, quaenam esset? neptim se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam esse, respondit; uxorem Hystaspis fuisse. Propinquus hic Darei fuerat, magni et ipse exercitus praetor. Adhuc in animo regis tenues reli-

Cap. 5, §. 5. *ludis interpellabat* omnes codd. nostri. Vulgo et male quidem *interpolabat*. Vide ad IV, 28.

exciverat, turba] Codd. omnes et editiones antiquae *turbae*, quapropter erunt qui de constructione adiectivi *contentus* cum Genitivo cogitent. Sed Curtius sic non loquitur et cetera quae afferri solent eius locutionis exempla, si diligentius excutiantur, dubia sunt omnia. Vide Ruhnk. ad Vellei. II, 88. Sed *exciverat* pro vulg. *excitaverat* recte correxerunt Modius et Schefferus. Interest enim aliquid inter ea verba, et ad hunc locum unice convenit *excire*, i. e. evocare ad se. Accedit nunc auctoritas meorum codicum omnium. (Snak. omittit *captivae iubebantur*. Additur vulgo *feminarum*, sed abest illa vox a codicibus plerisque omnibus. Meorum habet unus Flor. G *feminarum captiva* Voss. 2 quem propterea patronum vulgatae possis habere.)

§. 6. *inter conviviales ludos*] Vulgo *convivales*, sicut infra VIII, 43, 16 *convivalia vasa* sine varietate leguntur. Nostra scribendi ratio nititur auctoritate Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 Modianae editionis. Ad analogiam quidem pariter a conviva *convivalis* et a convivio *convivialis* deducitur, nec videtur iure de hac voce dubitasse Drakenborchius ad Livium XXXIX, 6 extr. Similis olim dissensus editorum fuit apud Ovidium, utrum *coniugalis* producta vocali diceretur an *coniugialis* quinque syllabis et servata secundae mensura. Vide criticos editores ad Metamorph. lib. V init.

§. 7. *neptim se Ochi*] Accusativum a vulgari ratione discedentem, nam *neptem* commendat etiam Charisius p. 70 Putsch., cuius alibi nullum exemplum invenerim, codd. optimi Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 consensu tuentur. Addatur igitur Grammaticorum institutionibus, Schneideri quidem pag. 210.

uxorem Hystaspis] Scribitur vulgo *Histaspis*, sed *y* in aliquot libris Flor. BCDEF Bern. B est; magis notandum omnes nostros terminationem *apsis* habere, sed in eiusmodi rebus Graeci potius audiendi sunt.

quiae pristini moris haerebant. Itaque fortunam regia stirpe genitae et tam celebre nomen reveritus, non dimitti modo captivam, sed etiam restitui ei suas opes iussit, virum 9
quoque requiri, ut reperto coniugem redderet.

Postero autem die praecepit Hephaestioni, ut omnes captivos in regiam iuberet adduci. Ibi singulorum nobilitate spectata, secrevit a vulgo, quorum eminebat genus. Mille hi fuerunt: inter quos repertus est Oxathres, Darei frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. Sex et viginti milia talentum proxima praeda redacta 10
erant: quis e duodecim milia in congiarium militum absumpta sunt. Par huic pecuniae summa custodum fraude subtracta est. Oxydates erat nobilis Perses, qui a Dareo 11
capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis; huic liberato satrapeam Mediae attribuit: fratremque Darei re-

§. 8. *tam celebre nomen*] Mirum, in optimis etiam codicibus manifestum glossema adiici *neptem Ochi*. Primus sustulit Modius, a quo quamquam librorum auctoritate non adiuto, nemo tamen insequentium abire ausus est.

§. 9. *Ibi singulorum*] Vulgo *ubi*: sed sequor Bern. A Flor. ABG Leid. *Mille hi fuerunt*] Vulgo *decem hi fuerunt* ex deterioribus libris editur. In Leid. Voss. 1 Bern. A ∞, in Flor. AB M est, Flor. C imminuere numerum coepit CC fuisse tradens. Non ego miror nobilium captivorum multitudinem, quoniam verisimile est Dareum optimos quosque secum congregasse in Media.

§. 10. *Sex et viginti milia*] Codd. Flor. pars XXVI *talentum*, pars XXVI, qua lineola milia significantur, etiam quod sequitur *duodecim*, in quibus codicibus non literis scribitur, lineolam superinductam habet eiusdem significationis. Edidi autem *quis e* ex libris optimis Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1. Ceteri Flor. et Bern. B *quis* sine *e* habent, unus tantum C *Equis*. Postponitur ea praepositio pronomini relativo apud poëtas tantum, sed *de* et *per* etiam apud Ciceronem ita collocantur. Cic. in Rull. II, 30 pr. *Quem agrum nunc praetereuntes vestrum esse dicitis, et quem per iter qui faciunt externi homines vestrum esse audiunt.* Mox *absumpta* coniectura certissima dedit primus Iunius, priores enim edd. et codd. *adsumpta* sive *assumpta*. Unus Flor. D fortasse incuria *absumpta*. Ceterum quod h. l. Curtius de pecunia Ecbatanis reperta deque congiario militari tradit, aliter est apud Diodorum lib. XVII, 74, aliter etiam apud Arrianum III, 19. Arrianus enim antequam Dareus occisus esset Ecbatanis dimissos narrat Thessalos equites aliosque auxiliares, iisque a rege dono data esse duo milia talentum, nihil de dimissione ac donatione militum in Parthia facta addit. Neque tamen facere non possum quin in hac re *Diodorum* potius sequendum existimem, qui ista omnia non Ecbatanis sed in Parthia facta tradit, Dareo interfecto et Besso rebellionem parante, a qua narratione ne Curtius quidem abhorret, si ea quae hoc loco de donativo (*congiarium* militum donativum vocat etiam Cicero ad Att. XVI, 8) dicit, praecepta putas occasione pecuniae repertae. Quod addit parem huic pecuniae summam custodum fraude subtractam esse, pertinet haud dubie ad tempus ante Alexandri in urbem Ecbatana adventum, ut minime necesse sit XIII cum Loccenio emendare, scilicet ne nihil reliqui esset.

cepit in cohortem amicorum, omni vetustae claritatis honore servato.

12 Hinc in Parthienen perventum est, tunc ignobilem gen- 6
tem, nunc caput omnium, qui post Euphraten et Tigrim
13 amnes siti, rubro mari terminantur. Scythae regionem campestrem ac fertilem occupaverunt, graves adhuc accolae. Sedes habent et in Europa, et in Asia: qui super Bosporum colunt, adscribuntur Asiae; at qui in Europa sunt, a laevo Thraciae latere ad Borysthenem, atque inde ad Ta-
14 naim, alium amnem, recta plaga attinent. Tanais Europam et Asiam medius interfluit. Nec dubitatur, quin Scythae, qui Parthos condidere, non a Bosporo, sed ex Europae regione penetraverint.

15 Urbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita a Graecis: ibi stativa rex habuit, commeatibus undique advectis. Itaque rumor, otiosi militis vitium, sine auctore

Cap. 6, §. 12. *in Parthienen*] Primae declinationis terminationem codd. Flor. DEFHI habent, ceteri *Parthienem*, sed res non est dubia, quum nominativus sit *Parthiene*. Mox *Euphraten* Bern. A Flor. ADFG, sed *Tigrin* pro eo quod est *Tigrim* unus Flor. F.

§. 13. *Scythae — occupaverunt*, i. e. Parthi qui nunc eam terram incolunt, Scythia oriundi sunt et eiusdem generis. Cf. supra IV, 45, 11.

qui super Bosporum colunt] Bosporum Cimmerium intelligi patet, qui mare Euxinum cum palude Maeotide coniungit. Et *super* dicit, quod terra adiacens surgit, quae propria significatio semper fere locum habet, nisi ubi geographorum more superiora intelliguntur quae ad septentriones versa sunt. Hoc autem loco terram constat intelligi quae orientem versus est a Maeotide et Tanai Europaeo. *Mare*, quod ad *Bosporum* in edd. vett. et plerisque codicibus deterioris ordinis adiicitur, a Modio primo sublatum est auctoritate meliorum librorum, quales sunt Bern. A Flor. AB (sed hac quidem in re etiam Flor. CD). Scribitur autem in omnibus mss. quantum video in melioribus *ph*, in deterioribus *f*, in nullo nec in vulgo editis *Bosporus*. Verum hac quoque in re Graecorum auctoritas librariorum Latinorum ignorantiae praeferenda videtur.

a laevo Thraciae latere] Laevum latus dicit ad Istrum, nec immerito quasi Thracia ipsa Pontum spectet.

§. 14. *non a Bosp. sed ex Europae regione*] At hoc ipsum nullo modo credibile est, ortum autem est ex eo quod Scythas sive Parthos Tanaim transgressos in haec loca venisse constitit, nimirum eum Tanaim quem Alexandri comites opinabantur, cum Iaxartes esset, cuius erroris ab Arriano III, 30 convicti etiam Curtius noster Graeco auctore suo deceptus particeps est, uti patet VII, 29. Tanaim autem quia Europam et Asiam interfluere et discriminare sciebant, eos qui Tanaim transissent ex Europa venisse opinabantur. Ceterum *ex Europ. reg.* omnes nostri cum Voss. 1. 2. Vulgo *ex reg. Eur.*

§. 15. *condita a Graecis*] Hae nugae sunt. Urbs antiqua fuit haud dubie, cui nomen Graecum imposuisse fertur Seleucus Nicator Syriae rex apud Appianum Syriacis cap. 57. Quaerunt hodie ad Damayhan quod est.

otiosi militis vitium] Edd. vett. Vind. Mer. Ald. Iuniana *viritim* exhibent, sustulit mendum Sigebergensis codicis auctoritate Modius. Apparet ex quibus

percrebruit, regem contentum rebus, quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse. Discurrunt lymphatis 16
similes in tabernacula, et itineri sarcinas aptant: signum datum crederes, ut vasa colligerent. Totis castris tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra, perfertur ad regem. Fecerant fidem rumori temere 17
vulgato Graeci milites, redire iussi domos, quorum equitibus singulis denarium sena milia [data.] Ipsis quoque finem militiae adesse credebant. Haud secus quam par erat 18
territus, qui Indos atque ultima Orientis peragrare statuisset, praefectos copiarum in praetorium contrahit: obortisque lacrimis, ex medio gloriae spatio revocari se, victi magis quam victoris fortunam in patriam relaturum conquestus est, nec sibi ignaviam militum obstare, sed deorum 19
invidiam, qui fortissimis viris subitum patriae desiderium admovissent, paulo post in eandem cum maiore laude famaque redituris. Tum vero pro se quisque operam suam 20
offerre, difficillima quaeque poscere, polliceri militum quoque obsequium, si animos eorum leni et apta oratione permulcere voluisset. Nunquam infractos et abiectos reces- 21
sisse, quotiens ipsius alacritatem et tanti animi spiritus haurire potuissent. Ita se facturum esse respondit: illi modo

codicibus Curtii libri primum typis descripti sint, nam e nostris unus Flor. G istud *viritim* habet, ex olim collatis Pal. 1.

§. 16. *discurrunt — in tabernacula*] Praepositionem et Snakenb. codices et mei, uno Flor. G excepto, omittunt, neque tamen abesse posse crediderim.

signum datum crederes] Posset explicari quod olim ante Modium edebatur, quodque in codicibus plerisque omnibus est, *signo dato*, verum longe praestat Modiana lectio, quae in Flor. A et Bern. A (adde Leid. Voss. 1) et in marg. Iun. extat. In Flor. G *signo dato* ex correct. legitur.

§. 17. *denarium sena milia*] *Denarium*, legitimam formam, libri Snakenb. et nostri omnes exhibent, praeter unum Flor. G in quo *denariorum* est sicut vulgo (etiam a Modio) editur. Deinde vulgo additur *dono dederat*, pro quo ego substitui *data*. Nimirum utrumque exiguam auctoritatem habet, sed illud minimam, e meis libris unius Flor. G nec ullius de ceteris, qui quidem nomine possit citari; *data* autem est in Pal. 1 Flor. DF et in I superscriptum. Vera vox exciderat.

§. 18. *territus, qui*] Omisi *Alexandri* nomen, quia abest ab optimis libris (itemque a Flor. C Voss. 2), et potest cogitatione suppleri. Vide ad v, 10. *Statuisset* in optimis legitur ac praeterea in Flor. G: ex hoc aut huius simili in edd. venit, nam reliqui nostri et Pal. 1 Voss. 2 cum detrimento Latinitatis habent *statuit*. In iisdem libris deterioribus *praetores copiarum*.

§. 21. *Illi modo — praeparaverat*] *Modo* scriptum fuit in edit. princ. Iun. Mod., Aldinus editor dederat *vero*, re-

vulgi aures praepararent sibi. Satisque omnibus, quae in rem videbantur esse, compositis, vocari ad contionem exercitum iussit, apud quem talem orationem habuit:

II. *Magnitudinem rerum, quas gessimus, milites, intuentibus* 7
vobis, minime mirum est, et desiderium quietis et satietatem
2 *gloriae occurrere. Ut omittam Illyrios, Triballos, Boeotiam,*
Thraciam, Spartam, Achaeos, Peloponnesum, quorum alia ductu
3 *meo, alia imperio auspicioque perdomui, ecce orsum bellum ab*
Hellesponto: Ionas, Aeolidem servitio barbariae impotentis
exemimus, Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphla-
goniam, Pamphyliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam, Phoenicen, Ar-
meniam, Persidem, Medos, Parthienen habemus in potestate:
4 *plures provincias complexus sum, quam alii urbes ceperunt, et*
nescio an enumeranti mihi quaedam ipsarum rerum multitudo
subduxerit. Itaque si crederem, satis certam esse possessionem
terrarum, quas tanta velocitate domuimus, ego vero, milites, ad
penates meos, ad parentem sororesque, et ceteros cives, vel e
tinentibus vobis, erumperem, ut ibi potissimum parta vobiscum
laude et gloria fruerer, ubi nos uberrima victoriae praemia ex-
pectant, liberum, coniugum, parentumque laetitia, pax, quies, re-
rum per virtutem partarum secura possessio. Sed in novo, et

centiores sustulerunt, male. Est enim *modo* in optimis et Flor. G, in reliquis *vero*. Tum Modius inepte *vulgi* sustulit, quia posset abesse. *Praeparent* autem in editis est omnibus: equidem correxi et dedi *praepararent*, ut legitur in Leid. et Bern. A (mirum etiam in Voss. 2 cum ex Flor. nihil a vulg. *praeparent* diversum enotatum sit).

Cap. 7, §. 3. *ecce orsum bellum ab Hellesponto*] Sic refinxi corruptam scripturam, et *orsum* quidem in codicibus ad unum omnibus legitur, *ab Hell.* est quidem in uno Flor. G, sed facili emendatione procedit etiam ex eo quod in Leid. Voss. 1 Bern. A (a pr. m.) Flor. A legitur *ad Hellesponto*, cum in reliquis et vulgo sit *ad Hellespontum*. Est hoc, sicut esse debet, quasi exordium recensionis quae sequitur victoriarum, quod qui minus commodum putarent *orsi* correxerunt, ut in unam cum ceteris periodum coiret.

Pisidas] Correxit Modius vitium codd. mss. et superiorum editionum *Pisides*. Unus Flor. G *Pisidiam*; quod non sane displicet. *Phoenicen* sicut recte idem Modius ac multo post repetivit Snakenburgius unus meorum Flor. A (reliqui et Freinsh. *Phoenicem*): *Parthienen* multo plures habent, sed vulgo itidem soloece *Parthienem* circumfertur.

§. 5. *vel retinentibus vobis*] Sic editiones principes et libri msti nostri quidem et Snakenb. omnes exhibent, ut mirer qui factum sit ut Iuniana correctio *renitentibus* tamdiu locum obtinuerit. Est enim *retinendi* verbum aptissimum ei quod sequitur *erumpere*. *liberum* itidem omnes mei uno Flor. G excepto pro vulg. *liberorum*. Etiam VI, 40, 31 et VIII, 12, 14 librarii suam verbi formam auctori male subiecerunt. Reliquerunt autem IX, 7, 7. *Liberorum* contra sine varietate est VII, 3, 24.

(si verum fateri volumus) precario imperio, adhuc iugum eius rigida cervice subeuntibus barbaris, tempore, milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, et efferatos melior consuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem statuto tempore 7
expectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid? creditis tot gentes, alterius imperio ac 8
nomine assuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguae nobiscum cohaerentes, eodem proelio domitas esse; quo victae sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus, et qui praesentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas et inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat.

8 *Et adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis,* 9
quae fuerunt in dicione Darei. Hyrcaniam Nabarzanes occupavit; Bactra non possidet solum parricida Bessus, sed etiam minatur; Sogdiani, Dahae, Massagetae, Sacae, Indi sui iuris sunt. Omnes hi, simul terga nostra viderint, sequentur. Illi 10
enim eiusdem nationis sunt, nos alienigenae et externi. Suis quisque autem placidius paret, etiam cum is praeest, qui ma-

§. 6. *dum — imbuuntur et — permulcet*] Sic editum erat a veteribus quantum video omnibus, donec Raderus puto et Freinsh. *imbuantur*, *permulceat* invexerunt. Falsum hoc equidem minime dixerim, potest enim consilium victoris exprimi, sed ne simplex quidem temporis significatio a re aliena est. Auctoritas vero librorum pro indicativis est: nam *permulceat* non est nisi in Pal. 1 Flor. DFI Bern. B, *imbuantur* in Flor. AB quod miror quoniam Leid. Voss. 1 Bern. A cum reliquis habent *imbuuntur*. Sed insuper etiam *melior consuetudo* revocanda videtur in textum vel contra suffragia Florentinorum AB, quibus vulgata *mollior* nititur. Nam contra stant cum reliquis Bern. A Leid. Voss. 1 et Modiana editio atque ipsa dignitas orationis.

§. 7. *statuto tempore*] Freinsh. maluit *stato*. Sed ne unus quidem codex corrigenti favet. Cf. ad v, 3 *statutas vices temporum*.

§. 8. *nomine assuetas*] Modiana et Basil. editio *nomini*. Cf. ad III, 23 *assueta corporis custodia*, et v, 33, 9.

et qui praesentes] Auget haec sententia praecedentem, non opponitur: itaque recte videtur Modius correxisse quod in codd. omnibus et edd. antiquis est *sed:* secutique sunt reliqui.

Cap. 8, §. 9. *simul terga nostra viderint*] Ante Modium sic edebatur *omnes hi simul, si terga nostra viderint, sequentur*, sicut legitur in Bern. B Flor. DEFGI et C nisi quod in hoc *viderent*, in H deest aliquid. In optimis Leid. Flor. AB Bern. A *viderunt si sequentur* in Voss. 1 *viderint si sequentur*. Miror quo istud *si* pertineat, ni bene coniecerit Heinsius (quod iam in margine Iunianae legitur) *insequentur*. Adhuc autem omnes recte Modium fecisse existimarunt.

§. 10. *Suis quisque autem placidius paret*] Vulgo legitur *suis autem quique parent placidius*. Nos emendationem secuti sumus Modianam: nam his ipsis verbis fuisse in libris manuscriptis illius non credo, nostri enim et Snakenb.

11 *gis timeri potest. Proinde aut quae cepimus omittenda sunt, aut quae non habemus occupanda. Sicut in corporibus aegris, milites, nihil quod nociturum est, medici relinquunt, sic nos, quicquid obstat imperio, recidamus. Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium. Nihil tuto in hoste de-*
12 *spicitur: quem spreveris, valentiorem negligentia facias. Ne Dareus quidem hereditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri, beneficio Bagoae, castrati hominis, admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occupaturum.*

13 *Nos vero peccavimus, milites, si Dareum ob hoc vicimus,* 9
ut servo eius traderemus imperium: qui ultimum ausus scelus, regem suum, etiam externae opis egentem, certe cui nos victores pepercissemus, quasi captivum in vinculis habuit, ad ulti-
14 *mum, ne a nobis conservari posset, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci affixum videre festino, omnibus regibus gentibusque et fidei, quam violavit, meritas poenas sol-*
15 *ventem. At hercule, si mox eundem Graecorum urbes aut Hellespontum vastare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum praemia vestrae occupavisse victoriae? Tunc ad repe-*
16 *tendas res festinabitis, tunc arma capietis. Quanto autem praestat, territum adhuc et vix mentis suae compotem opprimere? Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcavimus nives, tot amnes superavimus, tot montium iuga transcucurrimus. Non*

optimi *suisque autem* post *pl. paret*, ceteri nihil mutant nisi *parent*, Flor. G proxime ad verum accessit, veruntamen de suo non potuit non aliquid addere: *suis quisque enim placidius paret.* Ambiguum autem est quod sequitur *qui magis timeri potest*, utrum ad Bessum referatur an ad Alexandrum. Freinshemius illud censebat, nec recuso, sed *magis* tum pro potius accipiendum, ut verba *placide parere* et *timere* opponantur. Itaque ad Alex. malim referre.

§. 11. *valentiorem negl. facias*] Vulgo *facies*, nos maluimus sequi Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1, coniunctivum ex eleganti Latinitate pro futuro positum correctorum libidini cessisse rati. *Neglegentia* Bern. A.

Cap. 9, §. 14. *et fidei*] Elegantius haud dubie sic dicitur homo sceleratus ipsi *Fidei* poenam daturus quam si cum vulgatis libris *et* deleatur. Nostri et Snak. codd. ad unum omnes coniunctionem tuentur.

§. 15. *occupavisse* pro vulg. *occupasse* scripsi ex Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1. Paulo post §. 16 *transcucurrimus* Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 et edit. Mod. exhibent, quod nihil obstat quin verum existimemus. Vide infra ad IX, 1, 3. De felici itinere secundum mare Pamphylium vide supra V, 12, 22.

mare illud, quod exaestuans iter fluctibus occupat, euntes nos moratur, non Ciliciae fauces et angustiae includunt: plana omnia et prona sunt. In ipso limine victoriae stamus. Pauci 17
nobis fugitivi et domini sui interfectores supersunt. Egregium mehercule opus, et inter prima gloriae vestrae numerandum, posteritati famaeque tradetis, Darei quoque hostis, finito post mortem illius odio, parricidas esse vos ultos, neminem impium effugisse vestras manus. Hoc perpetrato, quanto creditis Per- 18
sas obsequentiores fore, cum intellexerint vos pia bella suscipere, et Bessi sceleri, non nomini suo, irasci!

10 Summa militum alacritate, iubentium, quocunque vel- IV.
let, ducere, oratio excepta est. Nec rex moratus impe- 2
tum: tertioque per Parthienen die ad fines Hyrcaniae penetrat, Cratero relicto cum iis copiis, quibus praeerat, et ea manu, quam Amyntas ducebat, additis sexcentis equitibus et totidem sagittariis, ut ab incursione barbarorum Parthienen tueretur. Erigyium impedimenta, modico prae- 3
sidio dato, campestri itinere ducere iubet. Ipse cum pha-

§. 17. *inter prima*, i. e. inter praecipua. Ante Modium edebatur *praemia*, quod est in Flor. EFGHI Bern. B.

Darei quoque hostis — parricidas esse vos ultos] Quid esse dicamus, quod in libris omnibus, bonis aeque ac malis, editionibusque vetustis *Dareum* s. *Darium quoque hostem* invenimus? Certe Iunii correctio *Darii — hostis*, quam nos quoque recepimus, non molestior est quam quod Freinshemius vocem *parricidas* deleri iussit. Pro *eius* scripsi *illius*, deinde *vestras manus* pro vulg. *manus vestras*, libris mss. tantum non omnibus iubentibus.

Cap. 10, §. 1. *iubentium quocunque vellet deceret*] Codd. omnes et edd. veteres *subeuntium*, quod I. Fr. Gronovius Obs. II, 4 defendit, pro *respondentium* dictum esse ratus. Sed id vereor ut cuiquam persuadeat in scriptore prosario fieri posse. Verissima Hadr. Iunii emendatio est *iubentium*, ut IX, 17 *clamor iubentium duceret diis secundis*. Sed similitudinem utriusque loci rursus elevare cogor, quod h. l. nunc fide librorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. B scribo *ducere* pro eo quod fuit *duceret*. Flor. A auctoritas dubia est, quod in eo nunc quidem extat *ducere*, sed erasa littera quae fuit *t*. Nihilominus quattuor illorum testium vis tanta est, ut eorum suffragio parere necesse sit, cum utraque ratione aeque recte dicatur.

§. 2. *Parthienen*] Vulgo praeter Mod. et Snakenb. editi *Parthienem* vitiose, quod coarguitur Bern. A Flor. A BDFGI.

et ea manu] Mirum usque ad Freinshemium vitium obtinuisse *ex manu:* nam quamvis sit in mss. paene omnibus (de nostris non excipio nisi Flor. F qui habet *et manu*) tamen merum vitium est. Amyntas enim agmini phalangitarum (πεζεταίρων) non equitatui praeerat, vid. ad IV, 50.

§. 3. *Erigyium*] Hoc nomen molestissimum fuit librariis qui cum minime peccant *Eriguum* scribunt, hoc autem loco fere *phrigum*, *phrigium*, *phorigium*. Verum restituit ex Arriano et Diodoro Hadr. Iunius. Erigyius Mitylenaeus erat, Larychi fil., paulo ante Philippi regis mortem, ob amicitiam Alexandri, Macedonia eiectus, postea reversus et equitum sociorum praefectus in proelio ad Arbela.

ange et equitatu CL stadia emensus, castra in valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit. Nemus praealtis densisque arboribus umbrosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quae ex petris imminentibus manant. Ex ipsis radicibus montium Ziobetis amnis effunditur, qui tria fere stadia in longitudinem universus fluit, deinde saxo, quod alveolum interpellat, repercussus, duo itinera velut dispensatis aquis aperit. Inde torrens, et saxorum, per quae incurrit, asperitate violentior, terram praeceps subit. Per CCC stadia conditus labitur: rursusque velut ex alio fonte conceptus editur, et novum alveum intendit, priore sui parte spatiosior. Quippe in latitudinem decem et trium stadiorum diffunditur, rursusque angustioribus coercitus ripis iter cogit; tandem in alterum amnem cadit. Ridagno nomen est. Incolae affirmabant, quicunque demissi essent in cavernam, quae propior est fonti, rursus ubi aliud os amnis aperitur, existere. Itaque Alexander duos, qua sub-

§. 4. *Ziobetis*] Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG, alii *Zobechis*, *Zobethlis*, *Obethis*, nullus *Ziuberis*, ut vulgo edunt. Apud Diodorum eadem de fluvio narrantem c. 75 Στιβοίτης vocatur.

§. 5. *editur*] Codd. plerique omnes *edit*, nimirum omissa passivae terminationis nota. Unus Flor. G docti emendatoris manum prodens recte *editur*, neque enim credo Romanum scriptorem sic dicere potuisse, ut Graecus Herodotus ἐκδιδοῖ ait de fluvio pro ἐκδίδοται.

§. 6. *decem et trium stadiorum*] Numerum sic omnes codd. mei scriptum exhibent, sicut Cicero pro Rosc. Amer. illum fundos *decem et tres* reliquisse dicit. Item apud Livium lib. XXXVII, 30, 8 Gronovius *decem et tres* restituit, ubi vid. not.

Ridagno nomen est] Amnis nomen cum aliunde non sit notum, praestat hic scribere, ut est in mstis codd. *Ridagno*. (Nam Flor. G *rigdano* error videtur) Bern. B et Flor. H *chidagno* quod pertinet ad Graecam scripturam Ῥhidagno. Editiones *Rhidago* habent, una Aldina *Rhindaco*, quod nomen est amnis in Mysiae et Bithyniae confiniis. Sed etiam pronomen quod vulgo additur, *cui R. nomen est*, quodque saepissime vidimus librariis deberi, parentheticam brevitatem auctoris non ferentibus, sustulimus cum Modio secundum Leid. Bern. A Flor. ABC. Vide ad III, 33, 5.

§. 7. *quicunque demissi essent*] Nostrorum codicum unus Flor. G constantissime in hac operis parte correctus sic hunc locum exhibet ut in vulgaribus editionibus legitur, *quaecunque dimissa essent* — deinde *duos tauros*, ne Alexander suae curiositatis explendae causa homines innocentes interfecisse videretur. Sed nobis quidem ceterorum librorum consensus defendendus est, sive de mortuorum hominum corporibus cogitabis, sive de maleficis ea poena affectis. Ceterum etiam in edd. antiquis princ. Mer. Ald. Iun. *quicunque dimissi* est, neutrum genus primum comparet in margine Iunianae, unde Modius arripuit et ad reliquos propagavit. Itaque cum codicum scripturam restituerimus, correctione tamen adhibita dedimus *demissi*. Tum omnes libri nostri et edit. Mod. *aperitur* habent, non *aperit*, quod nunc vulgo editur. Editt. princ. Mer. Ald., ut cod. Voss. 2 *apertum*, unde Iunius fecerat *in apertum*.

eunt aquae terram, praecipitari iubet, quorum corpora, ubi rursus erumpit, expulsa videre, qui missi erant, ut exciperent.

11 Quartum iam diem eodem loco quietem militi dederat, 8
cum litteras Nabarzanis, qui Dareum cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia haec erat: se Dareo non fuisse inimicum, immo etiam quae credidisset utilia esse suasisse, et quia fidele consilium regi dedisset, prope occisum ab eo. Agitasse Dareum, custodiam corporis sui con- 9
tra ius fasque peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos et triginta annos inviolatam regibus suis praestitissent. Se in praecipiti et lubrico stantem 10
consilium a praesenti necessitate repetisse. Dareum quoque, cum occidisset Bagoan, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset. Nihil esse mi- 11
seris mortalibus spiritu carius. Amore eius ad ultima esse propulsum. Sed ea magis esse secutum, quam optasse.
In communi calamitate suam quemque habere fortunam. 12

Cap. 11, §. 8. *Dareum interceperat*] An *interfecerat*, ut Bern. B Flor. EH? nisi *intercipere* idem fere esse dicimus quod est *comprehendere*, nec tamen hoc nisi si ad Alexandrum referretur dici posset, prius quam Alexander eo posset potiri.

§. 9. *per ducentos et triginta annos*] Omnes codd. ed edd. vetustae *II et CCC* vel omissa lineola *II et CCC*. Correxit Iunius secundum IV, 54, ubi ipse Dareus dicit imperium Persarum secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evectum esse. Poterat quidem Nabarzanes alia computatione temporum uti, verum in tanta numerorum aequalitate hoc vix cuiquam verisimile videbitur.

§. 10. *insidiantem sibi interemisset*] Deest *sibi* in edit. Modiana et Leid. Voss. 1 Bern. A; item in Flor. EFHI Bern. B Pal. 1 Voss. 2 qui habent *insidiantem peremisset*. Sed tuentur cum aliis duo optimi Flor. vulgatam, nec adeo parcus verborum Curtius est, ut pronomen, quod nonnihil ad sententiam confert, omisisse videatur.

§. 11. *magis esse secutum quam optasse*] Editur inde a principibus *sed ea magis esse secutum quae coëgisset necessitas, quam quae optasset*, quae sic in nullo libro manu scripto legi constat, quantum quidem ex illis, quos accuratius descriptos habemus, intelligimus. Nostri omnes et Voss. 1. 2 media haec *quae coëgisset necessitas quam* omittunt, Leid. etiam *quam quae* Pal. 1, ut traditur, tantum *quae coëgisset necessitas*. Iam si ita scribamus ut nostrorum codd. consensus postulat *ea magis esse secutum quae optasset*, explicatio difficilis fuerit, fortasse haec: se optasse ut vinceret Alexander, non ut Bessus dominus fieret, itaque nunc ab armis abstinere seque Alexandro tradere. Sed ut dixi molesta haec adulatio. Corrigendum potius videbatur *quam optasse* i. e. se in comprehendendo Dareo aliis obtemperasse magis quam ipsum illud optasse. *Sequor haec, non opto*, quin hoc sensu recte et Latine dicatur dubitari non potest, cum *sequi* aliquam rem sit trahi ab ea, vi adduci in eam partem, cf. V, 15, 18 *trahebant magis adiuvantes quam sequebantur*, i. e. quam ab illis adducebantur.

Si venire se iuberet, sine metu esse venturum. Non timere, ne fidem datam tantus rex violaret: deos a deo falli non solere. Ceterum si, cui fidem daret, videretur indignus, multa exilia patere fugienti: patriam esse, ubicunque vir fortis sedem sibi elegerit. Nec dubitavit Alexander fidem, quo Persae modo accipiebant, dare, inviolatum, si venisset fore.

Quadrato tamen agmine et composito ibat, speculato- 12
res subinde praemittens, qui explorarent loca. Levis armatura ducebat agmen, phalanx eam sequebatur, post pedites erant impedimenta. Et gens bellicosa et naturae situs difficilis aditu curam regis intenderat. Namque perpetua valles iacet, usque ad mare Caspium patens. Duo terrae eius velut brachia excurrunt: media flexu modico sinum faciunt, lunae maxime similem, cum eminent cornua, nondum totum orbem sidere implente. Cercetae et Mosyni et Chalybes a laeva sunt, ab altera parte Leucosyri et Amazonum campi; et illos qua vergit ad Septentrionem, hos ad occasum conversa prospectat. Mare Caspium, dulcius ceteris, ingentis magnitudinis serpentes alit; piscium in eo

§. 13. *Sedem sibi elegerit*] Mediam vocem libri mei quidem omnes addunt (Snak. Leid. Voss. 2 commemorat), sed quod Modius edidit *legerit* in nullo inveni.

§. 14. *quo Persae modo*] Vide Nepotem in vita Datamis 10 *si fidem de ea re more Persarum dextra dedisset*, ibique interpr. Tacit. Hist. I, 54 *dextras mittere.*

Cap. 12, §. 15. *naturae situs*] Sic libri optimi, ceteri ut vulgo editur *natura situs difficilis aditu*, ut *situs*, opinor, genitivus esset. Verum *situs naturae* non male dici videtur pro situ naturali: infra lib. VII, 15 *perducere incautos in loca naturae situ invia.*

§. 16. *perpetua valles iacet*] Hanc vocis formam auctoritas librorum optimorum Leid. Voss. 1 Flor. AB Bern. A tuetur, neque eam esse negligendam censebis, si contuleris quae accuratissimus Forcellinus in lex. collegit. Nimirum *valles* nominativo casu et producta ultima syllaba legitur etiam apud Vergilium Aen. XI, 522 Servii etiam scholiastae testimonio tutum, deminutivi formam per e vocalem esse *valleculam* contendentis. Commemoratur eadem a Valerio Probo p. 1470 Putsch. inter alias voces dupliciter terminatas. Cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 25 pag. 955. Oudendorp. ad Caes. bell. Gall. VII, 47 *magna valles.*

§. 17. *et Mosyni*] Coniunctionem addidi iubentibus libris nostris quidem omnibus et Snak. Leid. Voss. 1, sed *Mossyni* meliores libri, quod correxerat Freinshemius brevem esse primam syllabam docens ex Tibullo IV, 1, 147. Ceterum tota haec paragraphus a Caspii maris descriptione aliena ad Pontici maris partem intimam pertinet. Vide Schmiederi Commentar. p. 183. Diciturque laevum et dextrum latus quasi si quis mari accedat ad illam oram.

§. 18. *piscium in eo longe diversus ab aliis color est*] Vulgo *pisces longe diversi ab aliis coloris*, quod quidem in nullo codice manuscripto est. Nostra

longe diversus ab aliis color est. Quidam Caspium, quidam Hyrcanium appellant: alii sunt, qui Maeotiam paludem in id cadere putent: et argumentum afferunt, aquam, quo dulcior sit quam cetera maria, infuso paludis humore mitescere. A Septentrione ingens in litus mare incumbit, longeque agit fluctus, et magna parte exaestuans stagnat. Idem alio coeli statu recipit in se fretum, eodemque impetu, quo effusum est, relabens, terram naturae suae reddit. Et quidam credidere, non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium, ut supra dictum est, perpetua valle summittitur.

13 Hinc rex xx stadia processit semita propemodum in- 2
via, cui silva imminebat, torrentesque et eluvies iter morabantur. Nullo tamen hoste obvio, penetrat, tandemque ad ulteriora perventum est. Praeter alios commeatus, quo- 2
rum tum copia regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, et uberrimum gignendis uvis solum est.

lectio auctoritate nititur Flor. AB nisi quod in iis *diversi* legitur pro *diversus* et omnibus verbis sic extat in Flor. E. Ceteri partim *piscium in eo longe diversi ab aliis colorem*, ut Flor. CH Bern. AB Leid. Voss. 1. 2 nec discrepat Flor. G nisi quod *colore* habet: partim *piscis in eo longe diversum ab al. colorem*, ut Flor. F Pal. 1 (*piscium* cum correct. *piscis* Flor. D, *pisces* Flor. I) partim aliter aberrant. Omnes tamen voculas *in eo* exhibent, et facile est intellectu *colorem* et *colore* non aliud quam corruptiones esse verae scripturae *color est*.

quidam Hyrcanium] Vulgo *Hyrcanum*, qua nominis forma Mela appellavit v, 3, 19, sed ut Flor. habent ABC, sic Plinius maior plus semel. Eadem res est vii, 14 sed maior etiam auctoritas adiectivi *Hyrcanii*.

Maeotiam paludem] Vulgo *Maeotim*, sed nostri libri aut *Meotiam* aut *Meotidem*, illud et meliores, quos alibi sequimur, et plures, hoc deteriores (Flor. DFI) unus etiam Flor. G *meotidam*, quod pertinet ad alteram formam *Μαιώτιδα*. Itaque non fuit dubium quid eligeremus, quamquam harum formarum nullam condemno. Cf. Heinsium ad Claudian. de iv cons. Honor. 180 et Burmannum ad Verg. Georg. iii, 349.

quo dulcior sit] Olim edebatur *quae*, sicut in plerisque, sed malis codicibus legitur, tum *quo* dederunt Modius et reliqui et habent Bern. A Flor. BCG. Sed Acidalius et Schefferus *quod* maluerunt, nimirum quod coniungebant *argumentum afferunt aquam*. Hanc non equidem explicationem eorum secutus eram in priore edit., sed auctoritatem Leid. Voss. 1 Flor. A. Nunc autem redeo ad Modianam scripturam, quae constructionis elegantia longe praestat.

§. 19. *recipit in se fretum*] *Fretum* dicit eam partem maris quae exaestuat et propior est litoribus, ne cum Acidalio corrigas *recipit se in fretum*, quod miror Cellarium in textu collocasse.

§. 20. *penetrat* omnes codd. pro vulg. *penetravit*. Paulo post *ad ulteriora* itidem omnes excepto Flor. G in quo est *cultiora*. Hoc Modius, Freinshemius, alii, ediderant; minimeque displiceret, quoniam eadem varietas codicum est vii, 13, 18, si *ulteriora* oppositionis causa non idem significaret.

22 Frequens arbor faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur, sed nisi solis ortum incolae occupaverint, vel modico tepore sucus extinguitur.

23 xxx hinc stadia processerat, cum Phrataphernes ei occurrit, seque et eos, qui post Darei mortem profugerant, dedens: quibus benigne exceptis, ad oppidum Arvas per-
24 venit. Hic ei Craterus et Erigyius occurrunt. Praefectum Tapyrorum gentis Phradatem adduxerant. Hic quoque in fidem receptus multis exemplo fuit experiendi clementiam
25 regis. Satrapen deinde Hyrcaniae dedit Manapin: exul hic regnante Ocho ad Philippum pervenerat: Tapyrorum quoque gentem Phradati reddidit.

V. Iamque ultima Hyrcaniae intraverat, cum Artabazus, 14
quem Dareo fidissimum fuisse supra diximus, cum propinquis Darei ac suis liberis modicaque Graecorum militum
2 manu occurrit. Dextram venienti obtulit rex: quippe et hospes Philippi fuerat, cum Ocho regnante exularet, et hospitii pignora in regem suum ad ultimum fides conservata
3 vincebat. Comiter igitur exceptus, *Tu quidem*, inquit, *rex, deos quaeso, perpetua felicitate floreas. Ego ceteris laetus, hoc uno torqueor, quod praecipiti senectute diu frui tua bonitate non*
4 *possum*. Nonagesimum et quintum annum agebat. Novem iuvenes, omnes eadem matre geniti, patrem comitabantur:

§. 24. *praefectum Tapyrorum*] Mendose Bern. AB Flor. ACDHI Leid. Voss. 1 *praefecto*. Tum *Taurorum* sive *Thaurorum* et h. l. et paulo post omnes libri mss. et primum editi. Correxit Iunius ex Arriano III, 23 deditque *Tapurorum*. Curtius tamen, si unam scribendi rationem secutus est, videtur voluisse *Tapyrorum*: vide ad VIII, 13, 17. Eos Strabo lib. XI p. 515 inter Hyrcanos et Derbices tradit habitare. Tum *Phradatem* scribunt Bern. A et Flor. B, ceteri *Pharadatem* aut *Pharadantem*. Arrianus appellat *Autophradatem*.

§. 25. *Satrapen*, non *satrapem*, omnes nostri codd. cum Leid. Voss. 1 quos Snak. commemorat. Et *Manapin* hominis nomen scripsi, codices secutus in quibus partim *manapi* partim *manapin*. *Menapim*, quod vulgo editur, est in Flor. F. Arrianus III, 22 vocat Ἀμινάπην, sicut Iac. Gronovius in optimo codice esse testatur.

Cap. 14, §. 1. *Iamque ultima*] Additur vulgo *rex* quod omisimus secuti Flor. A Leid. Voss. 1: solet enim in hac re fere librariorum cura versari. Notatur tamen in Bern. A a pr. m. *ex* legi, cui altera manus r litteram superscripsit.

§. 3. *deos quaeso*] Adieci haec verba ex Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG HI, ceteri *deorum quaeso*. Vulgo totum hoc omissum.

§. 4. *omnes eadem matre geniti*] Sic codd. mei ad unum omnes, vulgo desideratur vox *omnes*. De felici hoc matrimonio diximus ad III, 6, 1. Unus filiorum Pharnabazus, classis Persicae praefectus, a Macedonibus captus erat, IV, 23, 17, sed Arriano teste III, 2

hos Artabazus dexterae regis admovit, precatus ut tam diu viverent, donec utiles Alexandro essent. Rex pedibus iter plerumque faciebat: tunc admoveri sibi et Artabazo equos iussit, ne ipso ingrediente pedibus, senex equo vehi erubesceret. 5

15 Ut deinde castra sunt posita, Graecos, quos Artaba- 6
zus adduxerat, convocari iubet: at illi, nisi fides Lacedaemoniis quoque et Sinopensibus daretur, respondent, se, quid agendum ipsis foret, deliberaturos. Legati erant Lacedae- 7
moniorum missi ad Dareum, quo victo applicuerant se Graecis mercede apud Persas militantibus. Rex, omissis 8
sponsionum fideique pignoribus, venire eos iussit, fortunam quam ipse dedisset habituros. Diu cunctantes, plerisque consilia variantibus, tandem venturos se pollicentur. At 9
Democrates Atheniensis, qui maxime Macedonum opibus semper obstiterat, desperata venia, gladio se transfigit. Ceteri, sicut constituerant, dicioni Alexandri ipsos se permittunt. Mille et D milites erant: praeter hos legati ad 10
Dareum missi XC. In supplementum distributus miles, ce-

aufugerat ex captivitate. Paulo post *dexterae* pro vulg. *dextrae* uterque Bern. Flor. ABCGH Leid. Voss. 1, et sentias aliquid interesse ad numerum.

Cap. 15, §. 6. *Ut deinde*] Vulgo *Deinde ut* contra libros manuscriptos.

nisi fides Laced. quoque et Sinopensibus] Vulgo *nisi Laced. fides daretur*, Modius *nisi Laced. quoque fides daretur*. Codices autem Flor. AB *nisi fides Lac. quoque et inopensibus daretur*, item Bern. A nisi quod pro *et* habet *est*, in Leid. Voss. 1 traditur inventum esse *nisi fides Lac. est inopensibus daretur* (nimirum omisso *quoque*, quod non credo): deteriores nostri: *ut fides Lac. et quoque inopensibus daretur* (Flor. H et Bern. B *non* habent pro *ut*). In Flor. G ex correctura est *et Peloponnensibus*, idem in textu sine vestigio correctionis in Flor. I et Pal. 1 sic: *et quoque peloponnensibus*. Vides igitur populi alicuius nomen requiri. Illi autem *Sinopenses* sunt, quorum legatos domum reditu exclusos Graecis militibus adhaesisse etiam Arrianus tradit III, 24.

§. 7. *applicuerant se Graecis*] Sic olim editi et manuscripti omnes. Raderus, ni fallor, aut aliquis ex eo genere mediocriter doctus extitit qui corrigeret *applicaverunt*, non recte faciens quod Ciceronianam rationem ipsius Curtii usui praeferret: neque enim hic aliter in temporibus perfectis, cum in participio *applicatum*, sed et *implicatum* et *implicitum* dicat.

§. 9. *Democrates Atheniensis*] Fuerit is ille qui una cum Demosthene lagatus ad Thebanos ante bellum Chaeroneense missus est. Vide Dem. de cor. §. 187 Bekk.

desperata venia] Sic Mod. edit. et codd. omnes. Vulgo *venia desperata*. Mox etiam *ipsos se* libri mss. omnes, vulgo editi *se ipsos*.

§. 10. *legati — XC*] Flor. B XX, qui numerus magis convenire videtur cum Arriani historia III, 24 fin.

teri remissi domum, praeter Lacedaemonios, quos tradi in custodiam iussit.

Mardorum erat gens confinis Hyrcaniae, cultu vitae16 aspera et latrociniis assueta. Haec sola nec legatos miserat, nec videbatur imperata factura. Itaque rex indignatus, si una gens posset efficere, ne invictus esset, impedimentis cum praesidio relictis, invicta manu comitante procedit. Noctu iter fecerat, et prima luce hostis in conspectu erat: tumultus magis quam proelium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupaverant, barbari profugerunt: proximique vici ab incolis deserti capiuntur. Interiora regionis eius haud sane adiri sine magna vexatione exercitus poterant. Iuga montium praealtae silvae rupesque inviae saepiunt; ea, quae plana sunt, novo munimenti genere impe-4 dierant barbari. Arbores densae sunt de industria consitae, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terrae: inde velut ex alia radice 5 laetiores virent trunci. Hos, qua natura fert, adolescere non sinunt: quippe alium alii quasi nexu conserunt; qui ubi multa fronde vestiti sunt, operiunt terram. Itaque occulti ramorum velut laquei perpetua saepe iter cludunt.

Cap. 16, §. 11. *invicta manu*] Importunum h. l. hoc epitheton videtur, praesertim cum idem paulo ante aptius fuerit. Emendarunt igitur Freinshemius *reliqua*, Heinsius *incita*, Schefferus *indicta*, hi quidem peius e malo facientes, nec Tan. Faber felicius *expedita*, quoniam illud quidem addere supervacuum est. Ego malim *delecta manu*. Sed libri msti cum nihil mutent, res dubia manebit. (Coniecturae meae opposuit Mützellius, quod secundum Arrianum III, 24 copiae, quibuscum Alexander eam expeditionem suscepit, integris potius agminibus quam delectis viris constiterint (*ἀναλαβὼν τούς τε ὑπασπίστας καὶ τοὺς τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριάνας καὶ τὴν Κοίνου καὶ Ἀμύντου τάξιν καὶ τῶν ἑταίρων ἱππέων τοὺς ἡμισείας καὶ τοὺς ἱππακοντιστάς*). Ipse igitur *valida manu* coniecit scribendum esse. Non displicet coniectura quamquam illae copiae, quas Arrianus recenset, ne *manus* quidem dici possunt).

§. 12. *barbari profugerunt*] *Profugiunt* editi, sed scripti mei quidem omnes aliique quotquot solent citari *profugerunt*. Saepenumero a Praesentibus quae dicuntur historicis ad Perfecta transiri et vice versa vidimus, cf. VII, 38, 22 *Itaque copias dividit, urique agros iussit;* VIII, 12, 13 *tabernaculo excessit, percontatusque quid rei sit — cognoscit.* Cf. ad VIII, 16, 27.

§. 13. *adiri — poterant*] Sic vel sine libris erat emendandum, nam regis nomen longe remotum. Nunc omnes nostri et Snakenburgiani sic habent, atque ediderat Modius pro vulg. *adire poterat.*

§. 14. *de industria* msti omnes, editi praeter Mod. *ex industria.* Utrumque Latinum esse, utrumque etiam Livianum esse constat, sed *de industria* et in universum frequentius et apud Curtium solum in usu est.

§. 15. *occulti ramorum velut laquei*

Una ratio erat caedendo aperire saltum, sed hoc quoque 16
magni operis. Crebri namque nodi duraverant stipites, et
in se implicati arborum rami, suspensis circulis similes,
lento vimine frustrabantur ictus. Incolae autem, ritu fera- 17
rum virgulta subire soliti, tum quoque intraverant saltum,
occultisque telis hostem lacessebant.

17 Ille venantium modo latibula scrutatus, plerosque con-
fodit: ad ultimum circumire saltum milites iubet, ut si qua
pateret, irrumperent. Sed ignotis locis plerique oberra- 18
bant, exceptique sunt quidam, inter quos equus regis: Bu-
cephalam vocabant: quem Alexander non eodem quo cete-
ras pecudes animo aestimabat. Namque ille nec in dorso
insidere suo patiebatur alium, et regem, cum vellet ascen-
dere, sponte genua summittens excipiebat, credebaturque
sentire quem veheret. Maiore ergo, quam decebat, ira si- 19
mul ac dolore stimulatus, equum vestigari iubet, et per in-
terpretem pronuntiari, ni reddidissent, neminem esse victu-
rum. Hac denuntiatione territi, cum ceteris donis equum
adducunt. Sed ne sic quidem mitigatus, caedi silvas iubet, 20

— *cludunt*] Vereor ut satis adhuc locus sanatus sit, nam optimi libri *occultu* et omnes fere *cludit* sive *claudit* habent. Sed unum vitium sustulimus deleto quod post *occulti* vulgo legitur *nexus*. Nam sic quidem in nullo codice est, sed in Flor. C *occulti connexu*, in Flor. DI Pal. 1 *occulto connexu*, in Flor. F *multo connexu*, in Flor. E *occulto nexu*, in Flor. G denique et Voss. 2 edd. vett. *occultus connexus*, (Flor. H et Bern. B *quasi nexu ramorum velut*, omissis, quae in medio sunt, habent.) Verum optimi eam vocem prorsus ignorant. Verisimile igitur fit librarios cum *velut laquei* in unam quasi vocem coire ignorarent (ut cap. 13 *duo terrae eius velut brachia excurrunt*,) istud fulcrum addidisse. Sed *iter cludunt* in nullo libro msto est, proxime accedit Flor. C *iter claudunt*, ceteri *claudit iter* vel *iter claudit*, optimi Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB *iter cludit*. Nihilominus ne optimos quidem libros Curtianos ab eiusmodi vitiis atque erroribus in terminationibus verborum immunes esse satis constat.

§. 16. *duraverant stipites*] Olim quod legebatur *nudaverant* emendaverat Acidalius suffragantibus cum Snakenburgii Leid. Voss. 1 tum nostris Bern. A Flor. AB, G *nodi induraverant*.

Cap. 17, §. 18. *exceptique sunt quidam*] Coniunctionem quae in editis desideratur omnes codd. nostri addunt quamquam *exceptique quidam sunt* in Flor. CDEFHI Bern. B legitur.

Bucephalam vocabant] Arrianus et Plutarch. Alex. c. 44 *τὸν Βουκεφάλαν*, quam hic. c. 6. etiam *Βουκέφαλον*. Flor. G et edit. Mod. *Bucephalan*.

namque ille] Vulgo *nam*, nostrum est in Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1 edit. Mod., ceteri mss. *nam nec ille*. Tum *sponte*, non *sponte sua*, ut vulgo edunt, codd. omnes.

§. 20. *ne sic quidem*] Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1 *nec sic quidem*, Flor. C Voss. 2 Pal. 1 *nec sic mitigatus*, ceteri Flor. et Bern. B *non sic mitigatus*. Habes igitur auctoritate quidem

aggestaque humo e montibus planitiem ramis impeditam exaggerari. Iam aliquantum altitudinis opus creverat, cum barbari, desperati regionem, quam occupaverant, posse retineri, gentem suam dedidere. Rex, obsidibus acceptis, Phradati parere eos iussit.

Inde quinto die in stativa revertitur. Artabazum deinde,18 geminato honore, quem Dareus habuerat ei, remittit domum. Iam ad urbem Hyrcaniae, in qua regia Darei fuit, ventum erat. Ibi Nabarzanes accepta fide occurrit, dona ingentia ferens. Inter quae Bagoas erat, specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiae, cui et Dareus assuetus fuerat, et mox Alexander assuevit: eiusque maxime precibus motus Nabarzani ignovit.

librorum firmatum *nec — quidem*, sed quod omnes iure respuunt.

§. 21. *iam aliquantum*] Vulgo diminuunt edendo *aliquantulum*, ut est in Flor. BF, in Flor. DHI *iamque aliquantulum*, in Flor. E Bern. B *namque aliquantulum;* sed integerrimi *aliquantum* recte, quoniam cum admiratione quadam susceptae rei narrat. Sed dubitant possitne *aliquantum*, cum pro adverbio sit, cum genitivo *altitudinis* coniungi. Opus enim fere crescere dicimus aliquantum in altitudinem, aut in aliquam altitudinem (ut IV, 10 *in modicam*). Itaque Acidalius cum aliis *in aliquantum altitudinis* emendandum censuit. Hoc mihi quidem displicet, etsi Livius dixit lib. XLII, 15, 5 *dextra pars labe terrae in aliquantum altitudinis diruta erat:* magis posse genitivum adiungi puto ubi *aliquantum* inter adiectivi et adverbii significationem fluctuet, ut apud Caes. bell. Gall. V, 10 *His aliquantum itineris progressis*, et apud Livium I, 25 *iam aliquantum spatii aufugerat*, atque XLII, 18, 17 nunc editur *aliquantum* (olim *ad aliq.*) *iam altitudinis excitata erant moenia.* Tum *desperati* scribendum erat propter codicum consensum; recentiores editores *desperato* correxerant, quod reprehendere non audeo, cum illud, quod edidi, idoneo exemplo tueri non possim. Nam Ruddimanni auctoritas in amplo talium participiorum indice etiam hoc enumerantis, pag. 301 Tom. I edit. Lips. auctorum locis destituta satisfacere mihi quidem non potest. Veruntamen si talia velimus corrigere, efficiemus ut ne in posterum quidem certum quid constitui possit. *Desperari* antiquitus deponentiali forma usurpatum esse apud Priscianum olim Caper docuerat, sed Krehlius lib. VIII, 4, 24 hanc auctoritatem eripuit codices suos secutus.

Phradati parere eos iussit] Non potui non probare Freinshemii emendationem hanc pro vulg. scriptura *Phradati tradere eos iussit.* Constructio enim verborum soloeca et inelegans est. Sed in libris mstis nihil opis est, quorum pars altera ordine tantum verborum mutato *eos tradere* habet.

Cap. 18, §. 22. *quem Dareus habuerat*] Plerique libri et manu scripti et editi nominatim Freinshemianae editiones *quam* exhibent, sed *quem* Modiana editio, codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A.

Iam ad urbem Hyrc.] *Zadracarta* appellat Arrianus, eademque videtur esse quam noster c. 13 *Arvas* dixerat. Ceterum *iamque* in suis libris esse annotat Snakenb. quod in meis non invenio, et quod etiam Aldum et Merulam sic edidisse tradit, suspicionem erroris mihi iniicit, quoniam in his certo reperitur *iam.* Sed pro eo in Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 legitur *tandem.*

§. 23. *assuetus fuerat*] Sic nos ex Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG pro eo quod editur legiturque in reliquis *fuerat assuetus*; in his deterioribus

19 Erat, ut supra dictum est, Hyrcaniae finitima gens 24
Amazonum, circa Thermodonta amnem Themiscyrae incolentium campos. Reginam habebant Thalestrim, omnibus 25
inter Caucasum montem et Phasin amnem imperitantem. Haec cupidine visendi regis accensa finibus regni sui excessit, et cum haud procul abesset, praemisit indicantes, venisse reginam adeundi eius cognoscendique avidam. Pro- 26
tinus facta potestate veniendi, ceteris iussis subsistere, trecentis feminarum comitata processit. Atque ut primum rex in conspectu fuit, equo ipsa desiluit duas lanceas dextera praeferens. Vestis non toto Amazonum corpori obducitur: 27

omittitur etiam *et*, quod more Curtiano cum singulis nominibus positum frequenter idem valet quod *etiam* sive *quoque*.

Cap. 29, §. 24. *Hyrcaniae finitima*] Repetit errorem quem supra cap. 12 commiserat, Pontici maris oram cum Caspio litore confundens. Nam Amazonum regina, si venit ad Alexandrum in Hyrcania commorantem, sicut sane Clitarchus multique alii tradidere (vid. Plutarch. in Alex. 46) certe longum confecerat iter a Thermodonte et Phasi usque ad Hyrcanos, *quinque et viginti dierum inter infestissimas gentes*, ut ait Iustinus XII, 3. Sed *Thermodoonta* duplici *o* editi fere libri scribunt, simplici littera plerique manuscripti, quibus parendum est, ubi poëtarum auctoritas clamat, vide Drakenborch. ad Silium Pun. II, 80 et quos laudat. Sed habent tamen *oo* Flor. GH, *termodanta* Bern. A Flor. AB (Leid. Voss. 1) *thermodunta* Flor. CEI.

§. 25. *Thalestrim* per literam *m* Flor. omnes praeter CG, *Phasin* contra per *n* Flor. ADEGHI. Snakenburgius in suis tribus utrobique *in* fuisse significat, cui accedit Bern. A. Vulgo in utroque nomine est *im*, in Modiana *in*.

§. 26. *trecentis feminarum comitata*] Libri msti omnes Genitivum tuentur, numerum nostri quidem signis non litteris notant, (quamquam in Voss. 1. 2 *tercentis* scriptum esse traditur). Itaque fuerunt olim, qui Iunium secuti *comitatu* ederent, ineleganter. Posse enim numeralia adiectiva cum Genitivo partitivo construi quis negabit? Lib. X c. 1 *igitur hos quidem vinxit; DC autem militum, qui saevitiae eorum ministri fuerant, occidit.*

in conspectu fuit] Nihil agit Modius veteres libros testes laudans, ut scribatur *in conspectum*. Neque enim nostri nec Snak. quicquam mutant, et ille dum sibi patrocinatur parum accurate loquitur.

ipsa desiluit] Vulgo editi fere *desiliit*, male et contra codices. Vide ad IV, 12.

dextera praeferens] *Dextera* uno et altero (Flor. HI) et deterioribus excepto nostri omnes. Item aliquanto post *aduritur dextera* in optimis duobus Bern. A Flor. A. In ea varietate sonus videtur antiquum scriptorem movisse, ut hanc vel illam formam praeferret (ut h. l. et supra c. 14 §. 4), nobis quidem nihil aliud superest nisi ut singulis locis auctoritatem librorum expendamus. Sic c. 38 bis omnes codices explanatam formam exhibent, eamque omnino aliquanto frequentiorem quam decurtatam esse apud hunc scriptorem invenio.

§. 27. *non toto Amaz. corpori obducitur*] Sic libri msti omnes, sed editores recentiores cum ferre non possent *toto* pro *toti* dici, *corpore* potius correxerunt. Qui tamen quomodo id voluerint explicari non addiderunt. Nos igitur ab ista soloecismi specie non perinde abhorrentes atque a crimine laesae fidei bonis codicibus debitae veterem codicum lectionem restituimus. Et constat, scriptores Romanos non raro in his verbis *unus*, *nullus*, *alius*, *totus* communem analogiam servare maluisse quam singularem usum. Sic, ut a ce-

nam laeva pars ad pectus est nuda, cetera deinde velantur. Nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. Altera papilla intacta servatur, qua muliebris sexus liberos alant, aduritur dextera, ut arcus facilius intendant, et tela vibrent. Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum eius haudquaquam rerum famae parem oculis perlustrans. Quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Ceterum interrogata, num aliquid petere vellet, haud dubitavit fateri, ad communicandos cum rege liberos se venisse: dignam, ex qua ipse regni generaret heredes. Feminini sexus se retenturam, marem reddituram patri. Alexander, an cum ipso militare vellet, interrogat: et illa, causata sine custode regnum reliquisse, petere perseverabat, ne se irritam spei abire pateretur. Acrior ad Venerem feminae cupido, quam regis, ut paucos dies subsisteret, perpulit. XIII dies in obsequium desiderii eius absumpti sunt. Tum illa regnum suum, rex Parthienen petiverunt.

Hic vero palam cupiditates suas solvit, continentiam-20 que et moderationem, in altissima quaque fortuna eminentia bona, in superbiam ac lasciviam vertit. Patrios mores disciplinamque Macedonum regum salubriter temperatam et civilem habitum velut leviora magnitudine sua ducens, Persicae regiae par deorum potentiae fastigium aemulabatur.

teris discedamus, de quibus vide Ruddimannum Tom. I p. 53 parcius tamen quam solet disputantem, Dativi *toto* habes idoneum auctorem Propertium lib. III, 11, 57 (IV, 11 57 Lachm.) *septem urbes alta iugis, t o t o quae praesidet o r b i*, cf. ad eum locum quae Burmannus notavit, et laudatum ab illo Davisium ad Minucium Felicem c. 11.

§. 29. *omnibus barbaris*] Libri optimi Modii, Leid. Voss. 1 Bern. B Flor. A BCG sic exhibent, cum vulgo edatur *hominibus barbaris* quaesita quadam elegantia, sed non aeque *ἱστορικῶς*.

§. 31. *et illa*] *at illa* Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 et ex correct. Flor. G. Mox *abire pateretur*, hoc ordine verborum, Modiana edit. et omnes codd. nostri. Vulgo *pat. abire.*

§. 32. *quam regis, ut*] Plerique codd. *ac ut*, pauci (Flor. CG) ut olim ante Iunium edebatur, *at ut*. Vitium ex *διττογραφίᾳ* ortum putamus. Mox ad verbum *illa* manu recentiore super lineam additum legitur in Bern. A (quem eundem esse ac Danielianum cum ex aliis argumentis tum hoc ipso agnoscas) *postquam utero se habere comperit.* Magis Latine Iustinus a quo id sumptum est, XII, 3 *ob hoc* XIII *diebus a rege datis, ut visa est uterum implesse, discessit.*

Iacere humi venerabundos ipsum, paulatimque servilibus 3
ministeriis tot victores gentium imbuere et captivis pares
facere expetebat. Itaque purpureum diadema distinctum 4
albo, quale Dareus habuerat, capiti circumdedit, vestemque
Persicam sumpsit, ne omen quidem veritus, quod a victo-
ris insignibus in divicti transiret habitum. Et ille se qui- 5
dem spolia Persarum gestare dicebat: sed cum illis quoque
mores induerat, superbiamque habitus animi insolentia se-
quebatur. Litteras quoque, quas in Europam mitteret, ve- 6
teris anuli gemma obsignabat, his, quas in Asiam scribe-
ret, Darei anulus imprimebatur; ut appareret, unum ani-
mum duorum non capere fortunam. Amicos vero et equi- 7
tes, (hi namque principes militum,) aspernantes quidem

Cap. 20, §. 3. *venarabundos ipsum paulatimque*] Editi vulgo libri *iacere humi venerabundos pati coepit* ex emendatione principis editoris, nam codices quidem verbum *pati* non habent, sed aut *cepit ipsum* aut *coepit ipsum*, optimi vero Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 ne *coepit* quidem exhibent. *Ipsum* (praeter Flor. G qui habet *ipseque paulatim*) omnes addunt et assumunt illa adiectiva participialia accusativum casum, ut Gellius XI, 15 ex Sisennae annalibus *populabundum agros* citat, et apud Livium XXV, 13 *vitabundus castra*, XXXIII, 32 *mirabundi vanam speciem* legitur. Vide Drakenborch. ad Livii III, 47 *haec contionabundus*. Tum *venerabundus* pro accusativo *venerabundos* mendose item omnes scribunt. Nam in his casuum terminationibus facillima est aberratio (Sic supra c. 16 §. 15 *occultu* pro *occulti* in optimis male exaratur). Uti nunc nos, sic olim restituerat Modius, reprehensus eo nomine a Freinshemio, librorum consensum ignorante. Pendent omnia ex verbo *expetebat*. Sed hoc ipsum scribitur in omnibus codd. *expectabat*, excepto Flor. G, nam confunduntur facile illa verba cf. ad III, 13, 13.

§. 4. *ne omen quidem*] Sic cod. Flor. G, ceteri mendose *nemo non quidem*. Intellexerant principes editores quid rei esset, aut quod magis credo libro Flor. G simili usi erant.

§. 5. *spolia Persarum*] Sic Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG cum Modio, vulgo *Pers. spolia*.

sed cum illis quoque mores induerat] Non suo loco adverbium positum est, quod debebat post *mores* collocari (*moribus* Pal. 1 Flor. DFI) cf. tamen infra c. 42 *ut in custodia quoque torqueret* pro eo quod esse debet *ut torqueret quoque*, VIII, 18 *tantundem quoque posteros credere, quantum praesens aetas spopondissit*. Cic. p. Rosc. Amer. 14, 40 *Quam ob causam? Necesse est enim eam quoque iustam et magnam et perspicuam fuisse*. (Sed non huc pertinet apud nostrum VIII, 31, 20). Nimirum verbo *quoque* utuntur interdum auctores non ad singula verba, sed ad integra membra orationis coniungenda, eamque ob causam certum locum minus servant, cf. etiam IX, 37 pr.

§. 6. *his quas in Asiam scriberet*] *Asia* Flor. ABG Leid. Voss. 1 Bern. A ut longe maior auctoritas huius scripturae sit, quam vulgatae. Verum ratio vincat necesse est. Sed *his* pro vulg. *iis* omnes Mod. nostri et Snak. praeter Flor. B qui habet *hiis*.

§. 7. *hi namque principes militum*] Vulgo *cumque his principes*. Sed hoc in nullo codice msto est. Proxime si sententiam spectes, accedit, Flor. G *unaque*. Modius edidit *his unaque*, sic optimos scriptores loqui affirmans, non docens. Unice verum est quod miror cum in codicibus omnibus aut prorsus sic aut parum aliter legatur, tamdiu luce ca-

sed recusare non ausos, Persicis ornaverat vestibus. Pel lices CCC et LX, totidem quot Darei fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges, et ipsi muliebria pati assueti, sequebantur.

Haec luxu et peregrinis infecta moribus veteres Phi- 21
lippi milites, rudis natio ad voluptates, palam aversabantur, totisque castris unus omnium sensus ac sermo erat, plus amissum victoria, quam bello esse quaesitum. Tum maxime vinci ipsos, dedique alienis moribus et externis: tantae morae pretium, domos quasi in captivo habitu reversuros. Pudere iam sui. Regem, victis quam victoribus similiorem, ex Macedoniae imperatore Darei satrapen factum. Ille non ignarus et principes amicorum et exercitum graviter offendi, gratiam liberalitate donisque reparare temptabat.

ruisse *hi namque*. (Nam nostri codices Bern. A Flor. AB qui paulum aberrant habent *hii namque*, et sic Leid. nec discrepat Voss. *hunamque.*) An veteres editores dubitarunt num postponeretur *namque?* Postponitur vero frequenter apud Curtium, imprimis in parenthesibus, v. c. VIII, 49. IX, 18. Significat auctor Alexandrum ab *equitibus ἑταίροις* incepisse: hos militiae honoratissimos fuisse nemini non abunde cognitum est.

Persicis ornaverat vestibus] Si cui placet continuo corrigat cum Modio *oneraverat*, habent enim sic plurimi iidemque optimi libri. Neque dubium est quin istud onus potius quam honos fuerit: verum displicet tamen et videtur mihi quidem a simplici stilo historiae aliena esse illa irrisio. Solere autem verba ista confundi, si cui dubium, docet Drak. ad Liv. XXXIV, 10 init.

§. 8. *Pellices CCC et LX*] Hoc loco omnes libri manu scripti centum addunt numero, cum supra III, 7 *trecentas sexaginta* expressis literis exhibeant. Praestat credere Diodoro c. 77 eam feminarum cohortem ad dierum in anno numerum referenti.

Cap. 21, §. 9. *bello esse quaesitum*] Hoc ordine verborum optimi, reliqui *esse quaesitum bello*, unus Flor. C *esse bello quaesitum*, vulgatum *bello quaes. esse* in nullo ms. est.

§. 10. *tum maxime*] *Cum maxime* libri mss. praeter Flor. DF Pal. 1, in quibus vulgata legitur, quae unice vera est. Modius *tum cum maxime* edidit, de coniectura utramque lectionem coniungens.

tantae morae pretium domos — reversuros] Videntur haec integerrima, sed vulnus subest gravissimum et medicinae si quod aliud egens. In codd. enim Flor. ABC sic legitur: *et externis quoque tantae more domos*, pro *quoque* in Flor. DEFHI Bern. B est *quod*, in G *quo dante more*, in Bern. A Voss. 1 *quo tante more*, ex Leid. *quo tantae* affertur. In omnibus deest *pretium*, quod primum in Aldina accessit, nec reliqui editores in tanta varietate Aldinam lectionem deserere ausi sunt, praeter Modium, qui *quos tantae morae pretium* edidit, sed *pretium* unde duxerit non indicavit. Equidem conieceram: *mutato more domos quasi in captivo habitu reversuros.*

§. 11. *gratiam — reparare*] Sic omnes libri mei et Snakenburgii, nec video quid impediat quominus *reparare gratiam* aeque bene dicatur atque illud, quod vulgo editur *recuperare*, modo quod reparare gratiam suam ipsius intelligo, recuperare alterius. Gratia enim alteriusutrius est, rex desierat esse in gratia apud exercitum, gratiam suam amiserat, eam reparare studebat, ut sicut antea gratia exercitus floreret.

Sed, opinor, liberis pretium servitutis ingratum est. Igitur 12
ne in seditionem res verteretur, otium interpellandum erat
bello, cuius materia opportune alebatur. Namque Bessus, 13
veste regia sumpta, Artaxerxen appellari se iusserat, Scy-
thasque et ceteros Tanais accolas contrahebat. Haec Sati-
barzanes nuntiabat, quem receptum in fidem regioni, quam
antea obtinuerat, praefecit. Et cum grave spoliis appara- 14
tuque luxuriae agmen vix moveretur, suas primum, deinde
totius exercitus sarcinas, exceptis admodum necessariis,
conferri iussit in medium. Planities spatiosa erat, in quam 15
vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid
deinde esset imperaturus, iumenta iussit abduci, suisque
primum sarcinis face subdita, ceteras incendi praecepit.
Flagrabant exurentibus dominis, quae ut intacta ex urbi- 16
bus hostium raperent, saepe flammas restinxerant, nullo
sanguinis pretium audente deflere, cum regias opes idem
ignis exureret. Brevis deinde oratio mitigavit dolorem, 17
habilesque militiae et ad omnia parati laetabantur, sarcina-
rum potius, quam disciplinae, fecisse iacturam. Igitur Ba- 18
ctrianam regionem petebant.

22 Sed Nicanor, Parmenionis filius, subita morte corre-
ptus, magno desiderio sui affecerat cunctos. Rex, ante 19
omnes maestus, cupiebat quidem subsistere funeri affuturus,
sed penuria commeatuum festinare cogebat. Itaque Philo-
tas cum duobus milibus et DC relictus, ut iusta fratri per-
solveret: ipse contendit ad Bessum.

§. 12. *otium interpellandum erat bello*] Edit. princ. *otio interpell. erat bellum*, Merula *otio interpolandum erat bellum*, Aldus primus quod deinde ab omnibus propagatum est, *otium interpellandum erat bello*. Codices mirum est quanta constantia retineant *bellum*, optimi ita ut simul etiam *otium* servent, deteriores ut *ocius* scribant. Unus Flor. G Aldinae lectioni favet, a qua difficile est discedere.

§. 14. *conferri iussit in medium*] Codd. omnes praeter Flor. G *referre*. Voluit Heinsius *deferri*, sed aptius certe nihil quam vulgatum. Paulo post in codd. item omnibus praeter Flor. G *in qua* negligenter pro *in quam* scriptum.

§. 17. *brevis deinde oratio*] Primis temporibus edebatur *brevis deinde ratio*, donec Iunius dedit *brevis deinde oratio*. Sed verum est quod Modius annotat, in optimis codd. esse *brevi deinde ratio*, sed *brevis* tamen est in Flor. C, *horatio* in Leidensi, et quod vulgo editur in Flor. DEFHI Bern. B. Unus Flor. G *brevi deinde ratione mitigabat*.

20 Iter facienti ei litterae afferuntur a finitimis Satraparum, e quibus cognoscit, Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu, ceterum Satibarzanem, quem satra-
21 pam Ariorum ipse praefecisset, defecisse ab eo. Itaque quamquam Besso imminebat, tamen ad Satibarzanem opprimendum praeverti optimum ratus, levem armaturam et equestres copias educit, totaque nocte itinere strenue fa-
22 cto, improvisus hosti supervenit. Cuius cognito adventu Satibarzanes cum II milibus equitum (nec plures subito contrahi poterant) Bactra perfugit, ceteri proximos montes
23 occupaverunt. Praerupta rupes est, qua spectat Occidentem: eadem qua vergit ad Orientem leniore summissa fastigio, multis arboribus obsita, perennem habet fontem, ex quo largae aquae manant. Circuitus eius XXX et II sta-
24 dia comprehendit. In vertice herbidus campus. In hoc multitudinem imbellem considere iubent: ipsi, qua rupes *

Cap. 22, §. 20. *Iter facienti ei litterae*] Hoc verba ordine collocant Snakenb. libri et Flor. ABCG, in ceteris Flor. et Bern. B et edit. Mod. *ei* omissum est. Mox *a finitimis satraparum* ex Flor. G aut simili libro quem hodie non novimus in editionem principem venit, nam reliqui omnes mss. *finibus* habent.

quem satrapam Ariorum ipse praefecisset] Reprehendunt hoc dicendi genus et volunt aut *Ariis* aut *Satrapiae* (Curtius dixisset *Satrapeae* cf. V, 6, 44; V, 9, 17; VI, 5, 11) *Ariorum*, sed neutrum codicum mstorum auctoritate adiuvatur. Etenim Flor. AB sicut edidimus, (nec discrepat Bern. A in quo a pr. m. est *satrapham Ariorum*) quibuscum facere videntur etiam DF *Satrapam acrior* et EI Bern. B *satrapan acrior*, cod. C *Satrapaniarum*, G *Satrapem Ariorum*, H *satrapen acrior*. Nec si Graece vertas ὃν αὐτὸς ἔταξε ἄρχοντα τῶν Ἀρείων, vel τεταγμένον τῶν Ἀρείων ἄρχοντα, absonum quicquam notabis. Ceterum hunc locum omittere non possum quin apud Diodor. XVII, 78 τὸν μὲν Ἀρείων Σατράπην Σατιβαρζάνην emendem, pro eo quod est τὸν μὲν Δαρείου Σατράπην. Nam quid opus est hominem Darei iam demortui satrapen dicere? Post in verbis *ad Satib. opprimendum* codices Leid. Voss. 1 et Flor. omnes cum Bern. B praepositionem *ad* omittunt, male. In Bern. A videtur inventum esse. Ceterum *Satibarzanem* Flor. quidem omnes et hic et posthac, quamquam Snak. *en* edidit itaque in mss. esse tradit, quod de Leid. et Voss. 1 intelligo, et annotatur etiam ex Bern. A.

§. 21. *itinere strenue facto*, verborum ordine paulum mutato, (vulgo enim *stren. fact. it.*) ex Flor. ABCG Bern. A Leid. Voss. 1 edidi: in reliquis *itinere* desideratur.

§. 22. *nec plures*] Editi interiiciunt *enim* quod in scriptis non apparet.

§. 23. *rupes est*] Vulgo *erat* contra codices.

ex quo largae aquae manant] Codices fere omnes *large* (quoniam nostrorum nisi Flor. FG *largae* praebent) sed in hac re licet ab iis discedere. IX, 2, 11 *et aquae largae manant e fontibus*, quamquam et illic duo boni Leid. et Bern. A pr. m. *large* habent. Mox *circuitus* olim recte edebatur secundum veteres libros, nunc fere *circumitus*.

§. 24. *qua rupes * erat*] Explicant circa totam rupem, sed verum vidisse Bongarsius videtur, excidisse aliquid, ut

erat, arborum truncos et saxa obmoliuntur. XIII milia armata erant. In quorum obsidione Cratero relicto, ipse Satibarzanem sequi festinat. 25

23 Et quia longius abesse eum cognoverat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. Ac primo repurgari iubet, quicquid ingredi possent: deinde, ut occurrebant inviae cotes praeruptaeque rupes, irritus labor videbatur obstante natura. Ille, ut erat animi semper obluctantis difficultatibus, cum et progredi arduum, et reverti periculosum esset, versabat se ad omnes cogitationes, aliud atque aliud, ita ut fieri solet, ubi prima quaeque damnamus, subiiciente animo. Haesitanti, quod ratio non potuit, fortuna consilium subministravit. Vehemens Favonius erat, et multam materiam ceciderat miles, aditum per saxa molitus. Haec vapore torrida iam inarserat. Ergo aggeri alias arbores iubet, et igni dari alimenta: celeriterque sti- 26 27 28 29

ea pars rupis significaretur, quae accessu facilis esset, verbi causa *declivis*. Acidalius et Heinsius non inepte coniecerunt *qua rupes deerat*, at auctor totum montem paulo ante *rupem* appellaverat. Acidalius praeterea abiecta illa coniectura *qua rupes sederat* legendum contendit. Possis etiam *qua rupes patebat*, vel *qua rupes adiri poterat*, sed ancipites sunt omnes hi medendi conatus, ubi codices destituunt.

§. 25. *In quorum obsidione*] Haec est lectio edit. principis qua Aldus correcta edidit *horum*, male, quamquam codices et ipse secutus, verum deteriores (Flor. DEFHI Bern. B et fortasse qui illorum sectam sine ulla auctoritate sequuntur Pal. 1 Voss. 2.)

Cap. 23, §. 25. *Et quia longius abesse eum*] Nota *et* dici pro eo quod esse poterat *sed*. Tum vulgo *eum abesse*, (ut Flor. EH Bern. B), nos meliores et plures codd. secuti sumus.

§. 26. *quicquid ingredi possent* pro quacunque, s. quousque dictum recte accipit Freinshemius, Livium comparans lib. VIII, 39 *quicquid progrediebantur, magis magisque turbatos hostes — cernebant*. Id. lib. XXXIV, 62 *quicquid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque iniuria partum habere*. Cf. Gronov. ad VII, 32 *quicquid ab urbe longius proferrent arma*. Male h. l. libri deteriores atque etiam Flor. G *ingredi posset*.

§. 28. *vapore torrida iam inarserat*] Vulgo *torrida inaruerat*, sed materia cum iam torrida fuisse dicatur, qui potest nunc demum *inarescere?* Laudo igitur et recipio Sebisii (in Freinsh. commentario) emendationem *inarserat*, cui non obest quod mox sequitur *undique ignis iniectus*. Coeperat materia ipsa sole calescere et magis etiam inardescere nondum tamen flamma extiterat, alia materia aggeritur, tum faces ad incendium excitandum iniiciuntur. Quod Flor. G habet *vapore torrido iam inaruerat* (a quo ne reliqui quidem libri deteriores in eo abeunt quod *torrido* habent, quamquam in iisdem *aruerat* legitur) placere posset, si usquam *torridus* sensu activo pro eo quod est torrens, torrefaciens, diceretur. Itaque cum *torrida* non possit non ad materiem referri (ut libri integriores postulant) nihil aliud superest nisi ut *inarserat* corrigamus. Ceterum *iam* addidi omnium librorum mss. meorum et Snak.. auctoritate, in deterioribus non *iam*, sed insequentis verbi prima syllaba *in* premitur.

§. 29. *igni dari alimenta*] Recte sic secundum Aldinam vulgo editur,

30 pitibus cumulatis fastigium montis aequatum est. Tunc undique ignis iniectus cuncta comprehendit. Flammam in ora hostium ventus ferebat, fumus ingens velut quadam 31 nube absconderat coelum. Sonabant incendio silvae, atque ea quoque, quae non incenderat miles, concepto igne, proxima quaeque adurebantur. Barbari suppliciorum ultimum, si qua intermoreretur ignis, effugere temptabant, sed qua 32 flamma dederat locum, hostis obstabat. Varia igitur caede consumpti sunt: alii in medio ignis; alii petris praecipitavere se, quidam manibus hostium obtulerunt; pauci semiustulati venere in potestatem.

33 Hinc ad Craterum, qui Artacacna obsidebat, redit. 24 Ille, omnibus praeparatis, regis expectabat adventum, ca-

annoto tamen in libris mss. omnibus praeter unum aut alterum (Flor. I et si quis forte alius latet) esse *dare*, ne quis nimis religiosus sicubi simile quid necesse sit emendare libros defendat. Vide Indicem s. v. Termin. verborum confus.

§. 31. *atque ea quoque — proxima quaeque adurebantur*] Necesse fuit corrigere *adurebantur*, cum in libris et editis et manuscriptis *adurebant* legeretur. Quid enim? Quae milites non incenderant cetera adurebant? Itaque ipsa illa ab aliis iam adustis incensa fuisse necesse erat. Quae gradatio ineptum aliquid habet. Hoc fuit opinor quod principes editores movit ut *non* delerent. Verum ea medicina et ipsa ridicula est, quoniam non intelligas quo pertineat istud *quoque*. Itaque nihil iam superest nisi ut passivam verbi terminationem, quod saepe factum est, omissam a librariis adiicias. Omissam autem puto consulto, quod non intelligerent quo duplex subiectum *ea* et *proxima quaeque* pertineret. Alterum autem adiicitur priori ut significet paulatim et continuo incendium esse propagatum, ita ut proxima quaeque prima adurerentur.

§. 32. *alii in medio ignis; alii petris praecipitavere se*] Editur vulgo *in medios ignes*, tum olim quidem *in petris*, post *in petras*. Horum nihil est in codicibus manuscriptis, praeterquam quod in Flor. G est *in medios ignes*, ceteri *in medio ignis*, et *petris*. Atque hoc sine dubitatione erat recipiendum, neque enim *in petras* quisquam se praecipitat sed *de petris*, quod etiam solo Ablativo significari potest. De altero dubitaveram in priore edit. num satis conveniret Curtianae dicendi rationi atque scripseram *in medio igni*, nunc autem ferendum puto, sicut est III, 26 *in medium Persarum* et III, 32 *ad ultimum vitae*. Neque haec verba cum sequentibus coniunxerim, sed cum praegressis; quodsi velles *in medios ignes*, sicut vulgo, corrigere, tamen ne sic quidem conveniret cum eo quod sequitur *petris praecipitare*. In fine omisi *se*, quod in editis additur ante *obtulerunt*, quia facile suppletur nec in manuscriptis invenitur.

Cap. 24, §. 33. *qui Artacacna obsidebat*] Caput hoc Arianae apud Arrianum III, 25 est Ἀρκτόανα, apud Diodorum XVII, 78 *Χυρτάκανα*, apud Plin. nat. hist. VI, c. 23 (25) Artacoana, apud Strabonem lib. XI, c. 10 p. 516 Tzschuckius Ἀρτάκακνα probavit. Idem h. l. vulgo editur, cum in principe fuisset *Artacana*, in Aldina *Artabazana cara*, in Iuniana et Modiana *Artacacnam*. In mss. Leid. Voss. 1 Flor. ABC est *Artacacna*, in Bern. A Flor. G *Artacana*, reliqui fere *Artabazana* (*Arthabarzana* Flor. DF) habent. Hodie Herat caput eius regionis est, cf. Ritteri Geograph. VIII, p. 239 sqq.

ptae urbis titulo, sicut par erat, cedens. Igitur Alexan- 34
der turres admoveri iubet: ipsoque aspectu barbari territi, e muris supinas manus tendentes, orare coeperunt, iram in Satibarzanem defectionis auctorem reservaret, supplicibus semet dedentibus parceret. Rex, data venia, non obsidionem modo solvit, sed omnia sua incolis reddidit.

Ab hac urbe digresso supplementum novorum militum 35
occurrit. Zoilus D equites ex Graecia adduxerat: III milia ex Illyrico Antipater miserat: Thessali equites C et XXX cum Philippo erant: ex Lydia II milia et DC, peregrinus miles, advenerant: CCC equites gentis eiusdem sequebantur. Hac manu adiecta Drangas [pervenit.] Bellicosa natio est. 36
Satrapes erat Barzaentes, sceleris in regem suum particeps Besso. Is suppliciorum, quae meruerat, metu profugit in Indiam.

25 Iam nonum diem stativa erant, cum externa vi non VII.
tutus modo rex, sed invictus, intestino facinore petebatur. Dimnus, modicae apud regem auctoritatis et gratiae, exo- 2

§. 34. *barbari territi*] Sic omnes codd. Vulgo ordine verborum inverso. Quod dicit supinas manus extendisse illos pertinet ad communem veterum morem ut in invocandis diis non solum tollerent manus sed palmas inverterent, ut Vergilius describit Aen. III, 176 *tendoque supinas ad coelum cum voce manus* et Horat. Carm. III, 23 pr. *Coelo supinas cum tuleris manus.* Cf. Livium III, 50.

§. 36. *Drangas pervenit*] Uncis inclusi verbum, quod non est in codicibus mstis. Verum simile quod adiiciatur necesse est.

Barzaëntes] Sic Modius primus hominis nomen scripsit secundum Arrianum III, 25 extr. Codd. Curtii *Barzanenses* vel *Barzaneses*, unus Flor. G *nabarzanes*, quod etiam editio pr. Ald. Iun. aliae.

Cap. 25, §. 1. *non tutus modo*] Variant h. l. libri manuscripti, *tutus* est in Flor. AG Bern. A Leid. Voss. 1 Modiana editione; *territus* in Flor. C, in Flor. B deest, in ceteris Flor. et Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *interritus*. Sic editur nunc quidem vulgo, olim ante Iunium *territus*. *Non tutus modo, sed invictus* sic explica: non solum praesidiis adversus hostilem impetum cinctus ac defensus, sed experimento virium saepe facto etiam superior. In vulgata lectione nulla est gradatio, nam qui *interritus* est, is pericula expertus contemnit, quo nihil est plus, nisi si quis prorsus se ab hostibus peti non posse in animum quidem induxerit. Ablativus autem *externa vi* cum non solum referatur ad *tutus*, sed etiam ad *invictus*, duplicem significationem habet et remotionis et actionis. Alioquin rara est constructio *tutus* aliqua re pro ab aliqua re, nec habent lexica nisi unum auctorem Caes. in bello Alex. 1 *Nam incendio fere tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt aedificia.*

§. 2. *Dimnus* magis secundum auctoritatem Graecorum Diodori et Plutarchi a nobis scribitur, quam codicum mss. Curtii, quorum sane plerique, ut adhuc editi, nomen littera *y* scriptum exhibent contra vulgarem librariorum morem. Sed sunt tamen etiam nonnulli Flor. DFI, in quibus *Dimnus* sit.

leti, cui Nicomacho erat nomen, amore flagrabat, obsequio
3 uni sibi dediti corporis vinctus. Is, quod ex vultu quoque
perspici poterat, similis attonito, remotis arbitris cum iuvene
secessit in templum, arcana se et silenda afferre praefatus,
4 suspensumque expectatione per mutuam caritatem et pi-
gnora utriusque animi rogat, ut affirmet iureiurando, quae
5 commisisset, silentio esse tecturum. Et ille ratus, nihil,
quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum,
6 per praesentes deos iurat. Tum Dimnus aperit, in tertium
diem regi insidias comparatas, seque eius consilii fortibus
7 viris et illustribus esse participem. Quibus iuvenis auditis,
8 se vero fidem in parricidio dedisse constanter abnuit, nec
ulla religione, ut scelus tegat, posse constringi. Dimnus,
et amore et metu amens, dexteram exoleti complexus, et
lacrimans, orare primum, ut particeps consilii operisque
9 fieret: si id sustinere non posset, attamen ne proderet se,
cuius erga ipsum benivolentiae praeter alia hoc quoque
haberet fortissimum pignus, quod caput suum permisisset
10 fidei adhuc inexpertae. Ad ultimum aversari scelus perse-
verantem mortis metu terret: ab illo capite coniuratos pul-
11 cherrimum facinus inchoaturos. Alias deinde effeminatum
et muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appel-
lans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quo-
que, versabat animum tanto facinore procul abhorrentem.
12 Strictum deinde gladium modo illius, modo suo admovens
iugulo, supplex idem et infestus expressit tandem, ut non
13 solum silentium, sed etiam operam polliceretur. Namque

vinctus scripti quidem omnes, sed editi praeter Mod. *victus*. Illud unice verum, cum sermo non sit de suscipiendo amore sed de constantia et perpetuitate amoris.

§. 6. *regi insidias comparatas*, ordine verborum mutato omnes libri mss. Editi *ins. regi comparatas*.

§. 8. *dexteram exoleti*] Edd. *dextram*, sed pareo meorum codd. consensui.

§. 10. *mortis metu*] Adhuc editi praeter Modianum *metu mortis*, sed illud codices Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG.

§. 11. *interdumque regn. quoque*] Sic vulgo, sed non puto verum esse *nunc — interdumque* quod debet esse *nunc — interdum*. Flor. EH Bern. B *interdum quoque regnum*, atque sic edidit Iunius, sed multo melius *interdum regnum quoque*.

§. 12. *expressit tandem ut*] Sic Freinshemiana et recte. Edd. vett. *expressit ut tandem* secundum codd. Flor. CDE FGHI Bern. B, noli dubitare etiam Pal. 1 Voss. 2 (quamquam non patet apud Snak.)

abunde constantis animi, et dignus qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutaverat, sed se captum Dimni amore simulabat nihil recusare. Sciscitari inde pergit, cum 14
quibus tantae rei societatem inisset: plurimum referre, quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent. Ille, 15
et amore et scelere male sanus, simul gratias agit, simul gratulatur, quod fortissimis iuvenum non dubitasset se adiungere Demetrio, corporis custodi, Peucolao, Nicanori. Adiicit his Aphoebetum, Ioceum, Dioxenum, Archepolim, Amyntam.

26 Ab hoc sermone dimissus Nicomachus ad fratrem, Ce- 16
balino erat nomen, quae acceperat defert. Placet, ipsum subsistere in tabernaculo, ne, si regiam intrasset, non assuetus adire regem, coniurati proditos se esse resciscerent. Ipse Cebalinus ante vestibulum regiae, neque enim propius 17
aditus ei patebat, consistit, opperiens aliquem amicorum ex

§. 13. *sed se captum*] Optimi codices Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB *sed captus* quod priore edit. receperam Nominativum cum Infinitivo Graeco more constructum existimans. Sed et illa constructio a stilo Curtiano aliena est, et oratio ambigua fieret, quod vitium a nostro scriptore procul abest, cum *captus* referretur ad *simulabat*, quod referri deberet ad *recusare*. Itaque ad vulg. redeo *sed se captum*. Flor. CG *sed captum*, idque ipsum in textum male recepit Modius: potius error librariorum videtur, et excidisse *se* post *sed*, quem errorem corrigentes alii scripserunt *captus*.

§. 15. *fortissimis — se adiungere*] Freinsh. *fortissimus* sicut sane libri mss. omnes praeter Flor. G habent, sed edit. princ. eam ipsam ob causam quod ex libro compari ducta est *fortissimis*, retinueruntque insecuti editores, etiam Modius, quia senserunt requirere verbum iungendi casum rei cui ille sese applicuisset. Hoc nos quoque nunc tenemus, cum in priore editione *fortissimus* ediderimus. Ceterum *adiungere* dedimus cum Modio Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG secuti, pro vulg. *iungere*. Unus Flor. G *sese adiungere*.

Peucolao cet.] De codicum varietate in scribendis his nominibus vide Append. De *Peucolao* satis constat, quamquam id nomen apud Graecos nondum inventum est. Nec *Aphoebetus* contra analogiam est, cum sit Graecum verbum φοιβάω, unde φοιβητός; sed nomen proprium non reperitur: *Aphobetus* magis placet nec tamen insisto. Tum *Ioceum* optimi et plurimi codices, ex Flor. G et eius similibus in editiones venit *Loceum*, equidem dederam *Ioecum* priore edit. Ea omnia probari nequeunt. Itaque revocavi nunc codicum scripturam. De *Dioxeno* non dubito cum sit Graecum Θεόξενος, sed miror tamen non inveniri in lexicis. In fine sustuli *et*, quod in editis omnibus praeter Mod. est (*et Amyntam*) consensu codicum meorum omnium. Omiseram notare in edit. priore. Iam igitur regula illa, qua *et* semel cum ultimo nomine positum damnatur, praeclare confirmata est. Cf. tamen IV, 34, 12.

§. 17. *opperiens aliquem amicorum ex prima cohorte*] Hoc ordine verba collocantur in optimis, cum vulgo fuerit *aliquem ex prima coh. amicorum*, sed nihil ad sensum interest; *amici* enim sunt ἑταῖροι ἱππεῖς, equites Macedonici, quorum primam cohortem dicit quod alibi τὸ ἄγημα τῶν ἱππέων appellatur,

18 prima cohorte, quo introduceretur ad regem. Forte ceteris dimissis, unus Philotas, Parmenionis filius, incertum quam ob causam, substiterat in regia. Huic Cebalinus, ore confuso magnae perturbationis notas prae se ferens, aperit quae ex fratre compererat, et sine dilatione nuntiari
19 regi iubet. Philotas, collaudato eo, protinus intrat ad Alexandrum, multoque invicem de aliis rebus sermone consumpto, nihil eorum, quae ex Cebalino cognoverat, nuntiat.
20 Sub vesperam eum prodeuntem in vestibulo regiae excipit
21 iuvenis, an mandatum executus foret requirens. Ille, non vacasse sermoni suo regem causatus, discessit. Postero die Cebalinus venienti in regiam praesto est, intrantemque admonet pridie communicatae cum ipso rei. Ille curae sibi esse respondet: ac ne tum quidem regi quae audierat ape-
22 rit. Coeperat Cebalino esse suspectus. Itaque non ultra interpellandum ratus, nobili iuveni, Metron erat ei nomen, super armamentarium posito, quod scelus pararetur indicat.
23 Ille Cebalino in armamentario abscondito, protinus regi, corpus forte curanti, quid ei index detulisset, ostendit.

24 Rex, ad comprehendendum Dimnum missis satelliti-27
bus, armamentarium intrat. Ibi Cebalinus gaudio elatus, *Habeo te*, inquit, *incolumem ex impiorum manibus ereptum.*
25 Percontatus deinde Alexander quae noscenda erant, ordine

ut nostri solent *die Leibschwadron*. Cf. ad IV, 50, 26. Quod sequitur *quo introduceretur* pro *a quo* s. *per quem*, paulo insolentius dictum. Sed sic Seneca Controv. 9 ad fin. *contra Maximum Stertinium, quo premebatur, cum comes eius fuisset, dixit.* Unus Modius *ut introd.* scribere ausus est et codex eius adiutor laudatur in ferragine Freinsh. Bong. 1. Melius Iunius *a quo*, sed ne hoc quidem in codd. est.

§. 18. *sine dilatione*] Libri et nostri et Snak. omnes sic habent, ut nesciam unde principes editores duxerint quod hucusque ab omnibus praeter Modium editum est *sine cunctatione.*

§. 19. *collaudato eo*] *Conlaudato* Flor. A Bern. A Leid. Voss. Mod., *collaudato* Flor. BG, reliqui et vulgo editi *laudato.* Rectissime illi: nam *collaudandi* verbo propria sedes est, ubi principes ac nobiles sibi placere quae quis fecerit humaniter significant. Infra lib. VII, 8, 17 *collaudatus et promissis oneratus*, VII, 24, 38 *Alexander multum collaudato Spitamene.*

sermone consumpto omnes libri mss., editi praeter Mod. ordine inverso.

§. 21. *curae sibi esse respondet*] *Respondit* vulgo editur, sed *respondet* et oratio postulat et meliorum codd. auctoritas. *Esset* mendose Bern. A Flor. B.

§. 23. *quid ei index*] *Ei* potest alicui quamquam iniuria Latinitatis causa esse suspectum, magis aliis quod deest in Mod. et abesse notatur a Leid. Voss. 1, verum in nostris legitur omnibus praeter Flor. G, nec quod est in Bern. A *qui deindex* alio pertinet.

cuncta cognoscit. Rursusque institit quaerere, quotus dies esset, ex quo Nicomachus ad eum detulisset indicium. Atque illo fatente, iam tertium esse, existimans, haud incorrupta fide tanto post deferre quae audierat, vinciri eum iusserat. Ille clamitare coepit, eodem temporis momento, quo audisset, ad Philotan decurrisse: ab eo percontaretur. Rex item quaerens, an Philotan adisset, an institisset ei, ut pervenirent ad se, perseverante eo affirmare quae dixerat, manus ad coelum tendens, manantibus lacrimis, hanc sibi a carissimo quondam amicorum relatam gratiam querebatur. Inter haec Dimnus, haud ignarus quam ob causam accerseretur a rege, gladio, quo forte erat cinctus, graviter se vulnerat, occursuque satellitum inhibitus, perfertur in regiam. Quem intuens rex, *Quod*, inquit, *in te, Dimne, tantum cogitavi nefas, ut tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipso videretur?* Illum iam defecerat vox. Itaque edito gemitu, vultuque a conspectu regis averso, subinde collapsus extinguitur.

28 Rex, Philota venire in regiam iusso, *Cebalinus*, inquit, *ultimum supplicium meritus, si in caput meum praeparatas insidias biduo texit, huius criminis Philotan reum substituit, ad quem protinus indicium detulisse se affirmat. Quo propiore gradu amicitiae me contingis, hoc maius est dissimula-*

Cap. 27, §. 26. *vinciri eum iusserat*] *Iusserat* quidem sed mox se revocavit. Hoc inest in plusquamperfecto tempore, etiamsi *iam* non addatur, quo non intellecto olim correctores *iussit* scribendum censuerunt. Sed verum superest in Leid. Voss. 1 *(iussit at)* et Bern. A Flor. AB.

§. 27. *ad Philotan*] Sic mss. omnes habere annotat Snakenburgius quod de ipsius paucis intelligo, nam plurimi quidem nostri — *am* exhibent. Sed Bern. A semper in hac narratione *Philotan* scribit, Flor. A non nisi h. l. et infra §. 31, ubi et Flor. B accedit. Cf. ad lib. VII princ.

ab eo percontaretur] Mendose Bern. uterque Flor. ABCEH *ab eo percomperta*. Verum unus servat Flor. G et Pal. 3 in Freinsh. collect. ex quibus in edd. feliciter venit.

§. 28. *ut pervenirent ad se*, nimirum quae audisse se diceret. De duobus fratribus nemo velit intelligere, quoniam de altero nulladum mentio facta, et *pervenire* de iis quae auribus accipiuntur magis ex usu Latinitatis videtur. Vulgo *perveniret* editur, sed pluralem numerum Bern. uterque Flor. ABEH Leid. Voss. 1 cum edit. Mod. praestant.

§. 31. *biduo texit*] Non sequor h. l. nonnullorum bonorum codd. Leid. Flor. A ac praeter eos Flor. EFHI Bern. B lectionem *texisset* quippe minus aptam orationi regis. Nam qui *si texisset* dicit, is iam verum illud non esse se putare significat.

Philotan reum] Hoc ordine omnes libri vett. Sed deteriores cum Flor. G *Philotam* et praeter CG *constituit*.

32 *tionis tuae facinus, et ego Cebalino magis quam Philotae id convenire fateor. Faventem habes iudicem, si, quod admitti* 33 *non oportuit, saltem negari potest.* Ad haec Philotas haud sane trepidus, si animus vultu aestimaretur, Cebalinum quidem scorti sermonem ad se detulisse, sed ipsum tam levi auctori nihil credidisse respondit, veritum, ne iurgium inter amatorem et exoletum non sine risu aliorum detulisset: 34 cum Dimnus interemerit semet, qualiacunque erant, non fuisse reticenda. Complexusque regem orare coepit, ut praeteritam vitam potius, quam culpam, silentii tamen, non 35 facti ullius, intueretur. Haud facile dixerim, credideritne ei rex, an altius iram suppresserit: dextram reconciliatae gratiae pignus obtulit, et contemptum magis, quam celatum indicium esse, videri sibi dixit.

VIII. Advocato tum consilio amicorum, cui tamen Philotas 29
2 adhibitus non est, Nicomachum introduci iubet. Is eadem, quae detulerat ad regem, ordine exposuit. Erat Craterus regi carus in paucis, et eo Philotae ob aemulationem digni-
3 tatis adversus; neque ignorabat, saepe Alexandri auribus nimia iactatione virtutis atque operae gravem fuisse, et ob ea non quidem sceleris, sed contumaciae tamen esse su-

§. 32. *non oportuit*] Optime sic emendavit Hadr. Iunius, recepitque Modius. Nam quod libri scripti quantum video omnes habent, *non potuit* semet ipsum prodit.

§. 33. *Ad haec*] Sic libri mss. omnes et edit. Mod. Vulgo *ad hoc*, quod apud Curtium significat i. q. praeterea.

§. 34. *interemerit semet*] Sic scripti, ut editi *se ipsum*, quod in uno est Flor. I. Sed Flor. G et edit. Mod. *semet interemerit*, deteriorum turba *interimeret*.

§. 35. *dextram*] *dexteram* Bern. A Flor. CG.

Cap. 29, §. 1. *tum consilio amicorum, cui tamen Philotas*] Ausus sum h. l. aliquid, quod ad orationem constituendam necessarium putavi. Editur enim vulgo *advocato tamen — cui tum Ph.* quod non magnopere improbarem, si *tum* in codicibus legeretur. Verum libri mss. utroque loco *tamen* habent. Id autem cum abhorreat ab elegantia orationis Curtianae, cumque perpetua sit in libris mss. illorum verborum confusio, primum *tum*, deinde *tamen* scripsi, sententiae certe sic probabiliter succurrisse visus.

§. 3. *iactatione virtutis*] Omnes libri veteres *actione*. Modius in Coloniensibus membranis annotat legi *taxatione* et eadem manu adscriptum *vel iactatione*, itaque edidit ipse. Optime sic emendavit, quisquis fuit, vetus an recens. Nam extat Modiana lectio iam in edit. Iuniana et coniecturae potius Iunii quam veteris libri collationi originem videtur debere. Sed sic fere post Ciceronem loquuntur, cum ille olim *iactantiam* potius dixisset.

tamen esse suspectum] Vulgo omittitur *esse*. Duae sunt lectiones: *tamen esse* optimi habent Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC cum edit. Modiana, *tum* (sine *esse*) in reliquis est, praeter unum

spectum. Non aliam premendi inimici occasionem aptio- 4
rem futuram ratus, odio suo pietatis praeferens speciem, *Utinam*, inquit, *in principio quoque huius rei nobiscum deliberasses. Suasissemus, si Philotae velles ignoscere, patereris* 5 *potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam usque ad mortis metum adductum cogeres saepius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari tibi poterit, tu non semper Philotae poteris ignoscere. Nec est quod exi-* 6 *stimes, eum, qui tantum ausus est, venia posse mutari. Scit, eos, qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. At ego, etiamsi ipse vel poenitentia vel beneficio tuo* 7 *victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem, tanti ducem exercitus, et inveterata apud milites tuos auctoritate haud multum infra magnitudinis tuae fastigium positum, scio non aequo animo salutem filii sui debiturum tibi. Quaedam beneficia odi-* 8 *mus. Meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri iniuriam accepisse, quam vitam. Proinde scito tibi cum illis de salute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad* 9 *quos persequendos ituri sumus: latus a domesticis hostibus muni. Hos si summoves, nihil metuo ab externo.*

30 Haec Craterus. Nec ceteri dubitabant, quin coniura- 10
tionis indicium suppressurus non fuisset, nisi auctor aut particeps. Quem enim pium et bonae mentis, non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis quae ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? ne Cebalini 11 quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipsi nuntiasset, Parmenionis filium, praefectum equitatus, omnium arcano-

Flor. G in quo *tum esse* legitur. (Etiam Pal. 1. 2. Bong. traduntur *tum esse* habere, sed vereor ut verum sit.)

§. 5. *patereris*] Sic omnes libri mss. et vulgo editi. Edd. Iuniana et Modiana *paterere*, quod apud Ciceronem maxime probabile, apud Curtium non item, qui illa forma non utitur.

cogeres saepius] Sic plerique omnes codices; meorum unus Flor. G et fortasse unus et alter ex iis qui h. l. non commemorantur, quibus principes editores usi sunt, *potius*, quo ingrata prorsus repetitio sit: *patereris potius ignorare — quam cogeres potius*. Sic tamen vulgo editur.

§. 6. *qui tantum ausus est.* Vulgo *qui tantum facinus ausus est*, sed *facinus* ignorant omnes libri mss. quorum commemoratio fit, praeter Flor. G (et incertum Pal. 3) et facile potest ἐμβλημα esse veteris olim correctoris.

§. 8. *proinde scito*] Sic emendavit de coniectura Modius recte, etiamsi in codd. adhuc non inventum sit nisi *scio*.

rum regis arbitrum? simulasse etiam, non vacasse sermoni
2 suo regem, ne index alium internuntium quaereret. Nicomachum, religione quoque deum astrictum, conscientiam suam exonerare properasse: Philotam, consumpto per ludum iocumque paene toto die, gravatum esse pauca verba, pertinentia ad caput regis, tam longo et forsitan supervacuo inserere sermoni. At enim se non credidisse talia
4 deferentibus pueris! Cur igitur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fidem? dimittendum fuisse Cebalinum, si
4 delationem eius damnabat. In suo quemque periculo magnum animum habere, cum de salute regis timeretur, credulos esse debere, vana quoque deferentes admittere.
5 Omnes igitur quaestionem de eo, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse decernunt. Rex admonitos, uti consilium silentio premerent, dimittit.

Pronuntiari deinde iter in posterum iubet, ne qua31
3 novi initi consilii daretur nota. Invitatus est etiam Philotas ad ultimas ipsi epulas, et rex non coenare modo, sed etiam familiariter colloqui cum eo, quem damnaverat, sus-
7 tinuit. Secunda deinde vigilia, luminibus extinctis, cum paucis in regiam coëunt Hephaestion et Craterus et Coenus et Erigyius, hi ex amicis, ex armigeris autem Per-

Cap. 30, §. 12. *pertinentia ad caput regis*] Hoc ordine edit. Mod. et optimi illi cum Flor. G, vulgo *ad cap. regis pertinentia.*

§. 13. *At enim se non credidisse*] Pars codicum nostrorum Flor. ABCDE *si non credidisse*, pars cum Leid. et utroque Bern. *si non credidisset*, perpauci (Flor. quidem EF) ut vulgo editur *at enim non credidisse.* Apparet opinor *se* verum esse, quod addidi infinitivo.

§. 15. *uti consilium silentio premerent*] Variant codd. et partim *consilium silentio* (ut vulgo) partim *silentio consilium* alio verborum ordine exhibent. Verum omnes nostri praeter Flor. G (sed fortasse etiam Bern. A et Voss. 1) *uti*, quod vulgo est *ut.*

Cap. 31, §. 15. *iter in posterum iubet*] Additur in editis *in posterum diem*, nos vocem eiecimus propter codd. in ea damnanda consensum. Sic lib. VIII, 3, 22 *iamque iter parare in posterum iussus;* IV, 39 pr. *in proximum deinde pronuntiari iter iussit.* Sed VI, 42 plene in omnibus est *consilium in posterum diem distulit.*

§. 16. *et rex non*] Sic codd. omnes, nec abesse posse regis nomen, ut vulgo fit, orationis tenor docet.

§. 17. *hi ex amicis, ex armigeris autem*] Discrimen h. l. factum vereor ut ipse Curtius satis accurate intellexerit. Alioquin enim aliud nomen pro *armigeris* hisce adhibuisset, aut certe adiectivo quodam hos a reliquis quos vulgo dicit *armigeris* distinxisset. Nam alibi *armigeri* apud eum sunt milites gregarii ex ordine τῶν ὑπασπιστῶν: hoc autem loco sunt qui σωματοφύλακες nomine quidem dicebantur, erant autem

diccas et Leonnatus. Per hos imperatum, ut qui ad praetorium excubabant, armati vigilarent. Iam ad omnes adi- 18
tus dispositi erant equites, itinera quoque obsidere iussi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediae magnisque copiis praeerat, occultus evaderet. Atharrias autem eum tre- 19
centis armatis intraverat regiam: huic decem satellites traduntur, quorum singulos deni armigeri sequebantur. Hi 20
ad alios coniuratos comprehendendos distributi sunt: Atharrias, cum trecentis ad Philotam missus, clausum aditum domus moliebatur, quinquaginta iuvenum promptissimis stipatus; nam ceteros cingere undique domum iusserat, ne occulto aditu Philotas posset elabi. Illum, sive securitate 21
animi, sive fatigatione resolutum, somnus oppresserat; quem Atharrias torpentem adhuc occupat. Tandem ei sopore 22
discusso cum iniicerentur catenae, *Vicit*, inquit, *bonitatem tuam, rex, inimicorum meorum acerbitas.* Nec plura elocutum capite velato in regiam adducunt.

summi praefecti quasi praetorio, septem numero, de quibus vide Arrianum VI, 28. Ab his diversi qui *amicorum* nomine appellantur, sunt reliqui copiarum duces qui non erant corporis custodes, Craterus et Coenus singulis legionibus (*τάξεσι*) peditum Macedonicorum, *τῶν πεζεταίρων*, praefecti (vide IV, 50 cum notis); Erigyius equitibus mercenariis praeerat. Hephaestio quam praefecturam tum habuerit ignoratur, ac videtur nullum certum locum habuisse in re militari quidem, quoniam nihil aliud nisi amicus regis appellatur: mox habuit, et *σωματοφύλαξ* et equitum Macedonicorum (*τῶν ἑταίρων ἱππέων*) praefectus una cum Clito in locum Philotae institutus.

ad praetorium] Codd. nostri praeter Flor. G omittunt *ad*, nec Snakenburgiani habent nisi forte Voss. 1 qui non commemoratur. Edd. vett. usque ad Modium *iuxta* substituerunt. Sed *ad* magis ex usu scriptoris.

§. 18. *dispositi erant equites, itinera quoque*] Sic libri Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG, ceteri *dispositi erant milites equites*, unde factum est a Modio, quod vulgo editur *dispositi milites, equites quoque itinera* (cum in Ald. Iun. fuisset *itinera quoque*) inconcinne omisso verbo *erant* et invecto novo inter *milites* et *equites* discrimine.

§. 19. *huic decem satellites* cet.] Dum singula describit Curtius non mirum est eum in Graecis nominibus interpretandis lapsum esse. Nec decem satellites Atharriae (de scriptura nominis cf. supra V, 7) vere possunt esse traditi, quippe qui ad alia negotia exequenda, alios coniuratos comprehendendos dimissi fuerint. Itaque ille tantum summam rei curam videtur habuisse ceterisque praefuisse. Neque quid intersit inter satellites et armigeros in promptu est. Appellare utroque nomine Curtius solet eos qui Graece sunt *ὑπασπισταί*, quos eosdem ad praetorium excubasse verisimile est. Sed si quid divinandum, videntur *satellites* fuisse illi *βασιλικοὶ ὑπασπισταί*, qui ab Arriano V, 13, 4 appellantur supra agema *τῶν ὑπασπιστῶν*, ut, cum agema ex aliquot milibus armigerorum constiterit, prima cohors probatissimorum militum *βασιλικοὶ ὑπασπισταὶ* dicti fuerint sive proprie *satellites*.

§. 20. *Hi ad alios*] Vulgo *ii*. Ego consensum codicum meorum secutus sum.

§. 22. *inimicorum meorum — elocutum*] *Meorum* addidi ex Flor. AG Leid. Voss.

23 Postero die rex edixit, omnes armati coirent. Sex32
milia fere militum venerant; praeterea turba lixarum calo-
24 numque impleverant regiam. Philotam armigeri agmine
suo tegebant, ne ante conspici posset a vulgo, quam rex
25 allocutus milites esset. De capitalibus rebus vetusto Ma-
cedonum modo inquirebat exercitus, in pace erat vulgi;
et nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset aucto-
ritas. Igitur Dimni primum cadaver infertur, plerisque,
IX. quid parasset, quove casu extinctus esset, ignaris. Rex
deinde in contionem procedit, vultu praeferens dolorem
animi. Amicorum quoque maestitia expectationem haud
2 parvam rei fecerat. Diu rex demisso in terram vultu at-
tonito stupentique similis stetit. Tandem recepto animo,
Paene, inquit, *milites, hominum scelere vobis ereptus sum: deum providentia et misericordia vivo. Conspectusque vestri venerabilis coëgit, ut vehementius parricidis irascerer, quoniam prae-*

1. *Elocutum* autem non hi solum, sed omnes (praeter Flor. H Bern. B) pro vulg. *locutum* exhibent.

Cap. 32, §. 23. *impleverant regiam*] Pluralem verbi numerum pendentem ex nomine *turba* miror, nam sic alibi non solet Curtius. Nihil tamen e codd. nec nostris nec aliorum enotatum est, et simile aliquid est IV, 55 *Parthyaeorum gens, incolentium terras quas nunc Parthi tenent, claudebant agmen.*

§. 25. *de capitalibus rebus — exercitus*] Sic Modius locum constituit ex optimis. In deterioribus *inquirebant* legitur, et pluralis numeri explicandi causa addebatur etiam *reges* post *rebus*. Inde nova necessitas oriebatur ut expleretur insequens comma. Vide Append. Haec igitur omnia Modius constituit, sed et ipse et reliqui omiserunt coniunctionem *et*, quam nos mss. omnium consensu adiecimus (*et nihil pot. regum valebat*). Mox *Dimni primum cadaver* pro vulg. *primum Dimni cad.* Dedi secundum edit. Mod. et codices Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG.

quid parasset] Restitui veterem lectionem edit. principis et Aldinae, quam eandem codices meliores tuentur. Deteriores habent *quid passus*, etiam Flor. G. Quod vulgo nunc editur *patrasset* quamquam per se non improbandum, coniectura Iunii a Modio probata natum videtur, certe comparet primum in editione Iuniana.

§. 1. *expect. haud parvam rei. fec.*] Sic primum edit. Modiana secundum unum cod. Flor. G (et Pal. 3 Gruteri) cum antea *ei* legeretur, quod in codd. optimis est. Deteriores *haud enim fecerat parvam*, nihil aliud. Coniecit Freinshemius *haud parvae rei* esse legendum, idque priore edit. receperam. Nunc redii ad Modianam scripturam eiusdem sententiae.

§. 2. *hominum scelere*] Delevi quod praeter Mod. in edd. omnibus est *paucorum hominum*. Ac vide quam oratorie sibi respondeant; hominum scelere vobis ereptus sum, deum misericordia vivo! Qui apodosin negligebat, necesse putabat addere *paucorum*, sed deteriores libri Flor. CDEFHI Bern. B *deorum*.

coëgit ut — irascerer] Sic ediderunt Iunius, Modius, alii, de coniectura, opinor, nam libri mei quidem omnes *cogit*, unus et alter ex olim collatis *coget*, sed necessaria est correctio. Perfectum tempus eo pertinet, quod diu cogitabundus steterat rex.

quoniam praecipuus immo unus] Vulgo

cipuus, immo unus vitae meae fructus est, tot fortissimis viris et de me optime meritis referre adhuc gratiam posse. Interrupit orationem militum gemitus, obortaeque sunt omnibus lacrimae. Tum rex, *Quanto*, inquit, *maiorem in animis vestris motum excitabo, cum tanti sceleris auctores ostendero! quorum mentionem adhuc reformido, et tanquam salvi esse possint, nominibus abstineo. Sed vincenda est memoria pristinae caritatis, et coniuratio impiorum civium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam? Parmenio, illa aetate, tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, ducem se sceleri tanto praebuit. Minister eius Philotas Peucolaum et Demetrium et hunc Dimnum, cuius corpus aspicitis, ceterosque eiusdem amentiae, in caput meum subornavit.*

33 Fremitus undique indignantium querentiumque tota contione obstrepebat, qualis solet esse multitudinis, et maxime militaris, ubi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde et Metron et Cebalinus producti, quae quisque detulerat exponunt. Nullius eorum indicio Philotas particeps sceleris destinabatur. Itaque, indignatione pressa, vox in-

quoniam spiritus, ut et msti omnes (nisi quod in nonnullis et optimis quidem exaratur *quam*), sed subesse aliquid vitii Phil. *Rubenius* primus suspicatus emendandum censuit *supremus*, Electorum 1, 33, *Barthius* deinde in Advers. 28, 6 *speratus*, *Heinsius* denique *praecipuus immo unicus*, similitudine alterius loci III, 17 *praecipua spes et propemodum unica* usus et partim etiam abusus. Dubium esse nequit quin *spiritus* corruptum sit, nam si *vitae* opponeretur, ordo verborum alius esse deberet. Itaque cum nihil melius sciam quam Heinsianum illud, in contextum recepi, libenter si quis excogitarit quod propius ad literarum ductus accedat, acceptu-rus.

posse] Codd. nostri *possem*, aut *possim*, Voss. 1 *possent*, unus Flor. G sicut esse debet *posse*.

§. 4. *ducem se sceleri tanto praebuit*] Hoc ordine verba collocantur in Flor. ABG Bern. A Leid. Voss. utroque, reliqui libri mss. *ducem se tanto sceleri praebuit*, quod vulgo editur *tanto sceleri se praebuit* in nullo est.

§. 5. *ceterosque eiusdem amentiae*] Sic omnes libri veteres, vulgo nunc quidem *eius am.*; sed olim auctius uno verbo *eius amentiae comites*. Hanc quidem vocem recentiores editores, terribili Modii convicio deterriti, omiserunt, illam noluerunt recipere, quamvis mereretur.

Cap. 33, §. 7. *particeps scel. destinabatur*] Codd. optimi *in particeps*, deteriores *in participes*, solus Flor. C uti nunc post Modium editur. Neque hoc improbo, quamquam nec Acidalii *inter participes*, nec Walchii *ut particeps* displicet. (Sed improbandum quod Modius ineptam brevitatis opinionem secutus verbum *sceleris* sustulit.) Item quod sequitur *indignatione pressa* quamquam ab Aldino editore factum, cum in omnibus libris sit *expressa*, non tamen adduci possum, ut abiiciendum putem. Nam quod Heinsius voluit coniungere *indicum vox indignatione ex-*

dicum silentio excepta est. Tum rex, *Qualis*, inquit, *ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium ad ipsum suppressit? Quod non fuisse vanum, Dimni exitus declarat. Incertam rem deferens tormenta non timuit Cebalinus, Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eo, ubi lavabar, irrumperet: Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum! Iste regis periculo commoveretur! vultum mutaret! indicem tantae rei sollicitus audiret! Subest nimirum silentio facinus, et avida spes regni praecipitem animum ad ultimum nefas impulit. Pater Mediae praeest. Ipse apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, maiora, quam capit, spirat. Orbitas quoque mea, quod sine liberis*

pressa, non aptum est ad ipsam rem, quoniam indicum indignatio aliena certe a iudiciali severitate fuisset. Illi enim interrogati quid ipsi cognossent, si indignabundas voces promere voluissent, cohibendi erant a quaesitoribus, et eo revocandi, quapropter producti essent. *Indignationem pressam* aptissime dici non est quod doceam, cum sic *iram*, *dolorem*, *odium premere* pro comprimere et dissimulare vulgo dicamus. Fateor tamen non omnino mihi placere *vocem indicum*, quae deberent esse *verba:* sed videtur illud non sine causa posuisse scriptor, ut duo singularia sibi responderent.

§. 8. *Tum rex*] Boni libri Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1 *tunc*, sed *tum* servat Flor. G. Post *ad ipsum*, quod primus Freinsh. dedit, verum est, sed *id ipsum* nostri et Snak. omnes praeter Flor. B qui ambo vocabula omittit.

§. 9. *Metron ne momentum quidem*] Verisimam esse Acidalii hanc coniecturam, a Freinshemio receptam, *Metronis* ut nomen adiiceretur, facile intelligitur, si rei gestae ratio et eius quod sequitur *Philotas solus nihil timuit* habetur. In libris autem mss. desideratur, atque interpunctione diremptum a prioribus Cebalini nomen refertur ad insequentia.

§. 10. *Iste regis periculo commoveretur! vultum mutaret! indicem — audiret!*] Integritatem reddidimus huic loco turpiter corrupto, eoque certiorem, quod nihil prorsus fecimus nisi ut codicum optimorum itemque plurimorum scripturam proferremus. Edebatur olim *iste regis periculo cum moneretur*, posthac Modio auctore *iste si regis peric. moveretur*, reliqua ab antiquis pariter ac recentibus *vultum non mutaret? indicem — non audiret?* Sed primum quidem negationes in nullo leguntur codice, tum neque *si* neque *cum*, sed prorsus ita ut edidimus est in Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1 et 2: cum ceteri deteriores Flor. et Bern. B exhibeant *cum moveretur*. Iam quod ad sententiam attinet, aptissima est et regis acerbitatem animi luculenter exprimit illa irrisio, quae in nostra scriptura inest, cum in vulgari omnia sint inepta. Unde enim sciebat Alexander, Philotam non mutasse vultum, nec sollicitum audisse indicium, si ex hoc solo vellet efficere, eum non commotum fuisse ipsius periculo. Debebat dicere: iste, si regis periculo commoveretur, non statim ad regem curreret? indicem adduceret? milites dimitteret ad secleris socios comprehendendos? vel simile quid.

§. 11. *spirat*] Sic primus Modius, nam vetustiores editiones secundum libros aliquot deteriores, nostros quidem Flor. DFI et vero etiam G, *sperat* habent. Hoc quidem nihil novi afferret ad avidam spem regni, quam modo ei obiecerat, cum illud pertineat ad nimiam iactantiam Philotae, de qua supra c. 29 dixerat auctor. Spirare aliquid dicuntur etiam hi qui se inflant et iactant quod sint aut possideant aliquid, v. c. apud Livium III, 46 *tribunatum etiamnunc*

sum, spernitur. Sed errat Philotas. In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo: vobis salvis, orbus esse non possum.

34 Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad 13
filios Nicanorem et Philotam scripserat, recitat, haud sane
indicium gravioris consilii praeferentem. Namque summa 14
eius haec erat: *Primum vestri curam agite, deinde vestrorum: sic enim quae destinavimus efficiemus.* Adiecitque rex, sic 15
esse scriptam, ut sive ad filios pervenisset, a consciis posset intelligi, sive intercepta esset, falleret ignaros. *At enim* 16
Dimnus, cum ceteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominavit! Hoc quidem illius non innocentiae, sed potentiae indicium est, quod sic ab iis timetur etiam, a quibus prodi potest, ut, cum de se fateantur, illum tamen celent. Ceterum 17
Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntae, qui mihi consobrinus fuit et in Macedonia capiti meo impias comparavit insidias, socium se et conscium adiunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, cum scripsissem ei pro iure tam familiaris usus 18
atque amicitiae, qualis sors edita esset Iovis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi, se quidem gratulari, quod in numerum deorum receptus essem, ceterum misereri eorum, quibus

spirare et quos locos Modius laudavit, Sil. Ital. III, 240 *Mago quatit currus et fratrem spirat in armis*, et Appul. Metam. V, p. 163 *Iamiam sursum respicit et deam spirat mulier.* Vide Drakenb. ad Silium XVII, 536, qui tamen diversa miscet.

Cap. 34, §. 13 *indicium — praeferentem*, i. e. prodentem, prae se ferentem. Olim ante Modium edebatur *ferentem*, sicut est in plerisque omnibus codicibus nostris, sed *praeferentem* extat in Flor. AG, puto etiam ex silentio Snak. in Leid. Voss. 1. *Indicium ferre* sic non dicitur.

§. 17. *Amyntae qui mihi consobrinus fuit*] Patruelis fuit, si vere appellare volumus, filius Perdiccae regis, fratris Philippi. Cf. c. 39, 24. Sed latiore significatu illud verbum usurpari nota res est. Eum et Attalum Alexander, dum necem patris suosque inimicos persequitur, in principio regni occiderat, quod Polyaenus VIII, 60. Iustinus XII, 6. Orosius III, 18 tradunt.

Attalo] Plutarcho in vit. Alex. 9 appellatur θεῖος, Diodoro XVII, 2 ἀδελφιδοῦς (voluerat opinor ἀδελφιδοῦς i. e. consobrinus) Cleopatrae, quam Philippus rex, dimissa Olympiade, uxorem duxerat, sed magis accedo Plutarcho et θεῖον πρὸς μητρός, avunculum, illius fuisse credo. Is igitur inter discordias aulae Macedonicae successionem regni ad Cleopatrae recens natum filium transferre cum vellet, et in Asia versaretur cum exercitu, praemissus a Philippo ad bellum cum Persis gerendum Alexandri iussu ab Hecataeo interfectus est, vide Diodor. l. l. 5.

§. 18. *Hic, cum scripsissem ei*] Sic recte iam edit. princeps secundum unum codicem Flor. E, reliqui enim omnes pro *ei* habent *et*, deteriores etiam *Huic cum scripsissem.*

19 *vivendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. Haec sunt etiam pridem animi alienati a me et invidentis gloriae meae indicia: quae equidem, milites, quamdiu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere, si, in quos tam magna contuleram, viliores mihi fa-*
20 *cerem. Sed iam non verba punienda sunt: linguae temeritas pervenit ad gladios. Hos, si mihi creditis, Philotas in me*
21 *acuit. Id si ipse admisit, quo me conferam, milites? cui caput meum credam? Equitatui, optimae exercitus parti, principibus nobilissimae iuventutis, unum praefeci: salutem, spem,*
22 *victoriam meam fidei eius tutelaeque commisi. Patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admovi: Mediam, qua nulla opulentior regio est, et tot civium sociorumque milia imperio eius dicionique subieci. Unde praesidium petieram, periculum*
23 *extitit. Quam feliciter in acie occidissem, potius hostis praeda, quam civis victima! Nunc servatus ex periculis, quae sola ti-*
24 *mui, in haec incidi, quae timere non debui. Soletis identidem a me, milites, petere, ut saluti meae parcam. Ipsi mihi praestare potestis, quod suadetis ut faciam. Ad vestras manus, ad vestra arma confugio: invitis vobis salvus esse nolo: volentibus, non possum, nisi vindicor.*

25 Tum Philotam, religatis post tergum manibus, obso-35
leto amiculo velatum iussit induci. Facile apparebat, mo-
26 tos esse tam miserabili habitu non sine invidia paulo ante conspecti. Ducem equitatus pridie viderant; sciebant, regis

§. 19. *etiam pridem*] Omnes libri mss. hoc verbb. ordine, atque etiam editi princeps Mer. Ald. Iun. Mod. Posthac vulg. *etiam animi pridem*. Item omnes nostri praeter Flor. E et edd. vett. *quae equidem* pro nunc vulg. *quae quidem*.

§. 21. *Id si ipse admisit*] Non contenderim hanc Freinshemii correctionem veram esse, sed quid potius probem nescio. Codd. optimi *si ipsi admisit*, Flor. C *si mihi ipsi ad miseri*, Flor. EH Bern. B *si mihi ipsi admisit vel dimisit*, Flor. G *is* (ex correctione) *mihi ipsi admisit*, Flor. DFI *is mihi ipsi admisit vel dimisit*. Edd. princeps *ipse dimisi*, Mer. *si ipse dimisi*, Ald. *si ipsum dimisi*, Iun. et Mod. *si ipsum dimisero*. *Id* Freinsh. prorsus de suo adiecit, potest tamen olim extrema syllaba verbi praecedentis videri haustum esse.

§. 22. *in quo me ipsi posuistis*] Expectabam *me ipsum*, quod non quaeritur *qui* fecerint, sed *quem* fecerint. Parmenio opponitur Alexandro, non Alexander militibus. Verum necesse est sic intelligi: ego patrem, vos me in eodem fastigio posuistis.

et tot civium] Addidi coniunctionem ex libris melioribus, (Leid. Voss. 1 Pal. 3 Flor. AB, nam in Bern. A manu recent. superscripta est) quae cur omittatur nulla causa est, sed intelligitur quare exciderit.

interfuisse convivio. Repente non reum quidem, sed etiam damnatum, immo vinctum, intuebantur. Subibat animos 27
Parmenionis quoque, tanti ducis, tam clari civis, fortuna, qui modo duobus filiis, Hectore ac Nicanore, orbatus, cum eo, quem reliquum calamitas fecerat, absens diceret causam. Itaque Amyntas, regius praetor, inclinatam ad misericor- 28
diam contionem rursus aspera in Philotam oratione commovit: proditos eos esse barbaris: neminem ad coniugem suam, in patriam, et ad parentes fuisse rediturum: velut truncum corpus dempto capite, sine spiritu, sine nomine, aliena terra, ludibrium hostis futuros. Haudquaquam pro 29
spe ipsius Amyntae oratio grata regi fuit, quod coniugum, quod patriae admonitos pigriores ad cetera munia exequenda fecisset.

36 . Tunc Coenus, quamquam Philotae sororem matrimo- 30

Cap. 35, §. 26. *non reum quidem, sed etiam*] Sic nostri Flor. BCDEFHI Bern. B Pall. 1. 2 Voss. 2: in aliis bonis quidem libris *non* excidit Leid. Voss. 1 Flor. A, in Bern. A manu rec. super lin. scriptum, in aliis audacius correctum est *non reum modo*, ut Pal. 3 Flor. G. Editiones veteres veram librorum lectionem cum hac correctione coniunxerunt, *non reum quidem modo*; post Modium vulgaris facta est istorum duorum librorum scriptura *non reum modo*, quae quamquam nullam offensionem habet, haud dubie tamen non est Curtiana. Intuebantur Philotam non tamquam reum quidem i. e. de quo iudicarent, id quod ferri posset, sed tamquam damnatum. *Quidem* nihil aliud nisi accentum verbo addit. (In priore editione nostra *non* typographorum incuria exciderat.)

§. 27. *qui modo*] Sic unus Flor. G et facile invenerat Aldinus editor. Libri mss. et edit. pr. *qui quomodo*, quod cum ferri nequiret omissum est *quomodo* in Flor. C Voss. 2. Post *ac Nic.* pro vulg. *et* plerique codices.

§. 28. *regius praetor*] Vulgo *regis praetor*, sed *regius* omnes libri manuscripti, deteriores autem (cum Flor. G) *praefectus*. VII, 8 *Cleandri: praetor hic regius erat.*

inclinatam] Sic mss. omnes et edd. vetustae: unus Flor. G *inclinantem*, quod etiam in edit. Modianam et ex ea in alias nonnullas venit.

neminem — in patriam] Sic edd. secundum Pal. 3 et Flor. G, nam reliqui omnes *neminem* omittunt. Eorum auctoritatem in priore edit. secuti eramus, nunc vulgatam revocamus moti insolentia coniunctionis tertio nomini additae. Tum *fuisse rediturum* recte opinor dicit nimirum ut subintelligatur: si insidiae regi structae processissent. Videbatur autem Scheffero inducendum *fuisse*.

aliena terra] Pauci codices nostri quidem Bern. B Flor. HI, *in aliena terra*, sicut Modius edidit, sed ablativus etiam sine praepositione, quamquam rarius, ad locum ubi aliquid fiat significandum adhibetur, si adiectivum addatur. Cic. in Verr. IV, 56 *confirmare hoc possum, valvas — perfectiores nullas unquam ullo templo fuisse*, ad quem locum vide quae annotavimus. Curt. IV, 6 *tribus proeliis alia atque alia regione commissis.*

§. 29. *pro spe ipsius*] Sic Freinsh. feliciter emendavit, cum in codd. et edd. vetustis esset *prospere ipsius*. Innius et Modius *pro re ipsius* ediderant.

Cap. 36, §. 30. *Tunc Coenus*] Unus Flor. G *Tum Coenus*, et puto *tunc* posse defendi ut non procedentem sed insistentem et commorantem narrationem significet.

nio secum coniunxerat, tamen acrius quam quisquam in Philotam invectus est, parricidam esse regis, patriae, exer-
31 citus, clamitans: saxumque, quod forte ante pedes iacebat, arripuit, emissurus in eum; ut plerique credidere, tormentis subtrahere cupiens. Sed rex manum eius inhibuit, dicendi prius causam debere fieri potestatem reo, nec aliter iudi-
32 cari passurum se, affirmans. Tum dicere orsus Philotas, sive conscientia sceleris, sive periculi magnitudine amens
33 et attonitus, non attollere oculos, non hiscere audebat. Lacrimis deinde manantibus, linquente animo, in eum, a quo tenebatur, incubuit: abstersisque amiculo eius oculis, pau-
34 latim recipiens spiritum ac vocem, dicturus videbatur. Iamque rex, intuens eum, *Macedones* inquit, *de te iudicaturi*
35 *sunt: quaero, an patrio sermone sis apud eos usurus.* Tum Philotas, *Praeter Macedonas,* inquit, *plerique adsunt, quos facilius quae dicam percepturos arbitror, si eadem lingua fuero usus, qua tu egisti, non ob aliud, credo, quam ut oratio tua*
36 *intelligi posset a pluribus.* Tum rex, *Ecquid videtis, adeo etiam sermonis patrii Philotam taedere? solus quippe fastidit eum discere. Sed dicat sane, utcunque ei cordi est, dum me-*

§. 31. *saxumque — arripuit*] Sic Iunium et Modium secutus scripsi pro vulg. *eripuit* ex codd. Flor. DFHI Bern. B sed praecipue Flor. G in quo ita correctum est.

dicendi prius causam] Editiones. Aldina et Mod. et insecutae *dicendae — causae* secundum unum Flor. G (nam Bong. 1 qui commemoratur apud Freinsh. incertae auctoritatis est). Reliquorum omnium scripturam *dicendi - causam* revocavit Freinshemius, similem constructionem laudans ex IV, 15, 23 *sacrum repetendi auctores erant.*

§. 32. *dicere orsus Philotas*] Modius cum in editis invenisset *dicere rursus permissus*, in suis autem libris *dicere sus*, emendavit *iussus*, bene, nisi melius illud offerrent libri posthac collati et nostri quidem omnes praeter unum Flor. G, in quo extat quod veteres editores expresserunt. Videtur homo doctus, qui illum librum correxit, dubitasse num Philotas qui paulo post ne hiscere quidem auderet, tum *orsum fuisse* se defendere recte dici posset. Verum *ordiuntur* etiam ii, qui corporis motu se dicturos esse significant.

§. 36. *adeo — taedere*] Edebatur olim usque ad Snak. *odio — teneri*, quod est in uno Flor. G et opinor, in Pal. 3. Ceteri omnes *taedere*, sed in altero verbo variant. Multi tamen et boni habent quod edidimus *adeo*, Leid. uterque Voss. Bern. AB Flor. EFHI.

fastidit eum discere] Editum est adhuc *eum dicere*, sed *dicere sermonem* neminem Romanum puto dixisse. Verum est *discere*, quod in codd. Flor. ABC Leid. Bern. A Voss. 2 legitur. Nimirum Philotas inde a prima aetate externis innutritus esse moribus arguitur. In iisdem fere libris et Flor. G paulo post *utcunque ei cordi est* legitur, cum a reliquis et vulgo editis absit pronomen.

mineritis, aeque illum a nostro more, quam a sermone abhorrere. Atque ita contione excessit.

37 Tum Philotas, *Verba*, inquit, *innocenti reperire facile* 1
est, modum verborum misero tenere difficile. Itaque inter opti- 2
mam conscientiam et iniquissimam fortunam destitutus, ignoro quomodo et animo meo, et tempori paream. Abest quidem 3
optimus causae meae iudex: qui cur me ipse audire noluerit, non mehercule excogito, cum illi utrimque cognita causa tam damnare me liceat, quam absolvere, non cognita vero liberari ab absente non possum, qui a praesente damnatus sum. Sed 4
quamquam vincti hominis non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, qui iudicem non docere videtur, sed arguere: tamen, utcunque licet me dicere, memet ipse non deseram, nec

quam a sermone] Codd. plerique omnes *quo a sermone*, soli Voss. 2 Pal. 3 *quam a sermone*. Sunt hi libri non magnae auctoritatis, verum etiamsi illi non essent, difficile non fuit mutare *quo* in *quam*, quoniam tot sunt similis mendae exempla. Editores quidem principes correxerant *atque*, idque ceteri omnes retinuerunt, Ciceronianam opinor elegantiam secuti, qua turpe habetur *aeque — quam* coniungi. Verum noster auctor, etsi Ciceronis sermonem, uti decet, et ipse studiose expressit, secutus tamen est propius exemplar historiae Livium, certe nos, si quis id quaerat, illius auctoritate uti possumus. Liv. XXVIII, 26 *nihil aeque eos terruit quam praeter spem robur ac color imperatoris;* lib. XXXI, 1 *cum in mentem venit tres et sexaginta annos aeque multa volumina occupasse mihi, quam occuparint quadringenti octoginta octo anni.* Atque *haud secus quam* noster frequenter dicit III, 4 pr. VI, 6, 18. VII, 27, 19. VIII, 3, 21. VIII, 40, 17.

Cap. 37, §. 2. *quomodo et animo*] Sic editi recte, sed scripti omnes praeter Flor. G et fortasse Pal. 3 (quia non commemoratur) *et quomodo animo*. Poterit hoc fortasse excusari secundum ea quae annotavi ad locum Cic. in Verr. I, 30, 77, *iam iam neque me tui neque tuorum liberum misereri potest*, coll. eiusd. orat. c. 31 §. 79 *non modo legatus populi Rom. circumsessus, non modo igni, manu, ferro, copiis oppugnatus*, et de officiis II, 2 pr. ubi item ea de re pauca annotavi. Sed cognovimus tamen quaedam ex eo genere in Flor. G optime nec sine auctoritate emendari, ut hoc in loco non debeamus esse pertinaces.

§. 3. *utrimque cognita causa*] Olim edebatur *utique*, quod codd. auctoritate destituitur. Correxit Modius auctoritate meliorum librorum et Flor. G, nec video quid quisquam hic reprehendat. *Utrimque cognita* est cum cognoverit quae ab utraque parte, a me adversariisque meis prolata fuerint. Sed Flor. C Voss. 2 *utcunque*, reliqui Flor. *utrumque*, quod falsum quidem non est, sed nihil affert.

ab absente] *Ab* non esse in suis codd. et edd. vett. notavit Snakenb. Verum est, sed legitur tamen in Flor. AB, et in aliis haustum a proxima sequente syllaba videtur. Quodsi in nullo esset, posses cum Flor. G *absente illo* scribere. Sed vides acutulum correctorem.

§. 4. *qui iudicem*] Vulgo *quae*, quod non damnarem nisi argueretur consensu codd. omnium. Ipse priore edit. *quia* de coniectura dederam, quod quamquam non reprehendo, praestat tamen fidem codd. mss. simpliciter sequi. Item paulo post *utcunque licet me dicere* in omnibus est praeter Flor. G et fortasse Voss. 2; legitur etiam in editis olim libris pronomen, sed abest ab recentioribus Modium secutis.

committam, ut damnatus etiam mea sententia videar. Equidem cuius criminis reus sim, non video. Inter coniuratos nemo me nominat; de me Nicomachus nihil dixit; Cebalinus plus quam audierat scire non potuit. Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex! Potuit ergo Dimnus eum praeterire, quem sequebatur? praesertim cum quaerenti socios vel falso fuerim nominandus, quo facilius qui temptabatur posset impelli. Non enim detecto facinore nomen meum praeteriit, ut posset videri socio pepercisse: Nicomachus, quem taciturum arcana de semetipso credebat, confessus, aliis nominatis, me unum subtrahebat. Quaeso, commilitones, si Cebalinus me non adisset, nihil me de coniuratis scire voluisset, num hodie dicerem causam, nullo me nominante? Dimnus sane et viveret adhuc, et velut mihi parceret: quid ceteri? qui de se confitebuntur, me videlicet subtrahent! Maligna est calamitas, et fere noxius, cum suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. Tot conscii ne in equuleum quidem impositi verum fatebuntur? Atqui nemo parcit morituro, nec cuiquam moriturus, ut opinor.

§. 6. *caput me fuisse*] *Fecisse* mendose plerique omnes codd. Meorum ac Snak. unus Flor. G quod verum est sine dubio habet, *fuisse*.

qui temptabatur. Sic edidi miratus cur consensus codicum omnium tam diu neglectus fuerit. Olim edebatur *tenebatur* a Vindelino et Merula, tum Aldus *verebatur*, de conjectura opinor, non e libris veteribus. Quod a se retentum Freinshemius et Snakenb. defendunt. Sed abutuntur opera. Ceterum codd. nostri hoc quidem loco omnes, alibi meliores scribunt *temptabatur*, de qua scribendi ratione videndus Bentleius ad Terent. Phorm. 3, 3, 19.

§. 7. *Nicomachus — confessus*] Vulgo de coniectura Acidalii editur *sed Nicomacho* cum in libris mss. et olim editis omnibus legatur *Nicomachus*. Illud *sed* prorsus inutile est, cum sexcenties subintelligatur ubi contraria opponuntur. *Nicomacho* vero nunc et ego recepi, cum in priore editione codicum scripturam servassem, tamquam oppositio fieret inter Dimnum et Nicomachum. Verum ea si esset aliter conformanda erat oratio.

§. 9. *et viveret adhuc et velut mihi parceret*. Quae nunc vulgaris facta est lectio *et vivat adhuc et velit mihi parcere*, ab Aldo est, reperta in uno codice nostro Flor. G. Ceteri sicut ante Aldum edebatur *viveret — velut — parcere*, vel *parceret*, vel *parcerent*, qua scriptura, modo *parceret* e Leid. Flor. CDFI probetur, nihil ego melius, nihil sincerius iudico. Dicit enim, si Dimnus viveret et quasi mihi parceret, quid ceteros putatis facturos esse? Cumque ille non amplius viveret, quo id alio verbi tempore quam Imperfecto poterat significare? Accedat igitur hoc exemplum ad Taciti locum Ann. III, 11, quo in gramm. §. 529 ad fin. usus sum.

§. 10. *ne in equul. quidem impositi*. Miror h. l. cum in libris mss. quantum scio omnibus sit *nec — quidem*, editores veteres qui eam locutionem non reformident, tamen constanter *ne — quidem* probasse. Recte vero, quoniam non sunt duo cola, ac si essent, tamen sic potius oratio procederet: tot conscii negabunt, *ac ne* in equul. *quidem* impositi fatebuntur. Sic enim auctor solet. Ceterum Modius *ne in equuleo quidem positi* dedit, sicut unus habet Flor. G; ipse autem

38 *Ad verum crimen et ad unum revertendum mihi est: cur* 11
rem delatam ad te tacuisti? cur tam securus audisti? Hoc
qualecunque est, confesso mihi, ubicunque es, Alexander, remi-
sisti: dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi, con-
vivio quoque interfui. Si credidisti mihi, absolutus sum, si 12
pepercisti, dimissus: vel iudicium tuum serva. Quid hac pro-
xima nocte, qua digressus sum a mensa tua, feci? quod novum
facinus delatum ad te mutavit animum tuum? Gravi sopore
acquiescebam cum me malis indormientem meis inimici vin-
ciendo excitaverunt. Unde et parricidae et proditori tam alti 13
quies somni? Scelerati conscientia obstrepente cum dormire 14
non possunt, agitant eos furiae, non cogitato modo, sed etiam
consummato parricidio. At mihi securitatem primum innocen-
tia mea, deinde tua dextera obtulerant: non timui, ne plus
alienae crudelitati apud te liceret, quam clementiae tuae. Sed 15
ne te mihi credidisse poeniteat, res ad me deferebatur a puero,
qui non testem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus
omnes metu, si coepisset audiri. Amatoris et scorti iurgio in- 16

Modius locum qui est VIII, 24 vulgatae patrocinari significat.

§. 11. *dexteram tuam* omnes libri veteres; sicut aliquanto post §. 14 *tua dextera*. Vulgo *dextram*.

§. 12. *excitaverunt* optimi et plurimi pro vulg. *excitarunt*, Flor. H Bern. B *concitaverunt*.

§. 13. *et proditori*. Acidalius coniecit *et prodito*, Freinshemius *et prodita re*, sed in vulgata lectione prorsus acquiesco. *Alti quies somni* in omnibus libris est, *alta* ex Bipontina edit. falso in priorem meam irrepserat.

§. 14. *cum dormire non possunt*. Vulgo *possint*, male. Nos sequimur utrumque Bern. Flor. ABCEG Leid. Voss. 2 edit. pr. Mer., sed vera forsitan est Modiana correctio, quae etiam in Voss. 2 extat, *condormire non possunt*. Aptum enim videtur verbum, quamquam non legitur apud bonum auctorem nisi apud Sueton. Aug. 78 hac significatione ut sit dormire dum aliquid agitur aliud. Post *sed etiam* omnes codd. cum vulgo edatur *sed et*; pro *consummato* deteriores libri partim *confirmato*, partim *confirmata* habent. Modius autem ordine verborum inverso de coniectura edidit *non consummato modo sed et cogitato*, eique Cellarius, Schefferus, alii adstipulati sunt. Verum etiam hoc est, nam qui conscientia mali facinoris commoventur, et postquam fecerunt et priusquam faciant perturbantur. Sed qui vere improbi sunt, ii perfecto facinore minus commoventur quam cum perficiendi consilium ceperunt.

tua dextera] Sic Modius et omnes codices nostri praeter Flor. G in quo est *dextera tua*. Vulgo *dextra tua*. Snakenb. in Leid. Voss. 1 legi tradit *tua dextra*, quasi in Voss. 2 vulgata sit, sed dubito de utraque re. Mox *obtulerat* edidit Modius minime male, immo ex vulgari usu Latini sermonis, sed de meis codicibus singularis numerus non est nisi in Flor. H et suo compari Bern. B, ut magnopere mirer a Snakenb. tradi idem inventum esse in Flor. Heinsii et suis tribus ne dicam de Gruteri omnibus (Palatinis). Similiter Curtius pluralem verbi numerum posuit VI, 19 *illa regnum suum, rex Parthienen petiverunt*. Cf. Gramm. nostram §. 374.

terponi aures meas credidi infelix, et fidem eius suspectam habui, quod non ipse deferret, sed fratrem potius subornaret.
17 *Timui, ne negaret mandasse sese Cebalino, et ego viderer mul-*
18 *tis amicorum regis fuisse periculi causa. Sic quoque cum laeserim neminem, inveni, qui mallet perire me, quam incolumem esse: quid inimicitiarum creditis excepturum fuisse, si in-*
19 *sontes lacessissem? At enim Dimnus se occidit! Num igitur facturum eum divinare potui? Minime. Ita quod solum indicio fidem fecit, id me, cum a Cebalino interpellatus sum, movere non poterat.*

0 *At hercule, si conscius Dimno tanti sceleris fuissem, bi-*39
duo illo proditos esse nos, dissimulare non debui: Cebalinus
1 *ipse tolli de medio nulloque negotio potuit. Denique post delatum indicium, quo periturus eram, cubiculum regis solus intravi, ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? An sine*
2 *Dimno non sum ausus? Ille igitur princeps coniurationis fuit! sub illius umbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum affecto! Ecquis e vobis corruptus est donis? quem ducem, quem praefectum impensius colui? Mihi quidem obiicitur, quod societatem patrii sermonis asperner, quod Macedonum mores fa-*

§. 17. *mandasse sese*] Sic Flor. A Leid. Voss. 1, vulgo *mandasse se*. Deteriores Flor. DEFHI Bern. B *ne mandare negasset se*.

§. 19. *Num ig. facturum eum*] Flor. G *num hoc igitur* cet. Modius *num igitur facturum eum hoc* et annotat sic se emendasse. Melius vero Flor. G. Idem Mod. *Minime* omittit, sine librorum auctoritate.

cum a Ceb. interpellatus sum. Supra c. 28 *non ultrà interpellandum ratus.* Sed h. l. interpellare idem fere est atque appellare, alloqui, sed tamen cum significatione molestiae.

Cap. 39, §. 20. *At hercule. Hercules* codd. Flor. ABG Bern. A. Sed Curtius alibi non solet dicere nisi *hercule*, et sequente s elevatur codd. auctoritas. Cf. ad III, 19, 10.

tolli de medio nulloque negotio potuit. Adiicitur *que* in codd. fere omnibus, nostris quidem certe praeter Flor. F. Explica igitur *et nullo quidem negotio.*

§. 21. *quo periturus eram.* Feliciter sic emendavit Modius, cum vulgo et in editis et in manuscriptis esset *operiturus* vel *opperiturus*, nisi quod Flor. G prorsus Modianum illud exprimit. Acidalius *quid opperiturus eram?* maluit, sed si emendandum est, ut videtur esse, nihil aptius quam quod Modius voluit, excogitari potest. *Denique* autem, quod est in principio, codicum omnium auctoritatem secutus item cum Modio pro vulg. *deinde* edidi.

§. 22. *Ecquis e vobis. Ecquis* ediderant olim Aldus et Iunius, sed relinqui coepti sunt ab recentioribus editoribus. Male opinor. Nam *et quis*, ut nunc fere editur, pingue quoddam transeundi genus merito censebitur, quo longe melius est ipsius statim rei sine coniunctione commemoratio. Codicum autem in hac varietate diiudicanda nullam propemodum esse auctoritatem constat, sed si omnes constanter *et quis* exhiberent, dubitarem. Nunc *Haecquis* Flor. A, *Equis* Flor. B, *ecquis* Leid. Voss. 1. 2. Flor. G.

stidiam. Sic ergo imperio, quod dedignor, immineo! Iam pri- 23
dem nativus ille sermo commercio aliarum gentium exolevit:
tam victoribus, quam victis, peregrina lingua discenda est.
Non mehercule ista me magis laedunt, quam quod Amyntas, 24
Perdiccae filius, insidiatus est regi; cum quo quod amicitia
fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit
diligi a nobis. Sin autem in illo fortunae gradu positum 25
etiam venerari necesse erat: utrum, quaeso, quod non divinavi,
reus sum, an impiorum amicis insontibus quoque moriendum
est? Quod si aequum est, cur tamdiu vivo? si iniustum, cur
nunc demum occidor? At enim scripsi, misereri me eorum, 26
quibus vivendum esset sub eo, qui se Iovis filium crederet.
Fides amicitiae, veri consilii periculosa libertas, vos me decepi-

§. 23. *peregrina lingua*] Graecam dicit: victores sunt Macedones, victi Asiani.

§. 24. *non recuso defendere*, i. e. paratus sum me defendere, et crimen illud eluere, ostendens nimirum, non me illius amicitiam expetivisse, neque tam familiarem usum mihi cum illo fuisse, cet. Nunc autem cum regis ille frater fuerit, crimen non agnosco, non defendo, sed prae me fero amicum me illius fuisse. Defendere enim crimen non hoc est quod Philotas facit, nimirum ut neget crimen illud esse, sed amovere a se crimen, contendere sese eo non teneri. Viri docti cum loci sensum parum recte perspiccrent, corrigere eum aggressi sunt, Acidalius et Rubenius *dependere* voluerunt, quod esset *pro ea culpa satisfacere*, Heumannus facilem sibi rem reddens, *non defendo*, alii alia, sed ea persequi vix opus videtur.

§. 25. *utrum quaeso.* Acidalius *iterum*, Heinsius *futurum quaeso quod non divinavi cur reus sum?* corrigendum censuerunt. Quasi quicquam h. l. obscurum sit! Utrum illa, inquit, culpa mea est, an etiam sine culpa mori me oportet? In sequentibus *cur nunc demum occidor? demum* idem fere est quod *denique*, Germanice warum werde ich ietzt zuletzt (endlich) doch noch getödtet? Quodsi Germanice vertas *ietzt erst*, intelligis id dici quod iam antea fieri debuit. Hoc autem a rei veritate alienissimum est. Vocabulum *demum* quin primariam significationem habeat τὸ τελευταῖον, dubitare non patiuntur loci, quales sunt Ciceronis de legg. III, 17, 38 *Vos demum legem antiquastis sine tabella*, i. e. ut ad finem rei veniamus (schliesslich) et Tusc. V, 37, 107 *exilium — quantum demum a perpetua peregrinatione differt?* was ist am Ende für ein Unterschied? Ab hac significatione eius quod extremum est, significatio nascitur eius, quod nunc primum fit, cum dudum fieri debuerit, ut Curt. IV, 49 *tunc demum intrat tabernaculum*, descendit etiam notio rei ipsius, quae remotis quasi ambagibus relinquitur, ut apud Sallustium Cat. 20 *Idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitiae st*, quod varie Germanice vertas: das ist *zuletzt*, das ist *erst*, das ist *gerade* wahre Freundschaft, descendit denique Quintilianeae frequentissimus usus, sed inceptus ille quidem modice post pronomina etiam antea, pro duntaxat, tantum (bloss, nur) ut Curt. IV, 1 *id demum credens fore ipsius, quod celeritate praecipere potuisset.* Ceterum Flor. A *cur non nunc demum*, sed nihil est, nisi διττογραφία.

§. 26. *vos me decepistis.* Sentio ad elegantiam orationis unice pertinere illud pronomen; non est tamen in libris manuscriptis praeter Flor. G et Pal. 3. Modius primus adiecit, nescio an de coniectura, nam difficile non fuit invenire quod sermo communis postularet, quamquam saepius in eiusmodi lectionibus cum Flor. G concordat quam, ut

stis! vos, quae sentiebam, ne reticerem, impulistis! Scripsisse me haec fateor regi, non de rege scripsisse. Non enim faciebam invidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iovis stirpem tacitus agnosceret, quam qui praedicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit deus causae meae testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon arcanum et occultum scelus. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt, latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendae veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi; patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo, cum et ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim, tot modo liberum parentem, in unico filio acquiescentem, eo quoque orbari, nisi ipse in rogum meum imponitur. Ergo, carissime pater, et propter me morieris, et mecum. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extinguo! Quid enim me procreabas infelicem adversantibus diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua: ego in ipso robore aetatis eripior: tibi

non existimem eum simili libro usum esse.

§. 28. *dum consulitur Hammon arcanum et occultum — scelus.* Locus difficilis, nam codd. plerique et editio princeps pro *Hammon* habent *admodum*, quod leviter correctum ex *ammodum* Bern. A Leid. Voss. 1. Aldus edidit *consumitur admodum* sine sensu, sed sic est in libris Flor. DH Bern. B. Tum ab Iunio factum est *dum consulitur Hammon* sive *Ammon in arcanum* quae lectio iam vulgaris facta est, nec praeter Modium quemquam magnopere qui contra surgeret, invenit. Modius autem interiecta haec omnia abiiciens post *consulitur* plene interpunxit, ac sic deinde pergit: *Hammon interim.* Sed hoc desperantis est non emendantis, quamquam ille pro more suo eos qui aliter existimarent diris omnibus conscidit. Probarem ipse quoque vulgarem lectionem, quae firmatur codd. Flor. EF, si persuadere mihi possem Latine dici *consulere aliquem in scelus* pro *de scelere.* Itaque fulcrum istud praepositionis abieci, et *Hammonis* nomine restituto reliqua servavi. Nam duplicem accusativum et rei et personae omnia verba regunt quae notionem interrogandi habent, nec desunt exempla in hoc ipso verbo consulendi. Vide Lexicon et Gronovium ad locum Liv. II, 28 init. *eam rem consules ad patres deferunt, sed delatam consulere ordine non licuit.* Heinsiana tamen emendatio ingeniosa est et felicior aliis eiusdem viri: *dum consulitur Hammon, num arcanum scelus initum.* Verum ne haec quidem placet, nam scelus aliquod initum esse iam erat in promptu, nec *interim* qnid commeruerit, ut ipsum quoque corrigatur, intelligas.

Cap. 40, §. 31. *tot modo liberum. Liberorum* vulgo sed dedimus nos quod est in Leid. Voss. 1. 2 Flor. ABC Bern. A. Item paulo post *nisi* pro *ni* omnes fere libri veteres.

carnifex spiritum adimet, quem si fortuna expectare voluisset, natura poscebat. Admonuit me patris mei mentio, quam timide et cunctanter, quae Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim, cum audisset, venenum a Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constitueret. Num creditum est patri meo? num ullam auctoritatem eius litterae habuerunt? Ego ipse, quotiens quae audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si et cum indicamus, invisi, et cum tacemus, suspecti sumus, quid facere nos oportet! Cumque unus e circumstantium turba exclamasset, *Bene meritis non insidiari:* Philotas, *Recte*, inquit, *quisquis es, dicis. Itaque si insidiatus sum, poenam non deprecor, et finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia sunt visa auribus.* Abducitur deinde ab his, qui custodiebant eum.

41 Erat inter duces manu strenuus Bolon quidam, pacis artium et civilis habitus rudis, vetus miles, ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus: qui tacentibus ceteris, stolida audacia ferox, admonere eos coepit, quotiens suis quisque diversoriis, quae occupassent,

§. 33. *natura poscebat*] Sic mss. plerique omnes et ferri potest: *reposcebat*, quod Modius primus edidit et vulgo receperunt reliqui, non inventum est nisi in Flor. G et Pal. 3.

§. 34. *quod medicus dare constitueret.* Coniunctivum ratio sermonis postulat, si non de certo aliquo remedio, sed de omni potione, quam ille medicus daturus esset, intelligas. Atque sic sane videtur. Codices variant, nam *constituerat*, quod editi habent, tuentur Bern. A Flor. BG, *constitueret* reliqui et inter eos Flor. A Leid. Voss. 1.

§. 37. *sunt visa auribus.* In editis additur *vestris*, quod manuscripti non habent. Quae praeterea turbat Modius, vix digna sunt quae refellantur. Ait enim *visa* illud a glossa esse tam sibi liquere, quam meridie lucere. Denique *ab his* pro vulg. *ab iis* nostri libri ad unum omnes.

Cap. 41. §. 1. *Bolon quidam.* Hoc est hominis nomen in codicibus, ut videtur, omnibus. Editur quidem *Belon. Civilis habitus*, qui alibi de vestitu intelligendus est, h. l. ad mores et rationem esse gerendi transfertur quae Gallice *manière* dicitur. Non dissimilis est *decori habitus* de Roxane VIII, 16, 23. Is promotus dicitur ad honoris gradum, quod boni scriptoris exemplum annotare debuit Krebsius in Antibarbaro, ne nimis homines deterreret ab academico usu hodierno. Curtius tamen etiam Ciceroniana ratione VII, 2 *productum* aliquem ad honorata ministeria dixit.

§. 2. *quotiens suis quisque diversoriis. Suis* revocandum erat ex edd. priscis, et est in libris mstis omnibus quamquam non suo loco in deterioribus (*quisque quotiens suis*). Est etiam qui *occupasset* exhibeat Flor. C, sed fidem ei non habeo, nam quod singularis numerus *proturbatus esset* sequitur, nihil ad colon interiectum pertinet, in quo constructio fit ad sensum. Vide quae in Gramm. Lat. de scriptorum bonorum usu collegi

proturbatus esset, ut purgamenta servorum Philotae reci-
3 perentur eo, unde commilitones expulisset. Auro argento-
que vehicula eius onusta totis vicis stetisse, ac ne in vici-
niam quidem diversorii quemquam commilitonum receptum
esse, sed per dispositos, quos supra somnum habebat,
omnes procul relegatos, ne femina illa murmurantium inter
4 se silentio verius, quam sono, excitaretur. Ludibrio ei
fuisse rusticos homines, Phrygasque et Paphlagonas appel-
latos: qui non erubesceret, Macedo natus, homines linguae
5 suae per interpretem audire. Nunc cur Hammonem consuli
vellet? eundem Iovis arguisse mendacium, Alexandrum fi-
lium agnoscentis, scilicet veritum, ne invidiosum esset, quod
6 dii offerrent. Cum insidiaretur capiti regis et amici, non
consuluisse eum Iovem: nunc ad oraculum mittere, dum
pater eius sollicitetur, qui praesit in Media et pecunia,
cuius custodia commissa sit, perditos homines ad societatem

§. 367. Cf. etiam ad IX, 18 extr. Mox *expulissent* Flor. G, sed invidiosius refertur res ad dominum Philotam.

§. 3. *ne in viciniam quidem.* Freinshemius cum ipse invenisset *in vicinia*, revocavit principum edd. lectionem *in vicina.* Utrumque contra codd. mss. est, qui omnes *in viciniam* exhibent, nisi quod Flor. C Voss. 2 *in* omittunt.

quos supra somnum habebat. Quod olim a Vind. et Merula editum erat *supra somnum* mutavit Aldus et scripsit *ad somnum.* Est hoc quidem et ipsum in codicibus nonnullis, nostris quidem Bern. B Flor. DEFHI, sed illud cum sit in Flor. G et Pal. 3, qui fere libri fons vulgaris lectionis existimandi sunt, tum etiam in optimis omnium Flor. AB Leid. Voss. 1 Bern. A repertum est. *Puer ad somnum* Latine dici nequit, quoniam non est instrumentum quo quis ad somnum utatur, sed *supra somnum* positus recte dicitur, qui curat ut dominus possit dormire abigendis interpellatoribus molestis. Quintil. declam. 353 *supra rationes esse positum*, Scribonius Larg. c. 41 *Anteros Tiberii libertus supra hereditates*, et saepe in lapidibus, ex gr. apud Reinesium class. 9, 17 *Cydnus Tib. Germanici supra hortos.* Cf. praeter Forcellinum in lex. Casaubonum ad Sueton. Claud. c. 2, Burmann. ad Petron. c. 30 quod est fragmentum Tragur. h. l. ab Heinsio laudatum. Unicum est quod legitur Curt. VI, 26 *super armamentarium positus*, sed defenditur et ipsum nomine composito *superiumentarii* apud Sueton. Claud. 2.

quam sono. Edd. vetustae *quam somno.* Nimirum sic nostri Flor. BCGH Bern. B. Modius laetatur se in Sigebergensi suo *sono* repperisse, gloriaturque ita restituisse. Scilicet sic reliqui omnes habent.

§. 5. *Nunc cur Hammonem.* Vetustae editiones *cum Ammonem* s. *cum Hammonem*, codices *ne cum.* Factum deinde ab Hadr. Iunio *cur Hammonem*, bene, sed istud *ne* non erat omittendum. Modius igitur *nam cur*, sed huius quidem particulae ratio ex praegressis non intelligitur. Itaque malui ego *nunc*, quae vox ita fere olim scribebatur ut parum a *ne* differret, nimirum *nc.*

§. 6. *dum pater eius sollicitetur.* Sic editum est e Vindelino, Aldo, Iunio, Modio, et editum approbantibus mss., ut mirer quis primus *sollicitaretur* invexerit.

sceleris impellat. Ipsos missuros ad oraculum, non qui Iovem interrogent, quod ex rege cognoverint, sed qui gratias agant, qui vota pro incolumitate regis optimi persolvant. Tum vero universa contio accensa est, et a corporis custodibus initium factum, clamantibus, discerpendum esse parricidam manibus eorum. Id quidem Philotas, qui graviora supplicia metueret, haud sane iniquo animo audiebat.

42 Rex in contionem reversus, sive ut in custodia quoque torqueret, sive ut diligentius cuncta cognosceret, concilium in posterum diem distulit: et quamquam in vesperam inclinabat dies, tamen amicos convocari iubet. Et ceteris quidem placebat, Macedonum more obrui saxis, Hephaestion autem et Craterus et Coenus tormentis veritatem exprimendam esse dixerunt, et illi quoque, qui aliud suaserant, in horum sententiam transeunt. Consilio ergo dimisso, Hephaestion cum Cratero et Coeno ad quaestionem de Philota habendam consurgunt. Rex Cratero accersito et sermone habito, cuius summa non edita est, in intimam diversorii partem secessit, et remotis arbitris in multam noctem quaestionis expectavit eventum. Tortores in conspectum Philotae omnia crudelitatis instrumenta proponunt. Et ille ultro, *Quid cessatis*, inquit, *regis inimicum, interfectorem, confitentem occidere? quid quaestione opus est? cogitari volui.* Craterus exigere, ut, quae confiteretur, in tormenti

§. 7. *non qui Iovem.* Aldo acceptum ferimus, quod *non* eo loco positum est quo debet, nam codd. quidem omnes vetusto errore post *interrogent* collocant.

§. 8. *manibus eorum.* Modius *ipsorum* non male, sed codd. non suffragantur. Neque hoc raro fit a veteribus, ut cum pronomen reflexivum non possint adhibere ob aliquam causam, malint *eius*, *ei*, *eum* cet ponere, quam *ipsius*, *ipsi*, *ipsum*. Vide ex. gr. VIII, 11 Spitamenes *abire conspectu* (uxorem) *iubet, addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset.*

Cap. 42, §. 9. *in custodia quoque torqueret.* Modius *torqueretur* contra codd. nec scio cui bono. Sed *quoque* offendit, ut loco non suo positum, deberet enim *torqueret quoque.* Sed c supra ad cap. 20, 5.

in vesperam. Unus Flor. A *in vesperum.* Tum *Ephaestio autem* sine *n* fina Voss. 1. 2 et Flor. omnes praeter B e G, *Hephaestio* etiam Leid. Aspirati quidem fere omittitur in libris mss.

§. 13. *in conspectum — proponun* Vulgo *in conspectu* quod non esset co rigendum, nisi auctores haberemus Flo ABC et Snak. omnes. (E Bernensibu nihil ab olim vulg. diversum enotatur. Cic. in Rull. orat. 2, 5 extr. *lex in publicum proponitur*, ubi credes Gara tonio.

15 quoque diceret. Dum corripitur, dum obligantur oculi, dum vestis exuitur, deos patrios, gentium iura nequicquam apud surdas aures invocabat. Per ultimos deinde cruciatus, utpote et damnatus, et inimicis in gratiam regis torquenti-
16 bus, laceratur. Ac primo quamquam hinc ignis, illinc verbera, iam non ad quaestionem, sed ad poenam ingerebantur, non vocem modo, sed etiam gemitus habuit in potestate;
17 sed postquam intumescens corpus ulceribus flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat, si tormentis adhibituri modum essent, dicturum se, quae scire expeterent, pollicetur. Sed finem quaestioni fore, iurare eos per Alexandri
18 salutem volebat, removerique tortores. Et utroque impetrato,
19 *Cratere*, inquit, *dic quid me velis dicere.* Illo indignante ludificari eum, rursusque revocante tortores, tempus petere coepit, dum reciperet spiritum, cuncta quae sciret indicaturus.
20 Interim equites, nobilissimus quisque, et ii maxime, qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, postquam Philotam torqueri fama vulgaverat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati essent, cum ipsis necarentur, alii se interficiunt, alii in devios montes vastasque solitudines fugiunt, ingenti per tota castra terrore diffuso; donec rex, tumultu cognito, legem de supplicio coniunctorum insontibus remittere edixit.

§. 15. *Dum corripitur, dum.* Sic vulgo editi: sed in codd. mss. omnibus adiicitur alteri *dum* coniunctio *et*. Quam quidem eo loco ferri non posse patet, nec Modiana ratio, ut primum *Tum*, deinde secundum consensum codicum *et dum* scribatur, probabitur. Equidem priore editione *Et* priori *dum* praemisi. Nunc ad vulgatam redeo, et tollo coniunctionem.

utpote et damnatus et. Omiserunt prius *et* editores recentiores, male, nam et invenitur in codd. optimis (nostris quidem Bern. A Flor. ABCG, Snakenburgii tribus, Pal. 3) et ad elegantiam sermonis pertinet.

§. 18. *Cratere inquit.* Sic corrigendum putavi, cum hucusque omnes sine offensione *fallor, aut Cratero inquit* legissent. Nam etsi aliquando *inquit* adiecto dativo legitur, cuius rationis exempla Forcellinus et Schellerus in lexicis laudant Catull. x, 27 *inquii puellae*, et Cic. ad Att. v, 1. *En, inquit, mihi*, quibus addo tertium Cic. orat. p. Mur. 29 *inquit ille fortissimo viro senior magister*, nullum tamen locum novi, ubi praemittatur dativus.

§. 20. *eorum qui regi insidiati essent.* Coniunctivum *essent*, quem ratio postulat, omnes libri mei ac Snakenb. et Modiana editio exhibent. Vulgo *erant.* Pro eo quod est *cum ipsis necarentur* deteriores libri Flor. DEFHI Bern. B *connecarentur* habent.

legem de supplicio coniunctorum insontibus remittere. Correxi hunc locum paulo audacius, nihil tamen a veteribus

43 Philotas verone an mendacio liberare se a cruciatu voluerit, anceps coniectura est, quoniam et vera confessis et falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur: ceterum, *Pater*, inquit, *meus Hegelocho quam familiariter usus sit, non ignoratis: illum dico Hegelochum, qui in acie cecidit: omnium malorum nobis fuit causa. Nam cum primum Iovis filium se salutari iussit rex, id indigne ferens ille, hunc igitur regem agnoscimus, inquit, qui Philippum dedignatur patrem? actum est de nobis, si ista perpeti possumus. Non homines solum, sed etiam deos despicit, qui postulat deus credi. Amisimus Alexandrum, amisimus regem; incidimus in superbiam, nec diis, quibus se exaequat, nec hominibus, quibus se eximit, tolerabilem. Nostrone sanguine deum fecimus, qui nos fastidiat? qui gravetur mortalium adire concilium? Credite mihi, et nos, si viri sumus, a diis adoptabimur. Quis proavum huius*

libris discedens, nisi quod *de suppl.* emendavi pro eo quod est *se supplicio. Coniunctorum* autem in omnibus libris est, sed variatur in voce *insontibus.* Optimi enim quos alibi sequi solemus Leid. Voss. Bern. A Flor. ABC et G a manu prima *sontibus* habent, ego vero *insontibus*, ut expediretur sensus loci, ex Flor. DEFHI Bern. B et correctis Pal. 1 Flor. G recepi, ratus hoc non esse vim facere ceteris libris, quoniam extrema verbi praecedentis syllaba facile primam insequentis involvere potuerit. Quod vulgo editur *legem se supplicio coniunctis sontium remittere* nec librorum auctoritate nititur, nec potest grammatice explicari, nisi cum Modio ex Palmerii coniectura *supplicii* scripseris. Verum nos melius loco consuluisse nobis videmur. Lex vocatur breviter Romano more *de supplicio coniunctorum.* Sic Quintil. Instit. VII, 4, 21. *multum interest tyrannum iuvenis occiderit, an senex; alienus an coniunctus*, et h. l. cum praecesserit iam propinquitatis commemoratio dubitatio de sensu vocis oriri nulla poterat. *Coniunctorum sontibus* quominus tulerim, id impedivit quod Latinum vix quisquam posset intelligere, ubi deberet, positum esse pro *cum sontibus*, propter propinquitatem verbi *remittere*, quod ad se rapere videretur. Copulanda igitur erant *insontibus remittere*, cum iusta exceptione eorum qui culpae affines inventi essent, quod dicendi genus *legem remitto tibi* pro eo quod est executionem legis remitto, sive desisto de iure illo nihil prorsus habet quod offendere possit. Nec accusativus *se* omissus quemquam offendet, cuius exempla sunt complura huic simillima, ut V, 31, 11 *respondit recessurum;* VI, 19, 31 *causata reliquisse;* VI, 43, 32 *timuisse respondit;* VII, 9, 27 *murum eversuros denuntiant;* VII, 16, 9 *cum praefatus esset scire;* X, 8 *existimans modico exercitu continere posse Asiam;* X, 11 extr. *denuntiantes protinus esse morituros.*

Cap. 43. §. 22. *qui in acie cecidit.* Curtius duos videtur distinguere Hegelochos, quorum alter classi Macedonicae in Aegeo mari praeerat, vid. III, 3. IV, 23, alter uni ex octo turmis equitum amicorum. Vide Arrianum III, 11, 12. Atque hic quidem, quamquam eius rei nulla mentio fit apud auctores, videtur apud Arbela cecidisse. Tum sequitur vulgo *ille omnium malorum nobis causa fuit*, sed pronomen abest ab omnibus mss. ac potest facile cogitatione suppleri. Aldinus editor primus adiecerat. Ordinem verborum secundum optimos (etiam Flor. G) instituimus.

§. 26. *proavum huius Alexandrum*]

Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam occisos
27 *ultus est? hic quidem interfectoribus patris ignovit. Haec Hegelochus dixit super coenam: et postero die prima luce a patre accersor. Tristis erat, et me maestum videbat. Audieramus*
28 *enim, quae sollicitudinem incuterent. Itaque ut experiremur utrumne vino gravatus effudisset illa, an altiore concepta consilio, accersi eum placuit. Venit: eodemque sermone ultro repetito adiecit, se, sive auderemus duces esse, proximas a nobis partes vindicaturum, sive deesset animus, consilium silentio esse*
29 *tecturum. Parmenioni vivo adhuc Dareo intempestiva res videbatur: non enim sibi, sed hosti, esse occisuros Alexandrum: Dareo vero sublato, praemium regis occisi Asiam et totum Orientem interfectoribus esse cessura. Approbatoque con-*
30 *silio, in haec fides et data est et accepta. Quod ad Dimnum pertinet, nihil scio, et haec confessus intelligo*
31 *non prodesse mihi, quod proximi sceleris expers sum.* Illi

Alexandrum dicit illum qui Xerxis tempore regnavit Graecisque clam fuit amicus, de quo Herodotus. Is autem vere non proavus, sed abavus fuit Magni Alexandri. Interfectum esse nemo praeter Curtium tradit. *Archelaus* in cuius aula Eurıpides aliquamdiu versatus est, insidiis interfectus traditur Aristoteli Polit. v, 8. *Perdiccas* frater est Philippi natu maior, quem non multo post Alexandrum, item Philippi fratrem, Amyntae filium, Eurydices artibus interfectum tradit Iustinus VII, 4, 5. Ceterum Snak. in mss. suis esse *Perdiccan* testatur, e nostris nihil a vulg. terminatione diversum enotatur.

hic quidem — ignovit. Uni Alexandro Lyncestae ignovisse traditur a Iustino XI, 2, cf. Curtium ipsum VII, 1.

§. 27. *dixit super coenam.*] Libri mss. et vulgo editi *supra coenam.* Verum sic nemo Latine locutus est cum significare vellet dum coenatur, inter coenam, sed *super coenam, super mensam, super vinum et epulas.* Itaque constantem sermonis usum secutus nunc dedi *super*, confusionem notarum intercessisse ratus, sed auctorem quoque habeo Flor. G, qui non raro insignes veritate lectiones servavit, item Voss. 2 et Modianam editionem. Mox *postero die* pro vulg. *postera die* codices plerique, nostri certe omnes praeter Flor. I et Bern. B. Cf. ad III, 31 princ.

§. 28. *accersi — venit — ultro repetito.* Variant codd. inter formas *accersi* et *accersiri*, hanc plures exhibent, illam meliores Leid. Voss. 1 Flor. A Bern. A, nullus nec *arcessi* nec *arcessiri*. Itaque quid sequeremur dubium non fuit, quamquam vulgo editur *accersiri*. Sed mirum est quam constanter omnes teneant *ac venire*. Modius de Palmerii coniectura *venit* correxit, nec audeo ab eo discedere. Tum pro *repetito* multi et boni edd. et vetustae ante Iunianam editiones *petito*, extrusa prima syllaba ob praecedentis similitudinem; *repetito* tamen extat in Flor. DFI.

§. 29. *esse cessura.* Nihil interest sic an, ut vulgo, *cessurum* legas. Secutus tamen sum Leid. Voss. 1. 2 Bern. AB Flor. ABEH et edit. Modianam. Sed quod sequitur *fides et data est et accepta* omnino fuit recipiendum ex Leid. Bern. A Flor. ABG. Vide supra ad c. 42, 15.

§. 30. *quod proximi sceleris expers sum.* Placet haec lectio sive emendationem vocabis Flor. G, quam eandem Modius nescio quo modo compertus vulgavit. Legitur in ceteris *quod prorsus sceleris expers sum.* Verum se sceleris

rursus tormentis admotis, cum ipsis quoque hastis os oculosque eius everberarent, expressere, ut hoc quoque crimen confiteretur. Exigentibus deinde, ut ordinem cogitati sceleris exponeret, cum diu Bactra retentura regem viderentur, timuisse respondit, ne pater LXX natus annos, tanti exercitus dux, tantae pecuniae custos, interim extingueretur, ipsique, spoliato tantis viribus, occidendi regis causa non esset. Festinasse ergo se, dum praemium in manibus haberet, repraesentare consilium, cuius patrem expertem fuisse nisi crederent, tormenta, quamquam iam tolerare non

universi expertem esse non certe, cum illa confessus esset, Philotas poterat negare; et aliquanto post legitur *Demetrius qui proximi sceleris particeps esse arguebatur.*

§. 31. *cum ipsis quoque hastis.* Vulgo *ipsi* contra codices et edd. ant. Alioquin nihil interest, nam quin ipsi illud fecerint inquisitores dubium non est. Hastas gestabant muneris insignia tamquam corporis regii custodes. *Expressere* hoc loco quo ego posui collocatum erat in Voss. 1 Bern. A Flor. ABG.

§. 32. *tanti exercitus dux.* Addunt etiam *tantus* (*dux tantus*) codd. fere omnes, praeter Flor. E. Sed quid facias nisi ut mendum ex repetitione agnoscas?

occidendi regis causa non esset. Alias fere *ratio* non esset occidere regem dicitur, ut Cic. in Verr. I, 9 *minari divisoribus ratio non erat*, p. Caec. 5 *nullam* esse *rationem amittere eiusmodi occasionem.* Galli hodie quoque sic dicunt, il n'y a point de raison d'assassiner le Roi.

§. 33. *in manibus haberet* manuscripti, editi praeter Mod. *haberet in manibus.* Post *repraesentare consilium* dedit iam Snakenb. secundum Leid. Voss. 1 et nostros Bern. A Flor. AB, a quo ne reliqui quidem multum discedunt dum *repensare* exhibent. Olim vero edebatur *repraesentasse* cum interpunctione maiore post *haberet*, quae lectio unum habet certum auctorem Flor. G et incertum Bongars. 1. Dictum autem est *repraesentare* pro exequi, in opus et effectum dare, interpretante I. Fr. Gronovio in libro de pec. vet. 1, c. 6. Ducta est enim metaphora de pecunia praesenti, cf. lib. X, 5, 39 *coeperat esse praeceps ad repraesentanda supplicia.*

cuius patrem expertem fuisse. Memoriam Philotae ipsis tortoribus crudelius lacerant editores qui sic edunt: *cuius patrem fuisse auctorem nisi crederent.* Quid enim? Quod illi libenter vel mentienti crediturі fuissent, idne filius se paratum dicet adversus patrem tormentis confirmare? Vae impietatis, ob quam solam turpiter perire mereretur. Atqui non est illa vox *auctorem* in ullo codice, supplementum est principis editoris, qui cum deesse aliquid recte intelligeret, non explorata re, quod facillimum ipsi videbatur infersit. Quanto melius vir doctus qui Flor. G correxit ad marginem „*expertem deest.*“ Nihil sane felicius potuit: nam verisimile fit, librarium olim cum *patrem* vidisset, *expertem* ob similitudinem litterarum omisisse. Concedent, opinor, Iunius et Modius qui cum diritatem vulgaris lectionis intellexissent, medendi causa *si* fecerunt ex *nisi*, nam nisi quid credatur, dicimus nos tormenta subituros, non si quid credatur. Deinde *iam* adieci ante *tolerare* ex Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1. Extremum verbum ob grammaticam rationem recte correxerat Aldus secutique illum erant Iunius et Modius, donec rursus veteres sordes *recusaret* revocatae sunt. Legitur tamen revera sic in codicibus ut videtur omnibus, sed mendum est ex eo genere quo frequentissime librarios peccare videmus. Refragatur quidem Wopkens. Lectt. Tull. lib. I, c. 14 p. 209, sed quae affert exempla Coniunctivi non quadrant. Nec opus videtur

posset, tamen non recusare. Illi collocuti satis quaesitum videri, ad regem revertuntur.

Qui postero die et quae confessus erat Philotas reci- 44
tari, et ipsum, quia ingredi non poterat, iussit afferri. Omnia agnoscente eo, Demetrius, qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producitur. Multa affirmatione animique pariter constantia et vultus abnuens, quicquam sibi in regem cogitatum esse, tormenta etiam deposcebat in semetipsum: cum Philotas, circumlatis oculis, ut incidere in Calin quemdam haud procul stantem, propius eum iussit accedere. Illo perturbato et recusante transire ad eum, *Patieris*, inquit, *Demetrium mentiri, rursusque me excruciari?* Calin vox sanguisque defecerant: et Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur, quia nec a Nicomacho, nec ab ipso Philota, cum torqueretur, nominatus esset adolescens. Qui ut praefectos regis circumstantes se vidit, Demetrium et semetipsum id facinus cogitasse confessus est. Omnes ergo a Nicomacho nominati, more patrio, dato

et coniunctionem dirimere ac sequentibus praemittere.

Cap. 44, §. 35. *eo Demetrius*. Recte sic Modius: Vulgo *eodem*, quod ne in libris quidem manuscriptis est, nisi sic in Flor. A et paucis aliis *eodem et prius*. Agnoscis describentis fidem.

animique pariter constantia et vultus. Non potui mihi temperare quin Heinsii coniecturam *vultus* pro eo quod adhuc editum est *vultu* in textum reciperem. Cf. x, 25 *sic animi vultusque constantia terruit*. Codd. pertinaciter *et constantia et vultu*, deteriores quidem ita ut *animi* non *animique* exhibeant.

§. 36. *circumlatis oculis, ut incidere*] Aldus ex codd. Flor. DFHI edidit *cum Phil. circumlatis oculis incideret*, eaque ectio vulgata facta est. Verum oculi ncidunt, non ipse homo. Modius ex liis libris, quales sunt Flor. CG, *cum Phil. circumlatis oculis ut incideret* edilit, sed quem sensum istis verbis inesse oluerit et cur eam lectionem multum ddere elegantiae orationi putaverit, iteor me non intelligere. Scribendum unc demum video esse *ut incidere*, sicut est in Leid. Bern. A Flor. AB atque editum fuit a principe editore: perfectum tempus est, et coniungenda verba sunt: *cum Philotas — iussit*, eaque *ἀπόδοσιν* efficiunt praegressis *Demetrius — deposcebat*. In aliis codicibus excidit *ut*, sed relictum est *incidere*, Flor. E Voss. 1 Pal. 2. 3.

§. 37. *nec ab ipso Philota*]. *Ab illo Philota* codd. plerique omnes, exceptis tamen Flor. EFG. Bongarsius igitur Philotae potius nomen ut ab interprete additum deleri voluit. Sed insolitum non est librariis *ipse* et *ille* confundere.

§. 38. *Omnes ergo a Nicomacho nominati — obruti sunt*. Editur vulgo *omnes — nominatos — obruerunt*, sed subiectum deesse, cum Macedonum nomen interiecta confessione Colis paulo longius remotum sit, molestissime fero. Praeterea omnes codd. *nominati*, quod si probas, ab uno Flor. G discedere non poteris, in quo illud quod Modius edidit, *obruti sunt* manifesto extat. Habes igitur denuo exemplum confusarum terminationum verbi activi et passivi. Quod ad historiam attinet Demetrium, corpo-

signo, saxis obruti sunt. Magno non salutis, sed etiam in- 39
vidiae periculo liberatus erat Alexander, quippe Parmenio
et Philotas, principes amicorum, nisi palam sontes, sine
indignatione totius exercitus non potuissent damnari. Ita- 40
que anceps quaestio fuit: dum infitiatus est facinus, cru-
deliter torqueri videbatur, post confessionem Philotas ne
amicorum quidem misericordiam meruit.

ris custodem summi ordinis, i. e. unum de septem qui σωματοφύλακες appellabantur, Arrianus III, 27 extr. non tum, sed paulo post, cum Alexander inter Euergetas versaretur, comprehensum et munere destitutum tamquam consciun sceleris tradit: in cuius locum Ptolemaeus Lagi σωματοφύλαξ nominatus est.

§. 39. *non salutis, sed etiam invidiae*] Omisimus *modo*, quod vulgo additur, *non modo salutis, sed etiam*. Nam sic quidem in nullo ms. est, sed qui libri *modo* habent, pauci quidem nec boni, de nostris Flor. DFHI, ii *non salutis modo sed vitae* exhibent. Omitti autem *modo* etiam ubi sequatur *sed etiam*, probat Livii locus XXVIII, 11 extr. *ita ut non praeda, sed armati quoque in periculo fuerint*. Cf. etiam supra c. 35 princ. Sed difficilius est quod in omnibus libris est, *sed etiam vitae*. Nam salus quidem vita est, nec intelligitur quod discrimen h. l. inter eas statuatur. Equidem cum Freinshemio et Schmiedero Petri Rubenii coniecturam in Electis c. 33 probavi, *sed etiam invidiae*. Dicit Curtius regem in periculo fuisse non salutis sive vitae, de quo quidem non attinet dicere, sed famae, bonae existimationis, quia omnes eum odio fuissent habituri, nisi ultima confessio reorum accessisset. Periculum salutis aliter dicitur atque periculum invidiae, sed genitivus in Latino sermone latiorem ambitum habet quam in recentioribus, potestque Latine recte et eleganter coniungi quod ne amittas in periculo sis et ne nanciscare. Sed nescio an ea ipsa proprietas librariis inexplicabilis visa sit, quapropter suo Marte correxerunt.

§. 40. *Phil. ne amicorum quidem misericordiam*. Hoc est ab Aldo, sed nondum quisquam ex codicum tricis quod melius esset excogitavit. Est autem in Flor. A *neque etiam Phil. amicorum misericordiam*, in Flor. B ceterisque omnibus *etiam neque Philotas am. mis. meruit*.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER VII.

ARGUMENTUM.

(1) Quaestionibus semel institutis, rex etiam Alexandrum, Aëropi filium, cesten, quem ante triennium sibi insidiatum Antipatri soceri precibus condo-erat, e carcere protractum in contione causam dicere iussit. Quod cum non et, supplicio affectus est. (2) Tum producuntur Amyntas et Simmias fratres, suspecti propter amicitiam cum Philota et alia indicia animi alieni novaque rerum cupidi. (3) Sed Amyntas vinculis solutus fortiter se defendit, primum vocum temere iactarum insolentiam excusat, (4) deinde amicitiam otae se ceterorum exemplo et ipsius regis quasi iussu expetivisse defendit, tum crimina regii scribae refutat, et veram causam ostendit, cur Olympias, s mater, ipsum filio per litteras invisum reddiderit. (6) Dum haec agit yntas, frater eius Polemon ex fuga retractus adducitur, qui cum semet accut, fratres innocentes esse testaretur, ceterorum animis motis, ab uno Amynta niter increpatur. Tum rex a tota contione exoratus, tres fratres multo cum ore verborum absolvit.

(7) Alexander ad interficiendum Parmenionem, tum in Media cum parte citus versantem, Polydamanta mittit. (8) Qui cum brevissimo tempore eo renisset, deliberata re cum praefectis regiis, Parmenionem domi suae oppri- (9) Tumultuantur milites, sed recitatis regis litteris quiescunt. De moribus menionis et culpa dubia disseritur. (10) Milites necem veteris ducis libere questi et continuum laborem aegre ferentes, in unam cohortem a cetero exersegregantur.

(11) Alexander a Drangis in regionem Arimasporum sive Euergetarum perit, inde Carano et Erigyio cum parte exercitus adversus Satibarzanem Arios uo concitantem dimissis, ad Arachosios perrexit. (12. 13. 14.) Hinc per ionem Parapamisadarum, asperam et alta nive contectam, summo cum labore Caucasum processit, cuius in radicibus *(ad meridiem versus, si fides Arriano*

IV, 22, 5. *habenda)* urbem Alexandriam condi iussit, superatoque eo monte ad fines Bactrianae pervenit.

(15) Interim Bessus consilium expedit, longius trans Oxum (*hodie Gihon*) recedendi et contractis accolentium barbarorum auxiliis in Sogdiana bellum gerendi: (16) nec ab ea ratione Cobaris cuiusdam oratione deterretur, ut semet-ipse Alexandro dedat suadentis.

(17) Et ille quidem Oxum transit, desertus a Bactrianis equitibus: Macedonum exercitus, priusquam culta loca Bactrianae attingeret, per deserta proficiscens inopia omnium rerum premitur. (18) Varia natura illius terrae describitur. (19) Bactris stativa habenti nuntius regi affertur de rebus prospere apud Arios gestis. Victus enim fuit Satibarzanes, rebellionis auctor, et singulari certamine ab Erigyio occisus.

(20) Bessum priusquam Scytharum auxilia advenissent occupaturus Alexander, Artabazo satrapa instituto, Bactris proficiscitur, sed priusquam ad Oxum amnem perveniret exercitus, per Sogdianae deserta iter faciens, aestu et aquae penuria vehementer laborat, (21) rege quidem insignem animi magnitudinem exhibente. Singulari ratione Oxum superat. (22) Mox cognoscit, Bessum a Spitamene, Sogdianorum equitum praefecto, vinctum teneri et ad se adduci. (23) Interim, dimissis veteranis, ad urbem Branchidarum venerat, quod proditorum olim Graeciae receptaculum diruit. (24) Iter Tanaim versus facienti a Spitamene adducitur Bessus, quem propinquis Darii tradi iussit supplicio afficiendum eo loco, ubi regem suum interfecerat. (25) Latrones barbaros obsidens Alexander vulneratur, sed illi admiratione eius capti semet dedunt. Rex lectica fertur a militibus de muneris illius functione certantibus. (26) Maracanda venit: legatos Abiorum Scytharum audit, Penidam ad alios Scythas trans Tanaim colentes mittit, ne amnem illum transeant interdicens. Cetera consilia differre cogit Sogdianorum defectio, ad quam coercendam Spitamenes evocatus, quod sibi metueret, etiam Bactrianos equites ad rebellionem concitat. (27) Itaque rex divisis copiis Cyropolim et urbem Memacenorum expugnatas diruit; (28) Menedemum Maracanda mittit, ut Spitamenem inde expelleret, ipse ad Tanaim Alexandriam urbem, propugnaculum adversus Scythas brevissimo tempore condit. (29) Quod aegre ferens rex Scytharum *(quos falso Europaeos vocat auctor, duplici Tanai, quorum alter hodie Don, alter Sihun vocatur, sicut ipsi Graeci deceptus)* equitum magnam manum ad eam evertendam mittit, dolente Alexandro, quod valetudine impeditus neque oratione, neque exemplo suo Macedones ad pugnam fortiter ingrediendam excitare posset. (30) Itaque amicis primum in consilium advocatis persuadere studet, quantopere rebus suis expediat Tanaim transire Scytharumque insolentiam frangere. (31) Sed eam rem omnes dissuadent, Erigyius etiam male litatum esse admonens. Ira commotus rex Aristandrum vatem increpat, nec de sententia decedit. (32) Interim Spitamenes, assumptis Daharum auxiliis, Menedemum cum eius manu circumvenerat et fortiter dimicantem cum maiore parte militum occiderat. Sed eam cladem sollerter tegit Alexander, (33) nec eo secius quae ad Tanaim transeundum necessaria fuerunt, comparat, tum primum post vulnus apud Memacenos acceptum in conspectum militum prodiens. Legati Scytharum in castra veniunt, (34) et oratione habita regis aviditatem pauperibus aeque ac divitibus gentibus imperandi reprehendunt, (35) periculi imminentis admonent, suam amicitiam aequis conditionibus offerunt. (36) Quibus dimissis Alexander exercitum sanequam perite flumen traiicit, (37) Scythas facto impetu propellit et longe persequitur.

(38) Qua victoria barbarorum animi fracti, regis clementia conciliantur. Inde Maracanda reversus rebelles Sogdianos omni clade ulciscitur, (39) neque tamen non etiam clementiae aliquid tribuit, cuiusvis virtutis in hoste admirator.

(40) Relicto praesidio Bactra redit, (*incipiente hieme anni a Chr. nat.* 329. *exeuntis*,) nec vero diu ibi constitit, sed supplemento militum auctus, Oxo denuo superato arma circumferens, quaecunque defectione turbata erant, componit, novas etiam rex urbes condit circa Marganiam. (41) Supererat petra, quam Arimazes Sogdianus obtinebat, regis minas eludens. Itaque Alexander 300 iuvenes delectos maximis promissis oneratos in summum montis verticem averso itinere evadere iubet. (42) Qui per aspera et abrupta enisi tandem eo perveniunt, signumque, de quo convenerat, edunt. (43) Quo monstrato Arimazes perterritus regi sese dedit, sed superbiae causa supplicio afficitur.

Philotan sicut recentibus sceleris eius vestigiis iure 1
affectum supplicio censuerant milites, ita, postquam desierat esse quem odissent, invidia in misericordiam vertit. Moverat et claritas iuvenis, et patris eius senectus atque orbitas. Primus Asiam aperuerat regi omnium periculorum eius particeps, semper alterum in acie cornu defenderat, Philippo quoque ante omnes amicus, et ipsi Alexandro tam fidus, ut occidendi Attalum non alio ministro uti mallet. Horum cogitatio subibat exercitum, seditiosaeque voces referebantur ad regem. Quis ille haud sane motus, satisque prudens, otii vitia negotio discuti, edicit, ut omnes in vestibulo regiae praesto sint. Quos ubi frequentes adesse cognovit, in contionem processit. Haud dubie ex composito Atharrias postulare coepit, ut Lyncestes Alexander, qui multo ante quam Philotas regem voluisset occidere, exhiberetur. A duobus indicibus, sicut supra diximus, delatus,

Liber VII. Cap. 1, §. 1. *Philotan* Graeca terminatione dedi accedentibus l. l. tribus Flor. ABC ad veterem Bern. auctoritatem. Tum *invidia — vertit* primum Modius, deinde Freinshemius ceperant, cum vulgo tum ederetur *vertitur*. Perpetua haec est varietas, sed integriores libri tuentur activam formam ii quos Snak. contulit et nostrorum Bern. uterque Flor. ABEH, *invidiam vertunt* Flor. C, *invidiam vertit* Flor. H Bern. B.

§. 4. *praesto sint.* Vulgo *praesto forent*, mirum unde ductum, nam codd. nostri quidem et Snak. omnes ut edidimus.

§. 5. *Atharrias.* Vide ad V, 7. Vulgatum *Apharias* est in Flor. AB, *Apharrias* in Flor. D, *Afarrias* in Voss. 1, *affarrias* Bern. A Leid., *aphareas* in Flor. EH, *affareas* Bern. B, *apharrios* Flor. GI, *apharios* Flor. F, *adarras* Flor. C.

§. 6. *sicut supra diximus*] Intellige in libro secundo huius historiae, qui periit. Accidit enim res, cum Alexander in oris Asiae minoris versabatur. Vide Arrianum I, 25, Diodor. XVII, 32. Itaque paulo plus triennium effluxit, quamvis de eadem re loquens ipse rex VIII, 26 *biennium* dicat.

tertium iam annum custodiebatur in vinculis. Eundem in Philippi quoque caedem coniurasse cum Pausania, pro comperto fuit; sed quia primus Alexandrum regem salutaverat, supplicio magis quam crimini fuerat exemptus. Tunc quo- 7
que Antipatri soceri eius preces iustam regis iram morabantur. Ceterum recruduit soporatus dolor: quippe veteris periculi memoriam praesentis cura renovabat. Igitur Alex- 8
ander ex custodia educitur, iussusque dicere, quamquam toto triennio meditatus erat defensionem, tamen haesitans et trepidus pauca ex his, quae composuerat, protulit; ad ultimum non memoria solum, sed etiam mens eum destituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiae indicium 9
esset, non memoriae vitium. Itaque ex his, qui proximi astiterant, obluctantem adhuc oblivioni lanceis confoderunt.

2 Cuius corpore ablato, rex introduci iussit Amyntam 10
et Simmiam: nam Polemon, minimus ex fratribus, cum Philotam torqueri comperisset, profugerat. Omnium Philo- 11
tae amicorum hi carissimi fuerant, ad magna et honorata ministeria illius maxime suffragatione producti; meminerat-
que rex, summo studio ab eo conciliatos sibi, nec dubitabat, huius quoque ultimi consilii fuisse participes. Igitur, olim 12

§. 7. *Tunc quoque.* Vulgo *Tum quoque*, nos expressimus Flor. ABC Leid. Voss. 1 alios minoris auctoritatis. Intelligitur hoc ipsum tempus detectarum Philotae insidiarum.

§. 8. *quamquam toto triennio — tamen haesitans.* Vulgo *tamen* ab editis abest, sed exhibent omnes manuscripti. Pro *quamquam*, quod editio princeps habet et codd. plerique interque eos qui a nobis optimi censentur, Aldus primus induxit *quam*. Male, nam *dicere defensionem* Curtiano stilo non dignum est.

§. 9. *qui proximi astiterant. Proximi* meliores, vulg. *proxime* e nostris tantum Flor. DFG Bern. B. Ceterum *astiterant* Bern. A qui liber alias praepositiones non frangit. *His* et hac et superiore paragrapho omnes nostri praeter Flor. B in quo scribitur *hiis*. *Ex his — confoderunt*, nimirum aliqui, rarum dicendi genus, de quo vide ad III, 31.

Cap. 2, §. 10. *corpore ablato* nostri quidem omnes et Acid., alii *oblato*, sed qui scripti *sublato* exhibeant, quamquam sic editur vulgo, nondum inveni.

et Simmiam] Verum est sine dubio nomen *Σιμμίας*, sed accus. casum, utrum Latine *am* an Graece *an* efferas, libri mss. nomen fere cum proximo vocabulo contrahentes non discernunt. Sed *Amyntam* omnes, et mox *Philotam* nostri praeter Bern. A, in quo est *Philotan*, ut Snakenb. constanter scripsit. Edd. vetustae usque ad Modium *Polemon vero minimus* fulciendae orationis causa habent, ideo quod *nam* omiserunt. Et legitur sane *vero* in deterrimis Codd. Bern. B Voss. 2 Pal. 2.

§. 12. *Igitur olim sibi esse suspectos*] Sic codd. vulgo *esse sibi*. Nec est cur *igitur* velimus deleri. Subintelligitur enim *dicebat* ex praegresso *dubitabat*, in quo hoc quidem loco iam inest dicendi notio.

sibi esse suspectos matris suae litteris, quibus esset admonitus, ut ab his salutem suam tueretur. Ceterum se invitum deteriora credentem, nunc manifestis indiciis victum, iussisse
3 vinciri. Nam pridie quam detegeretur Philotae scelus, quin secreto cum eo fuissent, non posse dubitari. Fratrem vero, qui profugerit, cum de Philota quaereretur, aperuisse fugae
4 causam. Nuper praeter consuetudinem, officii specie, amotis longius ceteris, admovisse semetipsos lateri suo, nulla probabili causa: seque mirantem, quod non vice sua tali fungerentur officio, et ipsa trepidatione eorum perterritum, strenue ad armigeros, qui proxime sequebantur, recessisse.
5 Ad haec accedere, quod cum Antiphanes, scriba equitum, Amyntae denuntiasset, pridie quam Philotae scelus deprehensum esset, ut ex suis equis more solito daret his qui amisissent, superbe respondisse, nisi incepto desisteret, brevi
6 sciturum quis ipse esset. Iam linguae violentiam temeritatemque verborum, quae in semetipsum iacularentur, nihil aliud esse, quam scelesti animi indicem ac testem. Quae si vera essent, idem meruisse eos, quod Philotam, si falsa,

§. 13. *quin secreto cum eo fuissent.* Sic exhibent libri meliores, vulgo *quin in secreto cum ipso fuissent* editur, quod ipsum in nullo ms. est, sed plures *in secreto cum eo*, sicut Modius dedit, pauci Flor. EH Bern. B Voss. 2 *in secreto ipso*. *Secreto* adverbium quam frequens sit apud bonos scriptores lexica docent, nec h. l. de loco aliquo abdito, sed de testibus remotis sermo est.

non posse dubitari. Boni libri *dubitare*, sed quid ipse existimet in iudicio quidem non spectatur. Certe *dubitari* ad sensum longe praestat, legiturque in Flor. plerisque et G.

cum de Philota quaereretur. Sic omnes libri, nam quod in aliis est *Philotae*, in aliis *de* omittitur, ad rem non pertinet. Certe quod vulgo editur *Philotas torqueretur* in nullo est. Videntur principes editores obliti esse, quaestionem habere et quaerere de aliquo nihil aliud esse quam tormenta adhibere. Vide lib. VI, c. 42.

§. 14. *et ipsa trepid.*] *ex ipsa* Bern. uterque, Snak. tres, Flor. ACEH, *ex ista* G. Illud etiam vulgo edebatur, priusquam Modius correxit.

qui proxime sequebantur. Sic (*proxime*) edd. veteres et Modiana, et codd. nostri praeter Flor. B omnes. Nescio quis primus *proximi* ediderit, sed ediderunt Freinshemius et Snakenb., neque hic quicquam diversum notavit.

§. 15. *Ad haec accedere*] Sic omnes nostri et Snak. codd. recte, quandoquidem iam complura indicia conspirationis factae prolata sunt. Non pugnat igitur cum eo quod saepe docuimus Curtium *ad hoc* dicere solere pro praeterea.

daret his qui amisissent. Subintellige *suos equos*, et hoc additur in contextu verborum in Flor. G. In ceteris est *amisissent equos*, sed *equos* superscribitur in Flor. AB. Vulgo editur *iis qui amisissent suos*, ex cap. 5, sed apparet intelligendum potius esse quam exprimendum. *His* porro omnes nostri praeter Flor. G in quo est *iis* et Flor. B qui *hiis* scribit.

exigere ipsum, ut refellant. Productus deinde Antiphanes, 17
de equis non traditis et adiectis etiam superbe minis indicat.

3 Tum Amyntas, facta dicendi potestate, *Si nihil*, inquit, 18
interest regis, peto, ut dum dico, vinculis liberer. Rex solvi utrumque iubet: desiderantique Amyntae, ut habitus quoque redderetur armigeri, lanceam dari iussit. Quam ut 19
laeva comprehendit, evitato eo loco, in quo Alexandri corpus paulo ante iacuerat, *Qualiscunque*, inquit, *exitus nos manet, rex, confitemur, prosperum tibi debituros, tristiorem fortunae imputaturos. Sine praeiudicio dicimus causam, liberis* 20
corporibus animisque. Habitum etiam, in quo te comitari solemus, reddidisti. Causam non possumus, fortunam timere desinemus. Et quaeso, permittas mihi id primum defendere, quod 21
a te ultimum obiectum est. Nos, rex, sermonis adversus maiestatem tuam habiti nullius conscii sumus nobis. Dicerem iampridem vicisse te invidiam, nisi periculum esset, ne alia malignius dicta crederes blanda oratione purgari. Ceterum etiamsi 22
militis tui vel in agmine deficientis et fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo aegri et vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta, merueramus fortibus factis, ut malles

§.17. *adiectis etiam.* Posterior vox deest in Flor. A, item in Flor. CEH Bern. B, in quibus tamen ordine mutato *adiectis minis superbe.* Tum fere mss. *Inde captum*, unde Flor. C *inde captus*, Flor. DFGI *inde iam captus.* Etiam editiones vetustae *Inde captus*, donec Iunius *indicat. Amyntas*, et Modius *indicat; ac tum Amyntas.* Freinshemius denique sublato *ac* dedit quod nunc recte vulgatur.

Cap. 3, §. 18. *habitus quoque redderetur armigeri.* Erat enim Amyntas hic Andromeni fil. *ὑπασπιστῶν* chiliarcha, et insigne suorum militum poscebat.

§. 19. *prosperum tibi debituros.* Addunt post Aldum vulgo *prosperum eventum*, sed hanc vocem damnant nostri codices omnes, et Modiana editio. Subintellige ex prioribus *exitum* et abiice glossam. Snakenburg. ex suis codd. nihil annotat, quamquam illos cum nostris facere non dubium est.

§. 20. *in quo te comit. solemus.* Sustulerat Freinshemius *in* paucorum codicum auctoritate quales sunt Flor. DEF, nam reliqui et plures et meliores habent recte. Nam cum *habitum* universe appellarit, quo et vestitus et arma continentur, praepositio suam vim habet. De sola lancea non esset *in*, sed *cum.*

§. 21. *desinemus. Et*] Aliquot codices, et boni quidem Flor. A Bern. A Leid. Voss. 1, *desiemus*, mendose: omnes autem *Et* pro eo quod in editis praeter Mod. est, *Te.* Significat coniunctio copulativa, oratorem iam sine mora ad rem ipsam accedere, quod maxime decet Amyntae fiduciam. Eo in genere maxime *ac* poni solere a Cicerone, saepe annotavi ad Verrinas: verum *ac* [illegible] *καινότερον* esset.

malignius dicta omnes codd. nostri et Leid. Voss. 1 Snakenburgii. Vulgo editi *maligne dicta.*

3 *ea tempori nostro imputare, quam animo. Cum quid accidit tristius, omnes rei sunt: corporibus nostris, quae utique non odimus, infestas admovemus manus: parentes liberis si occurrant, et ingrati et invisi sunt. Contra cum donis honoramur, cum praemiis onusti revertimur, quis ferre nos potest? quis* 4 *illam animorum alacritatem continere? Militantium nec indignatio, nec laetitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapimur. Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, utcunque praesens movit affectio: modo Indiam adire et Oceanum libet, modo coniugum et liberorum patriaeque memoria occurrit.* 5 *Sed has cogitationes, has inter se colloquentium voces, signum tuba datum finit: in suos quisque ordines currimus, et quicquid irarum in tabernaculo conceptum est in hostium effunditur capita.* 6 *Utinam Philotas quoque intra verba peccasset! Proinde ad id praevertar, propter quod rei sumus.*

Amicitiam, quae nobis cum Philota fuit, adeo non eo in- 4
fitias, ut expetisse quoque nos, magnosque ex eo fructus perce- 1 *pisse confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti, filium, omnes paene amicos tuos dignatione vin-*

§. 23. *contra cum donis honoramur.* Iterum miror Snakenburgium qui ex suis libris nihil annotaverit, cum in Basil. edit. *contra* adiici in principio indicarit. Illud autem non est in illa sola editione, sed in principe, Merul. Iun. Mod. (quamquam omissum est in Aldina); est etiam in omnibus codd. nostris, nec ulla causa est cur non in ceteris putemus esse. *oneramur* Flor. EH Bern. B Voss. 2.

§. 24. *moderata est.* Codd. omnes praeter Flor. F Pal. 3 *morata* mendose.

§. 25. *in suos quisque ordines currimus.* Sic Latine dicitur non ut vulgo editur *in suos ordines quisque currimus*, sed sequemur etiam cum Mod. editione Flor. ABDFGI Bern. A (de Snakenburgianis unum Voss. 1 si libet credere in Leid. esse vulgatam).

§. 26. *ad id praevertar*] Sic nunc edendum curavi ex coniectura Acidalii, sed astipulantibus codd. Leid. Voss. 1 Bern. A. Vulgatum *ad id revertar* in omnibus Flor. est tantum quod Flor. G *ut ad id revertar*. Verum nondum locutus erat de Philotae amicitia, nec *revertitur*, sed ceteris omissis ad eam rem tamquam primariam *praevertitur* potius. Sic VI, 22 *ad Satibarzanem opprimendum praeverti optimum ratus.*

Cap. 4. *non eo infitias.* Recte sic ex codd. vett. restituit Freinshemius, ac defendit Snak. auctoritate optimorum codicum. Tuto igitur hoc exemplum locutionis antiquae addatur lexicis, et notetur accusativus, quem Tellierius olim temere negavit regi posse a verbo *infitias ire*, quamquam simul etiam pertinet ad sequens *expetisse*. Nam accusativus est etiam apud Nepot. Epamin. 10 *quod nemo eat infitias*, et Livium VI, 40 *quorum alterum neque nego neque infitias eo.* Ceterum *infitior*, quod Modius praetulit, extat in Flor. CDEFGI. Cf. c. 5, 35. (Mox verba *quoque nos, magnosque ex eo fructus percepisse* typographorum incuria in Freinshemiana editione exciderant, latueratque is error complures illius repetitores usque ad Snakenburgium).

centem, cultum a nobis esse miraris? Tu hercule, si verum 28
audire vis, rex, huius nobis periculi es causa. Quis enim
alius effecit, ut ad Philotam decurrerent qui placere vellent
tibi? Ab illo traditi ad hunc gradum amicitiae tuae ascendi-
mus. Is apud te fuit, cuius gratiam expetere, et iram timere
possemus. An non propemodum in tua verba tui omnes te 29
praeeunte iuravimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros
esse, quos tu haberes? Hoc sacramento pietatis obstricti aver-
saremur scilicet, quem tu omnibus praeferebas! Igitur, si hoc 30
crimen est, paucos innocentes habes: immo hercule neminem.
Omnes enim Philotae amici esse voluerunt, sed totidem, quot
volebant esse, non poterant. Ita, si a consciis amicos non di-
vidis, ne ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse volue-
runt. Quod igitur conscientiae affertur indicium? Ut opinor, 31
quia pridie familiariter et sine arbitris locutus est nobiscum!
At ego purgare non possem, si pridie quicquam ex vetere vita
ac more mutassem. Nunc vero, si, ut omnibus diebus, illo
quoque, qui suspectus est, fecimus, consuetudo diluet crimen.
Sed equos Antiphani non dedimus! et pridie quam Phi- 32
lotas detectus est, haec mihi cum Antiphane res erat! qui si

§. 28. *hercule.* Soli Flor. DGI *hercules.* Vide supra ad VI, 39. Mox *periculi es causa*, hoc ordine, optimi libri cum aliquot deterioribus Bern. B Flor. CFH.

§. 29. *An non propemodum in tua verba.* Non credo hanc esse auctoris veram manum, verumtamen melius ego nihil ex codicum stribligine elicere possum. Sic enim illi cum editionibus veteribus *Si non propemodum tuo verberatu ei omnes te praetereunte iuravimus.* Pro *Si* in Flor. FGHI Bern. B est *an*, pro *si non* in Bern. A *sin*, in ceteris codices sibi constant, nec Modius aliud quicquam invenit. Loci constitutio, sicut nunc est, Hadriano Iunio debetur.

aversaremur scilicet. Codd. *obversaremur*, pauci *observaremus*, Flor. G *abversaremur*, editi olim *adversaremur*, donec Modius *aversaremur* probavit. In exemplari antiquissimo videtur *abversari* semper pro eo quod nobis est *aversari* scriptum fuisse, sicut *abverto* interdum pro *averto* reperitur (vid. Schneid. Elem. L. L. p. 521): inde frequentissima verborum *aversari* et *adversari* apud hunc scriptorem confusio. In sequentibus vulgo edebatur *tu paucos innocentes habes*, sed pronomen abest a libris scriptis, nec sane desiderabitur.

§. 30. *ne ab amicis quidem.* Vulgo *nec*, sed *nec — quidem* ubi nulla copulandae orationis ratio cogitari potest, nullo pacto ferri potest. Itaque optimis relictis in perspicua quidem re secutus sum Flor. DFGI. Quam saepe librarii *nec — quidem* pro *ne — quidem* scripserint, ubi integriorum codicum auctoritate refelluntur, noveris collatis, quae annotavimus ad VIII, 18. VIII, 27. VIII, 28. in Append. ad V, 21, 18. V, 35, 5. VI, 3, 18. VI, 30, 11.

§. 31. *si, ut omnibus.* [illegible] est haud dubie verum, codd. autem [illegible] *omnibus*, in uno Flor. H littera *c* [illegible], et Leid. abest a consensu eorum qui *sicut* habent, si fidem habere vis silentio Snakenburgii.

nos suspectos facere vult, quod illo die equos non dederimus,
33 *semetipsum, quod eos desideraverit, purgare non poterit. Anceps enim crimen est inter retinentem et exigentem: nisi quod melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum.*
34 *Ceterum, rex, equos decem habui, e quibus Antiphanes octo iam distribuerat his, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos cum vellet abducere homo superbissimus, certe*
35 *iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar. Nec infitias eo, liberi hominis animo locutum esse me cum ignavissimo, et hoc unum militiae suae usurpante, ut alienos equos pugnaturis distribuat. Huc enim malorum ventum est, ut verba mea eodem etmpore et Alexandro excusem, et Antiphani.*
36 *At hercule mater de nobis inimicis tuis scripsit! Utinam prudentius esset sollicita pro filio, et non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim non ascribit metus sui causam? denique non ostendit auctorem? Quo facto dictove*
37 *nostro mota tam trepidas tibi litteras scripsit? O miseram condicionem meam, quia forsitan non periculosius est tacere,*

Cap. 5, §. 32. *quod eos desideraverit.* Flor. AEH Bern. B *desideravit.*

§. 34. *decem habui, e quibus*] *Habeo* primum editi, donec Aldus *habui* scripsit et reliqui secuti sunt. Flor. A *habui habeo*, et hoc quidem alterum lineola notatum, *habeo* autem Bern. uterque et Flor. BCEH Voss. 2. Leidensis tamen et Voss. 1 (si fides silenti Snakenburgio) *habui* cum reliquis Florentinis. Verum omnes nostri -codd. et Leid. *e quibus* pro vulg. *e quis*, Voss. 2 *equitibus*, Voss. 1 non commemoratur quasi vulgatam scripturam *e quis* tueatur. Sed vix credo. Mox *his qui* omnes nostri et Snakenburgiani, praeter Flor. B qui suum *hiis* servat.

certe iniquissimus. Multi et boni libri *iniquissime*, quod ferri posset nisi collocatio verborum repugnaret. Itaque Aldinam lectionem retinui, firmatam codd. Flor. EG (fortasse Voss. 1 qui non commemoratur), in Flor. DFI Pal. 1 *homo superbissimus iniquissimusque* legitur.

§. 35. *nec infitias eo*] Flor. DF *nec inficiar eo*, Flor. E *ne inficior eo*, Flor. C *nec confitior*, Flor. G *nec inficiabor.* Vides quantopere fugerint librarii insolitam ipsis locutionem. Mox *usurpante* verissimum est, sed annoto in Leid. Voss. 1 Bern. utroque Flor. ABEGH adiecta inconsulto littera *m* peccari *usurpantem.*

§. 36. *At hercule*] Flor. G *At enim hercule*, tum pro *tuis* Flor. DFGI Pal. 1 edit. Modiana *tibi*, Flor. H Bern. B *eius.* Placet quidem *tibi.*

denique non ostendit auctorem. Haec verba cum superioribus coniunxi, cum vulgo sine interrogationis signo cum sequentibus, quae et ipsa non interrogative proferrentur, copularentur, sic: *Denique non ostendit auctorem, quo facto dictove nostro mota tam trepidas tibi literas scripsit.* Sed cum factum dictumve alicuius *auctor* certe vocari nequeat, addendum esset *vel quo facto*, aut corrigendum contra libros *scripserit.*

§. 37. *quia forsitan.* Nihil interest, sic legas an uti in editis adhuc *cui forsitan*, sed secutus sum et optimos et plurimos. (*Cui* de nostris non est nisi in Bern. B Flor. EH.)

quam dicere! Sed utcunque cessura res est, malo tibi defensionem meam displicere, quam causam. Agnosces autem quae dicturus sum; quippe meministi, cum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros iuvenes in domo tuae matris abscondi. Praecepisti igitur mihi, ne 38 *quem praeter te intuerer, sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, et liberius, quam expediebat mihi, executus sum tuum imperium. Gorgiam, Hecataeum et Gorgatan, buorum bona opera uteris, inde perduxi. Quid igitur* 39 *iniquius est, quam me, qui, si tibi non paruissem, iure daturus fui poenas, nunc perire quia parui? Neque enim ulla alia matri tuae persequendi nos causa est, quam quod utilitatem tuam muliebri praeposuimus gratiae. Sex milia Macedonum* 40 *peditum et* DC *equites adduxi, quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem. Sequitur ergo, ut, quia illa propter hanc causam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui irae eius nos obtulisti.*

6 Dum haec Amyntas agit, forte supervenerunt, qui II fratrem eius Polemonem, de quo ante est dictum, fugientem consecuti vinctum reducebant. Infesta contio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. Atque ille sane interritus, *Nihil,* inquit, *pro me deprecor, modo ne* 2 *fratrum innocentiae fuga imputetur mea. Haec si defendi non potest, meum crimen sit. Horum ob id ipsum melior est causa, quod ego, qui profugi, suspectus sum.* At haec elocuto 3 universa contio assensa est: lacrimae deinde omnibus ma-

§. 38. *expediebat*] Leid. Bern. A *expedibat*. Tum *tuum imperium* Bern. AB Flor. ABCE Leid. Voss. 2 quod recepi pro vulg. *imp. tuum*. Mox *Gorgiam* non potui non propter librorum consensum scribere, quamvis sequatur *Gorgatan*, sed cum utraque forma accusativi apud Curtium inveniatur, longe tutius codd. sequi quam cum Snakenburgio amplecti rariorem. (*Gorgatam* soli Bern. B Flor. C, *Hegateum* omnes, sicut et alibi Graecum ϰ non *c*, sed *g* littera exprimitur, v. c. *Sagae* pro *Sacis* exaratur VII, 15. Verum *Hecataeum* scripsimus Graecos auctores secuti, qua in re Curtiani codices suffragandi ius non habent.

§. 40. *et* DC *equites*. Supra lib. V, 6 quingentos fuisse dixerat.

Cap. 6, §. 1. *est dictum*] Sic Flor. ABD Bern. A Leid. Voss. 1; vulgo *dictum est*.

§. 3. *At haec elocuto*. Modius praeeunte Iunio eiecit *at*, quod legitur in codicibus omnibus. Atque inest contrarii eventus quaedam significatio. Non me movet quod *ad haec* scribitur in Flor. DEFGHI Pal. 1 Voss. 2.

nare coeperunt, adeo in contrarium repente mutatis, ut
4 solum pro eo esset, quod maxime laeserat. Iuvenis erat primo aetatis flore pubescens, quem inter equites tormentis Philotae conturbatos alienus terror abstulerat: desertum eum a comitibus, et haesitantem inter revertendi fugiendi-
5 que consilium, qui secuti erant occupaverunt. Is tum flere coepit et os suum converberare, maestus non suam vicem,
6 sed propter ipsum periclitantium fratrum. Moveratque iam regem quoque, non contionem modo, sed unus erat implacabilis frater, qui terribili vultu intuens eum, *Tum*, ait, *demens, lacrimare debueras, cum equo calcaria subderes, fratrum desertor et desertorum comes. Miser, quo et unde fugie-*
7 *bas? Effecisti, ut reus capitis accusatoris uterer verbis.* Ille peccasse se, sed gravius in fratres, quam in semetipsum, fatebatur. Tum vero neque lacrimis, neque acclamationibus, quibus studia sua multitudo profitetur, temperaverunt. Una vox erat pari emissa consensu, ut insontibus et fortibus viris parceret. Amici quoque, data misericordiae occasione,
8 consurgunt, flentesque regem deprecantur. Ille silentio facto, *Et ipse*, inquit, *Amyntam mea sententia fratresque eius absolvo. Vos autem, iuvenes, malo beneficii mei oblivisci, quam periculi vestri meminisse. Eadem fide redite in gratiam me-*
9 *cum, qua ipse vobiscum revertor. Nisi quae delata essent excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset. Sed satius est purgatos esse, quam suspectos. Cogitate, neminem absolvi posse, nisi qui dixerit causam. Tu, Amynta,*

§. 5. *vicem suam.* Cf. ad VII, 43. Sed Modius aliaeque edd. *non ob suam vicem* prorsus contra codices mss.

§. 6. *Iam regem quoque.* Extremam vocem addidi ex optimis Leid. Voss. 1. Bern. A Flor. ABCG.

§. 7. *parceret*] additur *rex* in Flor. DFGI Pal. 1.

§. 9. *valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset.* Aldi haec est emendatio, codd. enim omnes *superare potuisset.* Matth. Klockius in Raderi annotatione *suppurare* ex cod. Constantiensi mavult, metaphora minime apta. *Suspectari* ex Palmerii coniectura Modius edidit, sed displicet et hoc et Aldinum *suspecta esse* quod continuo idem vocabulum et diverso quidem sensu sequitur. Malim verbum quod metum significet nec longius absit a litterarum ductibus *superare.* Eam ob causam olim proposueram *sperari* significatu medio, nunc non satisfacit quoniam *valde sperari* nemo h. l. pro *valde timeri* possit accipere.

ignosce fratri tuo. Erit hoc simpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus. 1

7 Contione deinde dimissa, Polydamanta vocari iubet. Longe acceptissimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie stare solitus. Et quamquam conscientia fretus in regiam venerat, tamen, ut iussus est fratres suos exhibere, admodum iuvenes et regi ignotos ob aetatem, fiducia in sollicitudinem versa, trepidare coepit, saepius quae nocere possent, quam quibus se tueretur, reputans. Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos, cum exsanguem metu Polydamanta propius accedere iubet: submotisque omnibus, *Scelere*, inquit, *Parmenionis omnes pariter appetiti sumus, maxime ego ac tu, quos amicitiae specie fefellit. Ad quem persequendum puniendumque (vide quantum fidei tuae credam) te ministro uti statui. Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui. Proficiscere in Mediam, et ad praefectos meos litteras scriptas manu mea perfer. Velocitate opus est, qua celeritatem [famae] antecedas. Noctu pervenire illuc te volo, postero die, quae scripta erunt, exequi. Ad Parmenionem quoque epistolas feres, unam a me, alteram Philotae nomine scriptam. Signum anuli eius in mea potestate est. Si pater credet a filio impressum, cum te viderit, nihil metuet.*

§. 12. *quam quibus se tueretur*] Codd. Leid. Voss. 1 Bern. A *quam quibus eluderetur*, etiam Flor. EGH Bern. B *eluderetur*, sed admixtis aliis erroribus (quos vide in append.), Flor. ACDF Pal. 1. *eluderet*, Flor. B *quam quibus imperatum erat* (omissis quae in medio sunt). Ex his codicum varietatibus editores primi *quam quibus eluderetur*, Iunius *illuderetur* dederunt, sine sensu, Modius *elueret*, ubi requiritur *crimina* vel certe *ea*. Acidalius *fideret*, Raderus *niteretur*, Freinshemius *dilueret* coniecerunt. Sed vulgata facta est *eluderet*, quod ferri potest, metaphora ducta ab iis qui armis exercentur et ictus adversariorum declinant efficiuntque ut in irritum cadant. Sed tum crimen ex mente scriptoris haereret in homine. Itaque mihi quidem vera videtur Nic. Heinsii coniectura *quam quibus se tueretur*, ut verba *se tueretur* abierint vitiose in *eluderetur*, quae fidissima codicum mss. lectio est.

§. 13. *produxerant*] Flor. CEH Bern. B *perduxerant*.

§. 15. *qua celeritatem famae antecedas*. Vocabulum *famae* non est in libris meis, nec scio omnino in quibus inventum fuerit, nisi Voss. 1 Pal. 2. 3. ex silentio editorum auctores existimes, id quod nimium saepe fefellit. Verum adest iam in editione principe, nec simile certe verbum abesse posse puto. Flor. FGI Pal. 1 Voss. 2 *quam celeritate antecedas*. Tum *nocte* Flor. CEH Bern. B et *postera die* unus Flor. A.

§. 16. *Ad Parmenionem*] *Ad Parmeniona* edit. pr. et Mer. secundum Voss. 1 Bern. A Flor. FI. Mox pro *Philotae* Bern. A Flor. B *a philotae*.

si pater credet. Codd. partim *sic*

Polydamas, tanto liberatus metu, impensius etiam 8
quam exigebatur, promittit operam. Collaudatusque et promissis oneratus, deposita veste, quam habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi, vinculum fidei, obsides apud regem erant, dati comites. Per deserta etiam ob siccitatem loca, camelis undecima die, quo destinaverat, perveniunt. Et prius quam ipsius nuntiaretur adventus, rursus Polydamas vestem Macedonicam sumit, et in tabernaculum Cleandri (praetor hic regius erat) quarta vigilia pervenit. Redditis deinde litteris, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namque ceteri quoque, quibus litteras regis attulerat, ad eum venturi erant. Iam Parmenioni Polydamanta venisse nuntiaverunt. Qui dum laetatur adventu amici, simulque noscendi, quae rex ageret, avidus, (quippe longo intervallo nullam ab eo epistolam acceperat,) Polydamanta requiri iubet. Diversoria regionis illius magnos recessus habent amoenosque nemoribus manu consitis; ea praecipue regum satraparumque voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion medius

pater credit Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, partim *si pater credit* Flor. CDFGI, partim *sic pater filio* omissis interiectis Flor. EH Bern. B Voss. 2. Olim edebatur *si pater credit*, Iunius primus *sic pater credens*, Modius *si pater credet*. Ei nos adstipulamur. Notatur etiam inventum esse *credet* in Pal. 1.

Cap. 8, §. 17. *quam exigebatur promittit operam.* Intellige, quam exigebatur ab eo opera. Neque enim personaliter *exigi* h. l. dici probari potest, de qua constructione Gellius agit Noct. Att. XV, 14, et cuius unum exemplum extat in libris veterum, qui quidem aetatem tulerunt, Plauti in Trinummo II, 4, 26 *quas sponsione nuper tu exactus es*. Alterum tamen addit Forcellinus in lex. Iavoleni in leg. ult. Dig. de pactis dotalibus (XXIII, 3) *ne invitus exigeretur*.

§. 18. *undecima die*] Bern. A Flor. CDFGHI XI° *die*, i. e. *undecimo*, Bern. B XI.

§. 20. *Namque ceteri quoque quibus*] Adhuc vulgo editi *Namque ceteris quoque litteras regis attulerat. Iam ad eum venturi erant, cum Parmenioni — nuntiaverunt*, in qua scriptura complura, si accuratius examinaveris, displicebunt, imprimis quod *ceteri* sine explicatione universe dicuntur. Et codicum mss. varietates ostendunt corruptum esse locum. Nam sicut editur accurate quidem in nullo legitur, proxime accedunt Flor. EH Bern. B *nam ceteris quoque litteras*, aut Flor. C *nam quoque ceteris litteras*, sed Bern. A Flor. AB Leid. *ceteri*, Flor. A Leid. etiam *litteris*. Veram manum auctoris servarunt Flor. DFGI qui sic exhibent: *Namque ceteri quoque, quibus litteras regis attulerat, ad eum venturi erant. Iam Parmenioni — nuntiaverunt.* Unus Flor. F *nuntiaverant*. Idem Modius in aliquo libro suo invenit ac scribi voluit, tantum quod *nuntiatum erat* in fine de suo dedit. Sed plusquamperfectum minus aptum est, quandoquidem non sequitur quo referatur, *cum*. Ceterum participes caedis appellat ipse Curtius X, 1 pr.

inter duces, quibus erat imperatum litteris regis, ut occiderent. Agendae autem rei constituerant tempus, cum Parmenion a Polydamante litteras traditas legere coepisset. Polydamas procul veniens, ut a Parmenione conspectus est, 24
vultu laetitiae speciem praeferente, ad complectendum eum cucurrit; mutuaque gratulatione functi, Polydamas epistolam a rege scriptam ei tradidit. Parmenion vinculum epi- 25
stolae solvens, quidnam rex ageret? requirebat. Ille ex ipsis litteris cogniturum esse respondit. Quibus Parmenion 26
lectis, *Rex*, inquit, *expeditionem parat in Arachosios. Strenuum hominem et nunquam cessantem! Sed tempus saluti suae, tanta iam parta gloria, parcere.* Alteram deinde epistolam, 27
Philotae nomine scriptam laetus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit; ceteri exanimum quoque confodiunt.

9 Et armigeri, qui ad aditum nemoris astiterant, cognita 28
caede, cuius causa ignorabatur, in castra perveniunt, et tumultuoso nuntio milites concitant. Illi armati ad nemus, 29
in quo perpetrata caedes erat, coëunt: et, ni Polydamas ceterique eiusdem noxae participes dedantur, murum circumdatum nemori eversuros denuntiant, omniumque sanguine duci parentaturos. Cleander primores eorum intro- 30
mitti iubet, litterasque regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiae Parmenionis in regem, precesque, ut ipsum vindicarent, continebantur. Igitur cognita regis voluntate 31
non quidem indignatio, sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui, saltem ut corpus

§. 24. *conspectus est.* Vulgo *est* omittitur, sed exhibent omnes nostri. Deinde *a rege* pro *ab rege* iidem praeter Flor. HI.

§. 26. *sed tempus*] *sed tempus est* Flor. DFI, *sed tempus foret* Flor. C, *sed esse tempus* Flor. G.

§. 27. *Tum eius latus*] *Tum latus eius* Flor. DGI, *tum et latus eius* Flor. F. Mox *exanimum* pro vulg. *exanimem* scripsi secundum Bern. A Flor. AB (Snakenb. de suis libris silet). Sic X, 31, 12 est *exanimum corpus*, quamquam VIII, 40, 16. IX, 19, 8 sine varietate est *exanimis*. Cf. Drakenborch. ad Livium VII, 21, 5. *Ceteri quoque* Flor. CFH Bern. B.

§. 28. *ad aditum astiterant.* Bern. A Flor. AB *ad* omittunt, item Leid. Voss. 1.

§. 30. *primores* verum est, sed *priores* Bern. B Pal. 1 et Flor. praeter AB omnes, sed quod miror etiam Bern. A.

ipsius sepelire permitterent, precabantur. Diu id negatum est, Cleandri metu, ne offenderet regem. Pertinacius deinde precantibus, materiem consternationis subtrahendam ratus, capite deciso truncum humare permisit. Ad regem caput missum est.

Hic exitus Parmenionis fuit, militiae domique clari viri. Multa sine rege prospere, rex sine illo nihil magnae rei gesserat. Felicissimo regi, et omnia ad fortunae suae exigenti modum, satisfecit. LXX natus annos, iuvenis ducis et saepe etiam gregarii militis munia explevit: acer consilio, manu strenuus, carus principibus, vulgo militum acceptior. Haec impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectum fecerint, ambigi potest, quia Philotas ultimis cruciatibus victus verane dixerit, quae facta probari non poterant, an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis posset liquere, dubitatum est.

Alexander, quos libere mortem Parmenionis conque-10 stos esse compererat, separandos a cetero exercitu ratus, in unam cohortem secrevit, ducemque his Leonidam dedit, et ipsum Parmenioni quondam intima familiaritate coniunctum. Fere iidem erant, quos alioquin rex habuerat invisos. Nam cum experiri vellet militum animos, admonuit, qui litteras in Macedoniam ad suos scripsisset, his, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide, traderet. Simpliciter ad necessarios suos quisque scripserat, quae sentiebat: aliis

§. 32. *Diu id negatum*] Omittit *id* Flor. A. Tum Modius in membranis esse *Cleandro metuente* affirmat, cuius lectionis in reliquis nec vola nec vestigium comparet. Sed *ne offenderent* Flor. EFGH Bern. B Voss. 2 habent. Pro *precantibus* in Flor. DFGI *pergentibus* est, etiam *materiam* in Flor. DEFHI.

§. 33. *munia explevit.* Olim edebatur *munera explicuit* a Vindel. Merula, Aldo, Iunio, deinde Modius dedit *munia explicuit*, uti est in Flor. DFGI. Freinshemius denique *munia explevit*, quod ipse quoque verum existimo. Sed in nullo msto est, immo maior est varietas in ceteris codicibus, quos nondum appellavi, *militiam explicuit.* Verumtamen nihil muto, sunt enim etiam integerrimi codices Curtiani mendose scripti.

Cap. 10, §. 35. *libere mortem — conquestos.* Vocem *libere* libri msti omnes agnoscunt, eandem editi praeter Mod. omittunt, male hi quidem.

§. 36. *alioquin rex.* Edd. *alioqui* contra codices nostros quidem omnes.

admonuit. Praeter G Flor. omnes *admovit.* Item post omnes pro eo quod est *his quos* habent *si quos;* denique *perlaturus* vel *perlaturos* pro vulg. *perlaturis*, mendose omnia.

gravis erat, plerisque non ingrata militia. Ita et agentium 37
gratias et querentium litterae exceptae sunt. Et qui forte
taedium laboris per litteras erant questi, hanc seorsus co-
hortem a ceteris tendere ignominiae causa iubet, fortitudine
usurus in bello, libertatem linguae ab auribus credulis re-
moturus. Et consilium, temerarium forsitan, (quippe for-
tissimi iuvenes contumelia irritati erant,) sicut omnia alia
felicitas regis excepit. Nihil illis ad bella promptius fuit.
Incitabat virtutem et ignominiae demendae cupido, et quia 38
fortia facta in paucis latere non poterant.

11 His ita compositis, Alexander, Arianorum satrape con- III
stituto, iter pronuntiari iubet in Arimaspos, quos iam tunc
mutato nomine Euergetas appellabant, ex quo frigore vi-
ctusque penuria Cyri exercitum affectum, tectis et commea-
tibus iuverant. Quintus dies erat, ut in eam regionem 2
pervenerat. Cognoscit, Satibarzanem, qui ad Bessum defe-
cerat, cum equitum manu irrupisse rursus in Arios. Ita-
que Caranum et Erigyium cum Artabazo et Andronico et
sex milibus Graecorum peditum DC equites sequebantur.
Ipse LX diebus gentem Euergetarum ordinavit, magna pe- 3
cunia ob egregiam in Cyrum fidem donata.

Relicto deinde, qui iis praeesset, Amedine (scriba is 4

§. 37. *seorsus* codices meliores omnes multique ex deterioribus. Etiam supra v, 7, 6 sic correximus, quod vulgabatur *seorsum*.

contumelia] Secutus sum Flor. DFGI Voss. 1 edit. Modianam quod singulare numerum praetuli plurali *contumeliis*: una enim est ea quam descripsit.

§. 38. *fortia facta*. Nulla causa cur *fortiora facta* in editis appellentur; cum scripti omnes, si de nostris coniecturam facere licet, *fortia* habeant. Unus Bern. A relinquitur in quo videatur *fortiora* inventum esse.

Cap. 11, §. 1. *in Arimaspos*. Codd. omnes et ed. princeps *in armatos*. Sed suppetias fert Diodorus, qui in hoc historiae tenore τοὺς Ἀριμασποὺς appellat. Arrianus III, 27 Ἀριάσπας, sed illud nomen propius accedit ad corruptam codicum scripturam. *Agriaspas*, quod post Aldum vulgo editur, ex Arriani loco male olim scripto fluxit. (Traditur etiam in Voss. 2 esse *Armaspos*.) Quantopere in talibus rebus peccent librarii documentum est paulo post, ubi pro *Ariis* iam abunde notis, constanter *alios* educunt. Ceterum de Euergetarum nomine similia et Diodorus et Arrianus tradunt, hic etiam regionem definit dum Etymandrum amnem per eam fluere tradit IV, 6 extr.

§. 2. *Itaque Caranum — sequebantur*. Variat orationem auctor, cum aliud nihil voluerit nisi Caranum adversus Satibarzanem missum esse cum peditibus Graecis, addita etiam idonea equitum manu.

§. 4. *Amedine*. Sic fere manuscripti, nisi quod optimi adiecta littera m vitiose *Amedinem* praeferunt, editi mutatis syllabis Amenide. Ceterum *iis* Bern. A Flor. AB ceteri *his*.

Darei fuerat,) Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare pertinet, subegit. Ibi exercitus, qui sub Parmenione fuerat, occurrit. Sex milia Macedonum erant et CC nobiles et quinque milia Graecorum cum equitibus DC, haud dubie
5 robur omnium virium regis. Arachosiis datus Menon praetor, IV milibus peditum et DC equitibus in praesidium relictis.

Ipse rex nationem, ne finitimis quidem satis notam, 12 quippe nullo commercio volentem mutuos usus, cum exer-
6 citu intravit. Parapamisadae appellantur, agreste hominum genus, et inter barbaros maxime inconditum. Locorum
7 asperitas hominum quoque ingenia duraverat. Gelidissimum Septentrionis axem ex magna parte spectant; Bactrianis ad Occidentem coniuncti sunt; meridiana regio ad mare

ad Ponticum mare. Dubium esse nequit ex iis quae sequuntur, quin auctor Indicum intellexerit, etsi Ponticum mare c. 14 Pontum euxinum significat, et c. 18 Hyrcanium videtur significare. Neque enim quod Gedrosia etiam interest, impedit, quippe quae regio cum Arachosiis sub uno praefecto coniuncta et maximam partem deserta fuerit.

exercitus — occurrit] Vulgo *exercitum — occupavit*, sed codd. mss. ad unum omnes *exercitus* habent, nec tamen *fuerant* (si de numero plurali velis cogitare) nisi Flor. C et Bern. B. Praeterea *exercitum occupavit* prorsus a re alienum est, cum non verisimile sit tantum exercitum ulli casui aut itineris faciendi aut imperii accipiendi commissum esse. Itaque vel unius codicis Leidensis auctoritatem secutus nunc scripsi *exercitus — occurrit*. Quod traditur in Bong. secundo idem ad marg. eadem manu adscriptum esse, non notatur de nostro Bern. A, quamquam eosdem esse libros saepe comperi. At parum refert. Noli autem *occurrere* eam ob causam spernere, quod ille exercitus non directo exadversum Alex. venit, sed illum assecutus est praegredientem. Nam *occurrere* in re militari nihil aliud videtur esse quam nostrum zusammenstossen, quod etiam pro eo quod est *coniungi* s. *adiungi* dicitur, vide ex. gr. VII, 19 extr. Post autem *cum equitibus sexcentis* nostri omnes praeter Flor. GI. Vulgo *ducentis* (sed Mod. et ipse DC).

§. 5. *nolentem mutuos usus.* Non vult cum aliis gentibus commutare merces, earumque exportandarum et accipiendarum usu coniungi. Non male quidem Acidalius *colentem* maluit, sed non opus est. Gentis illius nomen in codd. terribiliter corruptum est: *paramedesidem* ex Bern. A Flor. AB, *peramede fides* ex Flor. CE, *parademisides* ex Flor. DFI, *parademesides* ex Flor. G, alia ludibria repraesentantur. Verum mox c. 18, 31 mons *Parapamisus* rectius legitur. Itaque Diodori scriptura *Παραπάμισον ὄρος* relicta, Arrianum secutus *Parapamisadae* cum Modio et Freinshemio non *Paropamisidae* scribendum censui. Apud Strabonem libri variant. Vide Tzschuck. ad Melam III, 7, 6 apud quem *Paropamisum* montem scripsit.

§. 7. *Gelidissimum Septentrionis.* Graecum scriptorem expressit, quem eundem Diodorus secutus est, c. 82 *ἡ δὲ τούτων χώρα κεῖται μὲν ὑπ' αὐτὰς τὰς ἄρκτους.* Nimirum milites Alexandri, cum septentrionem versus proficiscerentur ab Arachosiis, insolito frigore decepti iam sese in plagam terrae septentrionalem venisse opinabantur. Curtium quidem ipsum accurate Periz. in Vindiciis defendit adversus iniquam Clerici censuram.

ad occidentem. Flor. DFGI edit. Mod. *ab occidente*, quod eodem redit, cum

Indicum vergit. Tuguria latere primo struunt, et quia ste- 8
rilis est terra materia, in nudo etiam montis dorso, usque
ad summum aedificiorum fastigium eodem laterculo utuntur.
Ceterum structura latior ab imo paulatim incremento ope- 9
ris in artius cogitur, ad ultimum in carinae maxime mo-
dum coit. Ibi foramine relicto superne lumen admittunt.
Vites et arbores, si quae in tanto terrae rigore durare po- 10
tuerunt, obruunt: penitus hieme defossae latent: cum nix
discussa aperire humum coepit, coelo solique redduntur.
Ceterum adeo altae nives premunt terram, gelu et perpe- 11
tuo paene rigore constrictae, ut ne avium quidem feraeve
ullius vestigium extet. Obscura coeli verius umbra quam
lux, nocti similis premit terram, vix ut quae prope sunt
conspici possint.

13 In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitu- 12
tus exercitus, quicquid malorum tolerari potest pertulit,

Bactriani ipsis sint a regione coeli occidentali, quamquam magis ad septentrionem.

§. 8. *latere primo struunt*, i. e. fundamentum quoque faciunt ex latere, statim fundamento utuntur latere, non lapide. Quod Freinsh. se dicit emendasse *ab imo struunt*, e sequentibus huc intrusum non fero, alioquin valde probarem.

sterilis est terra materia. Editi omnes *materiae*, secundum vulgarem usum, sed manuscripti summo consensu ablativum *materia* et hoc loco et infra (c. 21) tuentur. His obniti durum est, praesertim cum similium verborum analogia utrumque casum patiatur. Vide Ruddim. Instit. Tom. 2 p. 111 edit. Lips. *Sterilis* quidem cum Ablativo coniunxit Lucretius II, 845 et Plin. paneg. c. 56 *quod punctum temporis aut beneficio sterile aut vacuum laude?*

§. 9. *superne lumen admittunt*] Vulgo legitur *lumen accipiunt ad medium*, sed olim etiam in plerisque codicibus mss. interpungebatur post *accipiunt*. Verum minus etiam ad ea, quae sequuntur, apta sunt ista *ad medium*, quoniam cum prioribus coniuncta abundant, cum sequentibus nocent sententiae. Sed si vere, quod sentio, expromendum, ne sic quidem, ut nunc interpungitur placet: immo cum *accipiunt* non legatur in Leid. Voss. 1 Pal. 1 Flor. ADI nec in Bern. A legatur nisi in margine, scribendum censeo *superne lumen admittunt*, nihil praeterea. Walchius in emend. Liv. p. 141 voces *ad medium* loco mutato ante *obruunt* collocari iubet, cuius translocationis rationem nescio an hortulanis non satis probaturus sit.

§. 10. *defossae latent.* Msti *defossa.*

nix discussa aperire humum coepit. Editur satis aperte *cum nive discussa aperiri humus coepit*, sed *aperire humum* in libris mstis est omnibus nec Ablativus *nive* legitur nisi in Flor. G et fortasse Pal. 2. 3, in ceteris verbum illud prorsus omittitur. Itaque in tantis librorum turbis nihil melius videbatur, quam sequi Flor. E, in quo uno *nix* exhibetur; non quod hoc solum verum putarem, sed quod proxime ad reliquam scripturam accedere videbatur. Nam quod Modius edidit *hiems discussa aperire humum coepit* nullius libri auctoritate nititur nec plus ad integritatem loci restituendam confert.

§. 11. *feraeve ullius vestigium.* Flor. A *feraeve vestigium ullius.* Pro *extet* (sic enim scribitur, non *exstet*) in nonnullis est *existat*, Flor. DFI.

inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimavit rigor insolitus nivis; multorum adussit pedes; plurimorum oculis praecipue perniciabilis fuit. Fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant: quae cum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum conniti non possent. A commilitonibus torpentes excitabantur: neque aliud remedium erat, quam ut ingredi cogerentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. Si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter refecti sunt. Sed tanta caligo erat, ut aedificia nulla alia res quam fumus ostenderet. Illi nunquam ante in terris suis advena viso, cum armatos repente conspicerent, exanimati metu, quicquid in tuguriis erat afferebant, ut corporibus ipsorum parceretur orantes. Rex agmen circumibat pedes, iacentes quosdam erigens, et alios, cum aegre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens. Nunc ad prima signa, nunc in medium, nunc in ultimo agmine, itineris multiplicato labore aderat. Tandem ad loca cultiora perventum est, commeatuque largo recreatus exercitus: simul et qui consequi non potuerant, in illa castra venerunt.

§. 13. *rigor insolitus nivis*] *insolitos nivis* uterque Bernensis et Leid. Voss. 1. 2. et edit. Modiana, sed nullus liber Florentinus. Nec insolitam nivem militibus Macedonicis fuisse recte annotavit contra Modium Acidalius.

conniti non possent. Contineri Leid. Voss. 1. 2 Bern. uterque Flor. ACEH, mendose.

§. 17. *circumibat.* Flor. ADEFGI *circuibat.*

nunc in medium — aderat. Non ausus sum ex uno libro Flor. C corrigere *in medio*, quamvis sequatur *nunc in ultimo agmine*, nec amplecti Flor. EH Bern. B Voss. 2 correctionem *nunc ad prima signa, nunc ad ultima agminis.* Nam *adesse* cum habeat quandam motus significationem, potest certe etiam cum in et accus. coniungi. Sic apud Livium XLV, 28 editur adhuc *iussis Amphipolim adesse* et apud Ovid. Met. II, 513 *quaeritis quare huc adsim*, i. e. huc venerim. Atque *adesse in senatum, adesse in iudicium* non raro legimus. Etiam simplex *esse* interdum sic construi solet: Cic. ad Att. XV, 4 *ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus.* Nec sustinuimus corrigere apud nostrum lib. III, 13 *in Ciliciam fore* aut eod. libro c. 24 *iamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi egregie se tuebantur.* Miscet ut solet diversa Cortius ad Sall. Cat. 19.

§. 18. *ad loca cultiora perventum.* Hoc verborum ordine omnes codd. nisi quod in paucis, Flor. CH Bern. B Voss. 2, *ulteriora* legitur. Modius breviloquentiae studiosus *loca* omisit. Post *qui consequi non potuerant* necessario de sententia Acidalii corrigendum fuit, quamquam codd. *poterant.*

14 Inde agmen processit ad Caucasum montem, cuius 1
dorsum Asiam perpetuo iugo dividit: hinc simul mare,
quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum et amnem Ara-
xem aliaque regionis Scythiae deserta spectat. Taurus, 2
secundae magnitudinis mons, committitur Caucaso, a Cap-
padocia se attollens Ciliciam praeterit, Armeniaeque monti-
bus iungitur. Sic inter se iuga velut serie cohaerentia per- 2
petuum habent dorsum, ex quo Asiae omnia fere flumina,
alia in Rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanium
et Ponticum decidunt. XVII dierum spatio Caucasum su- 2
peravit exercitus. Rupes in eo X in circuitu stadia com-
plectitur, quattuor in altitudinem excedit, in qua vinctum
Promethea fuisse antiquitas tradit. Condendae in radicibus 2
montis urbi sedes electa est. VII milibus seniorum Mace-
donum et praeterea militibus, quorum opera uti desisset,
permissum in novam urbem considere. Hanc quoque Ale-
xandriam incolae appellaverunt.

15 At Bessus, Alexandri celeritate perterritus, diis patriis IV.
sacrificio rite facto, sicut illis gentibus mos est, cum ami-
cis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultabat.
Graves mero suas vires extollere, hostium nunc temerita- 2

Cap. 14, §. 19. *ad Caucasum montem.* Intelligit summum iugum eiusdem regionis montanae, quam adhuc descripsit. Nam Taurus mons, quo nomine totum quasi dorsum Asiae appellabatur, *ubi se quoque exuperat*, Plinio teste nat. hist. V, 27, *Caucasi* nomine usurpatur.

amnem Araxem aliaque. *Araxen* edidit Snak. ut ait ex mss.; nostrorum non habent nisi Bern. A, tum quoque Flor. DI *Araxen et alia quae.*

§. 21. *Sic inter se iuga.* Omisimus quod additur vulgo *tot iuga*, auctoritatem secuti Leid. Bern. AB Flor. ABCEH Voss. 2.

alia in Hyrcanium. Vulgo *Hyrcanum*, vide ad lib. VI, 12, 18. Hic autem *Hyrcanium* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. BCG. Ceterum auctorem nostrum summae negligentiae in rebus geographicis vix quisquam absolvere poterit, qui etiam quod supra l. l. dixit, Caspium et Hyrcanium mare, nomine tantum diverso vocari, iam oblitus fuerit. Reliquorum errorum fons est quod et Tauri et Caucasi nominum appellatio a priore parte Asiae ad interiora longissimeque remota propagata erat.

§. 22. XVII *dierum*] *Decem et septem dier.* Flor. EGH Bern. B. Mox *in circuitu* scribitur in nostris omnibus pro vulg. *circumitu.* Tum miror in omnibus nostris et Snak. codicibus inventum esse *in quo*, ex uno Bern. A nihil a vulg. *in qua* diversum enotatur.

§. 23. *Alexandriam.* Voss. 1 Flor. B *Alexandream.* Haec igitur est Alex. ad Caucasum, quam C. Ritterus ostendit hodie esse Bamiyan in mediis montibus, et magis septentriones versus ab ipso iugo, Arrianus autem ad meridionales radices montium collocat, ut propius urbem, quae Kabul hodie vocatur, videatur fuisse.

3 tem, nunc paucitatem spernere incipiunt. Praecipue Bessus, ferox verbis, et parto per scelus regno superbus, ac vix potens mentis, dicere orditur, socordia Darei crevisse 4 hostium famam. Occurrisse enim in Ciliciae angustissimis faucibus, cum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturae situ invia, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis, ne fugae quidem, 5 nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. Sibi placere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut murum obiecturum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concur- 6 rerent. Venturos autem Chorasmios et Dahas Sacasque et Indos et ultra Tanaim amnem colentes Scythas, quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri eius non possent 7 Macedonis militis verticem aequare. Conclamant temulenti, unam hanc sententiam salubrem esse: et Bessus circumferri merum largius iubet, debellaturus super mensam Alexandrum.

8 Erat in eo convivio Cobares, natione Medus, sed ma- 16 gicae artis (si modo ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium) magis professione, quam scientia celeber, alioqui 9 moderatus et probus. Is cum praefatus esset, scire servo utilius esse parere dicto, quam afferre consilium, cum illos,

Cap. 15, §. 2. *spernere incipiunt — dicere orditur.* Restitui et *incipiunt* et *orditur*, quae verba Modius, quamquam in omnibus libris legebantur, hanc unam ob causam eiecit, quod sibi ab interprete addita viderentur. Imprimis alterum illud sibi displicere contendit, *spernere incipiunt.* Verum Modius omnem huiusmodi abundantiam odit, sicut etiam cap. 20 *corpora deficere coeperunt* reprehendit et *defecere* edidit. Cf. etiam ad v, 31, 8. Ponitur etiam *incipere* abundanter, sicut *coepisse:* Cic. in Verr. II, 17: *cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnent.*

§. 4. *naturae situ invia.* Veram esse hanc lectionem probant codicum optimorum varientes: Leid. Voss. 1 Bern. A *sit aut invia.* Flor. AC *natura sita ut invia*, B *naturae situ aut tot*, unde Flor. H Bern. B fecerunt *natura situ haud tot.* Omiserunt *invia* Flor. EFG. Edit. pr. *naturae situ invia aut tot*, Mer. *naturae situ munita aut tot.* Vulgata ab Aldino editore constituta est. Cf. VI, 12, 15.

§. 6. *ultra Tanaim amnem colentes Scythae.* Plin. nat. hist. VI, 19 *flumen Iaxarten, quod Scythae Silin vocant, Alexander militesque eius Tanaim putavere esse.* H. l. *Tanain* Snak. edit. et Bern. A.

Cap. 16, §. 8. *alioqui moderatus.* Hic dedi *alioqui*, quia sic codd. Flor. A Bern. A Leid. Voss. C et edd. Ald. Iun. Modiana. Ceterum homo, qui a Curtio *Cobares* appellatur, apud Diodorum est *Bagodaras.*

§. 9. *servo utilius esse.* Adieci ultimam vocem ex Bern. A Flor. ABCDFGI aliis apud Snakenb., qui tamen nescio quam vere *esse utilius* alio ordine lau-

qui pareant, idem quod ceteros maneat, qui vero suadeant, proprium sibi periculum *** poculum etiam, quod habebat in manu, tradidit. Quo accepto Cobares, *Natura*, inquit, *mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. Turbida sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Obstat metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quae excogitaveris, amor. Nam in te superbia non cadit. Expertus es, unumquemque, quod ipse reppererit, aut solum aut optimum ducere. Magnum onus sustines capite, regum insigne. Hoc aut moderate perferendum est, aut, quod abominor, in te ruet. Consilio, non impetu, opus est.* Adiicit deinde, quod apud Bactrianos vulgo usurpabant, canem timidum vehementius latrare, quam mordere, altissima quaeque flumina minimo sono labi. Quae inserui, ut qualiscunque inter barbaros potuit esse prudentia, traderetur. His audientium expectationem suspenderat.

dat. Sed Flor. EH Bern. B *scire se servo utilius parere*, Flor. F *scire se servo utilius esse*. Hinc profectus Iunius *scire se* omisso proximo verbo *servo* edidit. Verum de omisso accusativo pronominis vide ad VI, 42, 20.

proprium sibi periculum. Addidi *sibi* postulante codicum consensu. Nec video quid impediat; quoniam *sibi proprium* artius coniungendum: eine ihnen eigenthümliche Gefahr.

poculum etiam, quod habebat — tradidit. *Etiam* restitui ex edd. primis secundum auctoritatem plurimorum codicum mss. et inter eos Leid. Voss. 1 Flor. B. Iunius primus dedit *ei*, nec hoc sine causa, cum sit in Bern. A Flor. AG. Modius illum secutus annotat in Sigebergensi suo esse *ei et iam*, cum ex Pal. 1 *etiam ei* afferatur. Sed hoc perinde habendum. Maius est quod constructio non constat sibi, nam cum praecesserit *Is cum praefatus esset*, necessario sequi debet quid deinde dixerit: v. c. a Besso petivit ut permitteret ei dicere quae in animo haberet. Deinde qui *poculum tradidit* sine dubio non est Cobares, sed Bessus, ut sic fere explere debeas: Ille dicere eum iussit. Quae cum satis liquere videantur, complura verba excidisse puto cum Mützellio, quo fortasse pertinet quod in Pal. 1 lacuna maior traditur esse quam quae addito verbo quod unum deest, *poculum* expleatur.

§. 11. *obstat metus, aliis cupiditas*. Recte Freinsh. veterem lectionem hanc restituit, cum Modius edidisset *aliis metus*. Nam omitti in altera parte has divisionis indicandae voculas accurate docent ne hoc quidem loco omisso Gronovius et Drakenborchius ad Liv. III, 37 extr. Tum *quae excogitaveris* prorsus ex usu sermonis pro vulg. *cogitaveris* Leid. Voss. 1. 2 Pal. 1 nostrique Bern. AB Flor. ABCEH.

unumquemque quod ipse reppererit. Sic recte editur iam dudum, nam Aldus *unumquemque*, Iunius *repererit* primus dedit, sed codd. *utramque* vel *utrumque* et *repereris*. Item quod sequitur *regum insigne* nescio an Aldus recte correxerit ut esset *regium insigne*. Sed nolui tamen codicum omnium praeter Flor. G lectionem relinquere, cum varietur etiam c. 22, ubi *regni insigne* est.

§. 14. *His aud. expectationem suspenderat*. Edd. principes, Vindelini et Merulae, sic hunc locum exhibent, ut est in codd. fere omnibus, Bernensis certe uterque et Flor. praeter G, omnes sic

n consilium aperit, utilius Besso, quam gratius. *In ve-
lo*. inquit, *regiae tuae velocissimus consistit rex. Ante
agmen, quam tu mensam istam movebis. Nunc ab Tanai
citum accerses, et armis flumina oppones. Scilicet qua tu
turus es, hostis sequi non potest! Iter utrique commune
victori tutius. Licet strenuum metum putes esse, velocior
en spes est. Quin validioris occupas gratiam, dedisque te?
nque cesserit, meliorem fortunam deditus quam hostis habi-
s. Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. Inci-
forsitan iustus esse rex, cum ipse fecerit, qui tibi et dare
st regnum et eripere. Consilium habes fidele, quod diutius
ui supervacuum est. Nobilis equus umbra quoque virgae
tur; ignavus ne calcari quidem concitari potest.* Bessus,
ngenio et multo mero ferox, adeo exarsit, ut vix ab
cis, quo minus occideret eum, (nam strinxerat quoque
iacem,) contineretur. Certe convivio prosiluit haudqua-

nt: *in his audientium expectationem
pem dederat*, tantum quod *audien-*
in Bern. B omittitur, et pro *spem*
ri errore *spetie* in Flor. C scribi-
Hoc ita erat emendandum ut Pal-
s videtur voluisse *expectationem
nderat*, non, ut Modius edidit,
nderat expectationem, nam *sui spem*
at corrupte exaratum erat pro
nderat, ordo verborum constat.
Aldus longe artificiosius *audientium
nsam dederat expectationem sui*,
fortasse libro msto simili Floren-
, in quo est *expectationem suspen-*
(hoc quidem verbum ex correctione)
at. Eaque lectio quamquam omni-
umeris vitiosa, facta est vulgaris.
satis erit indicasse codicum scriptu-
Quod Snakenb. tradit in suis tribus
esse *audientium expectatione spem
at*, penes ipsum fides esto, mihi
fit probabile illos libros a nostris
pare. Alibi Curtius lib. IX, 29, 20
omnium animos expectatione suspen-
, sed quidni liceat variata oratione
expectationem suspendere? Cicero
m p. Clu. 3 *ne diutius oratione mea
nsa expectatio vestra teneatur.*
ro eo quod in libris est *in his* scri-
m putavi solum *his*. Freinshemius
at *ut his*.

consistit rex. Discrepant codd. mss. *Consistat* Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1, *Consistet* Pal. 1 Flor. DEFGI, *Constitit* Flor. CH Bern. B, *Constiterit* Voss. 2, *Consistit* Flor. B. Quod in edd. veteribus est *constat* in nullo cod. ms. inventum est, nec potest placere. Itaque Modius edidit *consistit*, eaque vulgata facta est. Aut hanc aut *constitit* probo. Cf. IX, 12, 8 *paene in ultimo mundi fine consistimus.*

§. 15. *Nunc — accerses et — oppones. Accersis* et *opponis* Flor. G, *accersis* etiam Flor. DFI, non male praesentia, sed iidem tamen libri verba *et armis* omittunt. Hoc unum ex eodem fonte in edit. suam transduxit Modius, quod minime vellem. Post idem Mod. *est spes*, sicut legitur in Flor. DFGI.

§. 19. *Convivio prosiluit.* Edebatur adhuc *e convivio prosilivit.* De obsoleta forma *salivi*, *prosilivi* confecta iam res videtur esse, cf. Drakenborch. ad Liv. II, 10, 11. Burmann. ad Suet. Iul. 64 atque h. l. Aldus et Iunius ediderant *prosiluit* secundum Leid. Voss. 1 Bern. utrumque Flor. DEFGH. Miror tamen *prosilivit* esse in Flor. AB, quae causa fuit cur Modius sic scriberet. Tum consensu librorum mss. omnium sustuli praepositionem, quae additur in editis,

quam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus, ad Alexandrum transfugit.

17 VIII milia Bactrianorum habebat armata Bessus, quae, 20
quamdiu propter coeli intemperiem Indiam potius Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt: postquam adventare Alexandrum compertum est, in suos quisque vicos dilapsi, Bessum reliquerunt. Ille cum clien- 21
tium manu, qui non mutaverant fidem, Oxo amne superato, exustisque navigiis, quibus transierat, ne iisdem hostis uteretur, novas copias in Sogdianis contrahebat.

Alexander Caucasum quidem, ut supra dictum est, 22
transierat, sed inopia frumenti prope ad famem ventum erat. Suco ex sesama expresso haud secus quam oleo ar- 23
tus perungebant. Sed huius suci ducenis quadragenis denariis amphorae singulae, mellis denariis trecenis nonagenis, trecenis vini aestimabantur; tritici nihil aut admodum exiguum reperiebatur. Siros vocabant barbari, quos ita sol- 24

e convivio, cum solus ablativus apud poëtas et eos prosae orationis scriptores qui poëtarum dictionem modeste sequuntur, non infrequens sit. Cf. ad IX, 32, 14.

Cap. 17, §. 21. *Oxo amne.* Optimi quique codd. *mox amne*, quippe ab indoctis exarati.

§. 22. *inopia frumenti prope ad famem.* Codd. plerique *quoque prope ad f.* Flor. C *quippe ad famem*, Flor. E Bern. B *inop. frum. ad famem quoque*, Flor. H *inop. frumenti ad famem.* Nimirum *quoque* ortum videtur ex *prope* mendose scripto, ac deinde varie habitum. Ceterum quod in Flor. (Heins.) *ad* non repertum esse traditur, Drakenborchius ad Liv. VI, 42 §. 10 cupide amplexus est ut *prope famem* h. l. ab auctore scriptum doceret. Sed nec Snak. nec ego in ceteris bonis libris illud invenimus neque potest altera dicendi ratio *prope ad* minus elegans iudicari. Cf. lib. X, 20, 12 *iamque prope ad seditionem pervenerant.*

§. 23. *ex sesama expresso.* Feminino genere utitur etiam Plinius natur. hist. pluribus locis. Codd. nostri variant *sisama*, *sisena*, *sisana*, *siena*, *sizania*, sed Flor. AG Bern. A *sesema*, omnes autem terminant littera *a*, ut mirer in Leid. Voss. 1 inventum esse *sesemo.* A manu sec. correctum est in Bern. A *sisama* (non ut factum traditur in codice Petri Danielis *sesamo*). Graecis herba est σησάμη, fructus σήσαμον.

mellis den. trecenis nonagenis cet. Priora verbis litterisque explicata recte scripta sunt in codicibus, haec posteriora in omnibus codicibus praeter Flor. B videntur esse numeris expressa, eamque ob causam nonnihil turbata sunt. Nimirum pro eo quod est CCCXC, CCC (i. e. trecenis nonagenis, trecenis vini) omissa interpunctione cum XCCCC in uniam summam contraherentur, in deterioribus libris extitit CCC *et* CCCC vini, nota X transeunte in coniunctionem *et*. In Bern. A exciderant verba *amphorae singulae*, *mellis denariis* propter repetitum verbum *denariis.* Sed tamen omnia iam a veteribus editoribus recte ordinata sunt.

§. 24. *Siros vocabant*] *Syros* Leid. Voss. 1 Bern. AB, sed Bern. B cum Flor. H *Syros ne vocabant*, item Flor. E *Syrios ne vocabant*, quod quo pertinere

ter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt, invenire non ssint: in his conditae fruges erant. In quarum penuria lites fluviatili pisce et herbis sustinebantur. Iamque haec a alimenta defecerant; cum iumenta, quibus onera porant, caedere iussi sunt: horum carne, dum in Bactrias perventum, traxere vitam.

Bactrianae terrae multiplex et varia natura est. Alibi 18 ılta arbor et vitis largos mitesque fructus alit: solum ıgue crebri fontes rigant; quae mitiora sunt frumento nseruntur, cetera armentorum pabulo cedunt. Magnam inde partem eiusdem terrae steriles harenae tenent: squala sicci[illegible]e regio non hominem, non frugem alit: cum ro venti a Pontico mari spirant, quicquid sabuli in cams iacet converrunt. Quod ubi cumulatum est, magnorum llium procul species est, omniaque pristini itineris vestia intereunt. Itaque qui transeunt campos navigantium odo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter diriınt, et propemodum clarior est noctis umbra, quam lux. rgo interdiu invia est regio, quia nec vestigium, quod seuantur, inveniunt, et nitor siderum caligine absconditur. eterum si quos ille ventus, qui a mari exoritur, deprendit, harena obruit. Sed qua mitior terra est, ingens ominum equorumque multitudo gignitur. Itaque Bactriani

cam nescio. Graecis *σιροὶ* sive *σειροί*, anaria subterranea, in Thracia innoerant, quibus triticum quinquaginta nos durare praedicabatur. Vide Plin. t. hist. XVIII, 30 sect. 73.

in his] Sic et alii codd. et omnes stri praeter Flor. B in quo scribitur is. Vulgo *in iis*. Mox *fluviali pisce* or. EGH Bern. B.

§. 25. *traxere vitam*] Flor. CG *exxere vitam; trahere* Flor. H Bern. B, *trahere* Voss. 2.

Cap. 18, §. 27. *a Pontico mari*] Debat *a Caspio mari* dicere. Sed haec a est duorum marium confusio de qua ximus ad VI, 12, 15.

nitor siderum cet. Illustratur hoc eo, nod c. 20 legitur: *caligo deinde, immoco terrae fervore excitata, lucem tegit. Sidera* igitur plur. numero dicitur unus sol.

§. 29. *ergo interdiu.* Codd. Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. AEH *ergo in die*, mendose. Item mox Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. EH *quia qui nec*, *διττογραφία.*

§. 30. *Itaque Bactriani equites* cet. i. e. Bactriani ad triginta milia equitum in bellum mittere soliti erant, haec enim fere ratio est, qua barbararum gentium vires solemus aestimare. Sed nunc editores fere in ea sunt sententia, ut totum hoc colon ab inepto annotatore hic insertum putent, significant etiam pertinere ad catalogum copiarum, quibus Dareus adversus Alexandrum usus fuerit.. Verum tale quid supra non legitur: ad Issum Bactriani nulli fuerant, ad Arbela equitum Bactrianorum numerus erat octo

equites xxx milia expleverant. Ipsa Bactra, regionis eius 31
caput, sita sunt sub monte Parapamiso. Bactrus amnis
praeterit moenia. Is urbi et regioni dedit nomen.

19 Hic regi stativa habenti nuntiatur ex Graecia Pelo- 32
ponnesiorum Laconumque defectio. Nondum enim victi
erant, cum proficiscerentur tumultus eius principia nuntia-
turi. Et alius praesens terror affertur, Scythas, qui ultra
Tanaim amnem colunt, adventare, Besso ferentes opem.
Eodem tempore, quae in gente Ariorum Caranus et Eri-
gyius gesserant, perferuntur. Commissum erat proelium 33
inter Macedones Ariosque. Transfuga Satibarzanes barba-
ris praeerat: qui cum pugnam segnem utrimque aequis vi-
ribus stare vidisset, in primos ordines adequitavit, demptа-
que galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis viritim dimi-
care vellet, provocavit ad pugnam, nudum se caput in
certamine habiturum. Non tulit ferociam barbari ducis 34
Erigyius, gravis quidem aetate, sed et animi et corporis
robore nulli iuvenum postferendus. Is galea dempta cani-

milium. Itaque quamvis non negem habere haec verba aliquid offensionis, nondum tamen, cum in omnibus extent codicibus, adduci possum ut deleam.

§. 31. *Parapamiso. Bactrus*] Edit. pr. *Parapanis. Oboctrus*, sicut legitur in Bern. A Flor. DEI Pal. 1, Aldus dedit *Parapanis. Bactrus*, quod est in Flor. FG. Iunius scripsit *Parapamiso. Bactrus* nec ab eo Modius discessit nisi quod *Parapamisso* duplici *s* dedit, sicuti legitur in Flor. ABC. Supersunt de nostris Flor. H Bern. B qui exhibent *Parapaniso. Bactrus*. Snakenb. in Leid. Voss. 1. 2 tradit legi *Parapaniso. Boctrus*, ipse autem edidit *Paropamisso*. Vide supra ad c. 12.

Cap. 19, §. 32. *Peloponnesiorum Laconumque.* Edebatur vulgo *Peloponnensium*, sed codices Leid. Voss. 1 Flor. ABCEF Bern. AB *Peloponnensiorum*, partim mendose, partim tamen ut quid verum sit intelligatur. Et hoc correctione antiquae manus extat in cod. H. Vide ad III, 24.

ferentes opem] Edit. pr. Ald. *ferentis*, quod Freinsh. recoxit, quasi antiquitatem istam restituere posset. Sed verum est eam accusativi terminationem superesse in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB.

§. 33. *Transfuga Satibarzanes*] *transfugas. Artibazes* Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. AB, *transfugas. Artibates* Flor. C. Reliqui *Transfuga*, sed *Artibates* Flor. H Bern. B Voss. 2. *Nabarzanes*, ut supra, constanter Flor. G.

barbari ducis Erigyius] Codices plerique *ferociam barbari dux illius exercitus;* corrupti codd. Flor. DFI *superbiam barbari dux exercitus illius*, item corrupti Flor. EH Bern. B *ferociam illius barbari dux exercitus.* Redeundum est ad illorum integriorum lectionem, in qua apparet quod est *exercitus* nihil aliud esse quam nomen *Erigyius*, non igitur esse cum Modio scribendum *dux exercitus Erigyius:* neque erat solus dux Macedonum *Erigyius*. Equidem puto olim fuisse *ducis* ex quo et *dux* et coniunctum cum inexplicabili nomine factum sit *illius exercitus.*

nulli iuv. postferendus] Bern. B. Voss. 2 *nulli non iuv. praeferendus.* Ex Flor. CEH tantum *preferendus* notatur.

tiem ostentans, *Venit*, inquit, *dies, quo aut victoria, aut morte honestissima, quales amicos et milites Alexander habeat, ostendam.* Nec plura elocutus equum in hostem egit. Crederes imperatum, ut acies utraeque tela cohiberent. Protinus certe recesserunt, dato libero spatio, intenti in eventum, non duorum modo, sed etiam suae sortis, quippe alienum discrimen secuturi. Prior barbarus emisit hastam, quam Erigyius modica capitis declinatione vitavit, atque ipse infestam sarissam, equo calcaribus concito, in medio barbari gutture ita fixit, ut per cervicem emineret. Praecipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat. Sed ille extractam e vulnere hastam rursus in os dirigit. Satibarzanes manu complexus, quo maturius interiret, ictum hostis adiuvit. Et barbari, duce amisso, quem magis necessitate quam sponte secuti erant, tunc haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyio tradunt. Rex his quidem laetus, de Spartanis haudquaquam securus, magno tamen animo defectum eorum tulit, dicens, non ante ausos consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiae pervenisse cognovissent. Ipse Bessum persequens copias movit: cui Erigyius barbari caput, opimum belli decus, praeferens occurrit.

§. 35. *acies utraeque.* Unus Flor. E *acies utraque.* Cf. ad Cic. in Verr. III, 60 extr. quae annotavimus.

non duorum modo. Maluit Freinshemius *ducum*, non male, sed codd. non adiuvant.

§. 36. *atque ipse.* Vulgo *at*, sed nos codicum nostrorum consensum sequendum nobis putavimus, a quo tamen abest Bern. A (sicut Leid. non appellatur cum Voss. 1. 2 a Snakenb.). Etiam Flor. E *At infestam.*

§. 37. *extractam e vulnere.* Snakenb. in mstis esse tradit *e vultu.* Non ego hoc inveni, sed in quinque Flor. ABCEH et Bern. B *e vulnere*, in ceteris et vulgo *ex vulnere.* Tum pro eo quod verum est *in os* Flor. H *in hostem*, Bern. B *in omnes.*

Satibarzanes manu complexus. Addunt editi etiam Mod. *hastam*, sed eam vocem, cum omnes nostri et Snakenb. scripti ignorent, rectius subintelligendam putamus.

§. 39. *defectum eorum.* Sic ediderunt principes et Aldus sed Iunius ceterique editores incertam opinor Latinitatem veriti *defectionem* correxerunt. Verum si codicibus fides habenda est, voci hoc ipso loco aliquam auctoritatem conciliabimus. Certe si *concursio* et *concursus*, *consensio* et *consensus* eadem significatione dicuntur, quid impedit quominus etiam *defectio* et *defectus?*

cognovissent] Bern. A *cognossent*, quo pertinent etiam Leid. Voss. 1 Flor. H Bern. B *cognoscent*, Flor. E *cognoscerent*, Voss. 2 *cognosserent.* Itaque cum Modio *cognossent* recepissem, ni reliquorum Florentinorum auctoritas minime spernenda obstitisset.

§. 40. *barbari caput opimum belli decus*] Editur vulgo post Modium *spolia barbari ceu opimum belli decus*, atque invenitur sic prorsus in Flor. DFGI, cum

20 Igitur Bactrianorum regione Artabazo tradita, sarcinas v.
et impedimenta ibi cum praesidio reliquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Aquarum, ut ante dictum est, 2
penuria prius desperatione, quam desiderio bibendi sitim accendit. Per CCCC stadia ne modicus quidem humor existit. Harenas vapor aestivi solis accendit: quae ubi flagrare 3
coeperunt, haud secus quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde, immodico terrae fervore excitata, 4
lucem tegit: camporumque non alia quam vasti et profundi aequoris species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur, 5
quia rore et matutino frigore corpora levabantur. Ceterum cum ipsa luce aestus oritur, omnemque naturalem absorbet humorem siccitas; ora visceraque penitus uruntur. Itaque 6
primum animi, deinde corpora deficere coeperunt. Pigebat

in edit. pr. fuisset *spolia barbarici seu* et iam Ald. Iun. *spolia barbarica ceu* edidissent. Verum aliud quid latere videtur in integerrimorum codicum Bern. A Flor. ABC lectione *Eriguus* (sic enim fere semper scribitur) *barbarici optimum belli decus*, ubi plane deest vocabulum *spolia*, sicuti deest in hac lectione Flor. EH Bern. B *Eriguus optimum barbarici belli decus preferens*. Deesse item in Leid. Voss. 1 certissime credo, sed Snakenburgius, cum desiderari illud verbum in Voss. 2 Dan. Borg. notaret, de ceteris codicibus nihil scripsit. Quidquid est, videtur mihi lectio illa eo potius spectare, ut *barbari caput* ab Erigyio praelatum fuerit, non *spolia*. Sic III, 27 *opimum decus caeso rege expetens*. Nec hercule istud *ceu* placet, a prosa oratione Ciceronis, Caesaris, Livii alienum, quodque alibi apud Curtium frustra quaesiveris. Quod Modius annotat in membranis Sigeberg. esse *prae se ferens*, non *praeferens*, fides penes ipsum esto, equidem nihil simile vidi nisi quod Flor. H habet *ferens*.

Cap. 20, §. 1. *reliquit*. Bern. A Voss. 1 et Paris. tres *relinquit*, item Mod. editio et ex ea insequentium quaedam. Sed cum nihil e Flor. enotetur, videtur praesens tempus ad ea quae sequuntur accommodatum esse a librario.

loca deserta Sogdianorum. „Libri ante Glareanum editi *Susitanorum* obscuro gentis nomine. Sed haec ante traiectum Oxi facta, qui terminus Sogdianae est Straboni et Ptolemaeo. Aut ergo aliud nomen (pro *Sogdianis*) substituendum aut cis Oxum etiam pars Sogdianae reducenda, uti Dionysius Periegeta vs. 746 de eadem regione: Ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος." Sic Cellarius. Libri msti (ad quos per hoc vetus caput v. Parisini bibl. reg. nr. 5716. 5717. 5718 sive ABC accedunt) omnes *Susitanorum* vel *Susitanarum*, etiam Flor. A, quamquam sic ut nunc editur Fl. Heinsii habere apud Snak. notatur. Sed vere tamen correctum puto, quoniam etiam postea c. 22 similiter in nomine Sogdianorum peccatur. Videtur igitur Oxus non per omnem cursum suum Bactrianam et Sogdianam provincias separasse.

§. 2. *prius desperatione — sitim accendit*. Acute dictum nec tamen sine veritate. Aliquanto enim ante, cum campos steriles et arenosos viderent, sibi persuaserant, nullam ibi aquam fore, eaque res, ut fere solet in hominibus, vehementius sitim accendebat quam ipsum desiderium bibendi.

§. 6. *deficere coeperunt*. Mod. *defecere*, quod in scriptis *defecere coeperunt*

et consistere et progredi. Pauci a peritis regionis admoniti praepararant aquam. Haec paulisper repressit sitim: deinde crescente aestu rursus desiderium humoris accensum est. Ergo quicquid vini oleique erat oribus ingerebatur, tantaque dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur. Graves deinde avide hausto humore non sustinere arma, non ingredi poterant; et feliciores videbantur, quos aqua defecerat, cum ipsi sine modo infusam vomitu cogerentur egerere. Anxium regem tantis malis circumfusi amici, ut meminisset sui, orabant; animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus esse: cum ex his, qui praecesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, et aegre pati sitim non ignorabant, occurrerent. Qui cum in regem incidissent, alter ex eis, utre resoluto, vas, quod simul ferebat, implet, porrigens regi. Ille accipit; percontatus quibus aquam portarent, filiis ferre cognoscit. Tunc poculo pleno, sicut oblatum est, reddito, *Nec solus,* inquit, *bibere sustineo, nec tam exiguum dividere omnibus pos-*

legeretur alterum verbum a librariis additum existimans. Et in Dan. omitti notatur a Freinsh. Mihi tale nihil compertum est, sed Modii ineptam breviloquentiae hoc in genere cupiditatem abunde novi. Cf. ad VII, 15, 2.

§. 7. *praepararant aquam.* Recte opinor Hadr. Iunium sic correxisse eumque reliquos esse secutos, cum in edd. et codicibus longe plurimis fuisset *praepararunt:* solus Voss. 1, si fides silenti Snakenburgio, *praepararant.* Sed *praeparare* Flor. DFI, *praepararet* Pal. 1, *praepararent* Flor. C, *praeparant* Flor. E. Vides quam incertae soleant esse terminationes verborum. Sed quod sequitur vulgo *rursum*, in codicibus omnibus est *rursus.*

oribus ingerebatur. Vulgo editi et scripti omnes *hominibus ingerebatur*, sed habet illa vox aliquid molestum, ut Acidalius et Heinsius abesse maluerint. Itaque *oribus* emendavi quod ea verba in casibus obliquis commutari solent, hoc facto quasi transitu, *oribus*, *omnibus*, *hominibus.*

§. 9. *animi sui magnitudinem. Sui* h. l. positum pro *ipsius*, nam si praecepta grammatices premere velis, *sui* ad eos qui tum dicebant amicos referas, cum ad Alexandrum pertineat. Nam quod Modius voluit abiecta voce *sui*, quae est post *meminisse*, reliqua ex illo verbo *meminisse* pendere, illud quidem pronomen non abest, nisi a deterioribus Flor. DF et ne hi quidem simpliciter sic exhibent, sed *ut meminisse orabant*, ut facile suspiceris excidisse *sui* propter similem syllabam quae praegressa esset. Flor. I *amici meminisse orabant*, Flor. E *ut ne meminisset orab.*, Flor. G *ut sui meminisset.*

§. 10. *cum ex his*] Vulgo *ex iis*, item mox *alter ex iis.* Verum altero loco nunc *ex eis* dedi, quia sic est in Flor. DFI et praecipue in Flor. G, in Flor. ABC autem *ex iis*, cum alibi fere omnes in *his* concordare soleant. Sed male *tum* Flor. DEHI Bern. B: coniungenda enim sunt *amici orabant* i. e. occupati erant circa regem, *cum occurrunt*, prorsus graphice.

sum. Vos currite, et liberis vestris, quod propter illos attulistis, date.

21 Tandem ad flumen Oxum ipse pervenit prima fere 13
vespera. Sed exercitus magna pars non potuerat consequi:
in edito monte ignes iubet fieri, ut ii, qui aegre sequebantur, haud procul castris ipsos abesse cognoscerent. Eos 14
autem, qui primi agminis erant, mature cibo ac potione firmatos, implere alios utres, alios vasa, quibuscunque aqua portari posset, iussit, ac suis opem ferre. Sed qui intemperantius 15
hauserunt, intercluso spiritu extincti sunt: multoque maior horum numerus fuit, quam ullo amiserat proelio. At ille 16
thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus aut potu, qua veniebat exercitus, constitit: nec ante ad curandum corpus recessit, quam praeterierat agmen: totamque eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigiliis egit. Nec 17
postero die laetior erat, quia nec navigia habebat, nec pons erigi poterat, circum amnem nudo solo, et materia maxime

§. 13. *ut ii qui*] Redii in hac edit. ad vulg. *ii*, quia sic Flor. B et Flor. AC Leid. *hii*. Reliqui tamen *hi*.

haud procul castris ipsos abesse. Ad grammaticam rationem verius Iunius, Modius, Freinshemius et recentiores omnes *se abesse* edunt, non ad codicum fidem, in quibus *se* quidem nusquam invenitur, in plerisque *ipsos*, in paucis Flor. B Par. B *eos*. Atque hoc propagatum erat per principes editiones aperte falsum; *ipsos* autem pro *se* non admodum raro dicitur, ex. gr. VII, 27, 13. 33, 8.

§. 14. *quibuscunque aqua portari posset.* Vulgo editur *possit portari*, sed verborum ordinem quem nos eundem codd. exhibent, *possit* autem in plurimis est, frequenti errore in terminationibus. Sed invenitur tamen etiam *posset* in Voss. 1 Flor. FG.

§. 15. *qui intemp. hauserunt*] Vulgo *hauserant* et libri mss. propemodum omnes. Sed cum referatur ad eos, qui siti premebantur, grammatice vix aliud ferri potest quam tempus historicum, et legitur *hauserunt* in Flor. GE Bern. B.

§. 16. *quam praeterierat agmen.* Editur vulgo ad speciem non male *qui agmen sequebantur*, sed si codices consulueris, non immerito hunc locum interpolatum videri intelligas. Nam Bern. A Flor. A Voss. 1 Parisini tres omittunt verbum *sequebantur*, Leid. Voss. 2 Flor. G pro eo habent *ducebant*, utrique tamen servato plurali numero ac pronomine. Verum alii Flor. CEH Bern. B etiam hoc omisso sic exhibent ut nos edidimus. Nec possum hoc non unice verum existimare, etsi unde in integerrimos illos suspensum istud *qui* venerit non divino. Fortasse initio nihil aliud nisi mendose scriptum erat *praeterierant*, quod deinde varie completum est. Nec placet sane ipsum dicendi genus *qui agmen sequebantur*, pro quo expectaveram qui agmen claudebant; sequuntur enim agmen, qui non sunt ipsi agminis pars, lixae, calones, id genus homines, quos a rege expectatos quis poterit credere?

§. 17. *nudo solo et materia sterili.* Vox *solo* abest a multis bonisque codd. Flor. ACEF Voss. 1. 2 Bern. AB tribusque Parisinis, sed extat in Leid. et Flor. B. Flor. DI habent *circumquaque solo nudo*, Flor. G et membranae quas laudat Modius *circumquaque amne nudo*. Tuemur igitur hoc loco lectionem edi-

sterili. Consilium igitur, quod unum necessitas subiecerat,
18 init. Utres quamplurimos stramentis refertos dividit. His incubantes transnavere amnem: quique primi transierant in statione erant, dum traiicerent ceteri. Hoc modo sexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum exposuit.
9 Iamque ad persequendum Bessum statuerat progredi, 22 cum ea, quae in Sogdianis erant, cognoscit. Spitamenes erat inter omnes amicos praecipuo honore cultus a Besso.
0 Sed nullis meritis perfidia mitigari potest: quae tamen minus in eo invisa esse poterat, quia nihil ulli nefastum in Bessum, interfectorem regis sui, videbatur. Titulus facinori speciosus praeferebatur, vindicta Darei: sed fortunam, non
1 scelus oderat Bessi. Namque ut Alexandrum flumen Oxum superasse cognovit, Dataphernem et Catenem, quibus a Besso maxima fides habebatur, in societatem cogitatae rei asciscit. Illi promptius adeunt, quam rogobantur; assumptisque octo fortissimis iuvenibus, talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Bessum, et remotis arbitris, compe-

tionum veterum, eam potissimum ob causam, quod auctores habet codices Leid. et Flor. B. Ceterum ablativum casum *materia* ad *sterile* defendit similis locus supra c. 12 et codicum mss. consensus.

subiecerat] *subicerat* Bern. A Voss. 1 Paris. BC, *subierat* Flor. DI Pal. 1. (Post *traicerent* Bern. A Paris. ABC, *cum traicerent* Flor. EH, *cum trahicerentur* Flor. G.)

§. 18. *transnavere*] *transnatavere* Flor. DFGI, *transnavere* Flor. H Bern. B.

Cap. 22, §. 19. *quae in Sogdianis. Susianis* iterum omnes codices, tantum *Susanis* Paris. C.

§. 20. *titulus facinori speciosus — oderat.* Haec sic fuerunt corrigenda auctore Acidalio, cum in libris legatur et *facinoris* et *oderant*. Nam si praeferebatur absolute intelligendum existimes, non *facinoris* verum erat, sed fidelitatis, iustitiae vel aliquid laudabile eius generis. Deinde apparet de solo Spitamene sermonem esse, is enim paulo post significatur verbo *cognovit*. Itaque *s* adhaesisse ex proximo vocabulo, et terminationem sing. et plur. numeri confusas censebis, cuius rei exempla vide in Indice.

§. 21. *Namque ut* manuscripti Snakenb. et nostri omnes, praeter Flor. B, editi *nam ut*. Mox multi et boni quidem codices *Datapharnem* habent: nos Arrianum et similitudinem aliorum nominum Artaphernes, Phrataphernes sequimur. Snakenburgius, ut solet, *Dataphernen et Catenen* Graeca terminatione edidit, sicut in nostris Flor. DFI et Parisinis tribus extat. Cf. ad VIII, 17.

in societatem cogitatae rei. Adieci verbum *cogitatae* cum Modio ex codd. Leid. Voss. 1. 2 nostrisque plurimis. Sed abest a Bern. A Flor. BD Paris. B. *Adscivit* Flor. 1 Paris. C, *ascivit* Flor. G.

promptius adeunt, i. e. accedunt ad partes, sed num possit sic dici absolute, multi videntur dubitasse. Modius in membranis dicit inveniri *addunt*, item sic est in Leid. Voss. 1 Bern. A Parisinis tribus, sed e Florentinis nihil a vulg. lectione diversum enotatur. Nec sane quisquam cum Heinsio voluerit *se addunt*, aut cum Sebisio *adsunt* scribere.

risse ait se, insidiari ei Dataphernem et Catenem, ut vivum Alexandro traderent agitantes; a semet occupatos esse et vinctos teneri. Bessus tanto merito, ut credebat, obligatus, 23
partim gratias agit, partim avidus explendi supplicii adduci eos iubet. Illi manibus sua sponte religatis, a participibus 24
consilii trahebantur: quos Bessus truci vultu intuens consurgit, manibus non temperaturus. Atque illi simulatione omissa circumsistunt eum, et frustra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni, laceratagque veste, quam e spoliis occisi regis induerat. Ille deos sui sceleris ultores 25
adesse confessus, adiecit, non Dareo iniquos fuisse, quem sic ulciscerentur, sed Alexandro propitios, cuius victoriam semper etiam hostis adiuvisset. Multitudo an vindicatura 26
Bessum fuerit, incertum est, nisi illi, qui vinxerant, iussu

§. 22. *occupatos esse et vinctos teneri.* Coniunctio *et* a libris mstis omnibus fere abest, patrocinatur e meis solus Flor. B.

§. 24. · *Atque illi.* Sic omnes. libri mei etiam tres Parisini et editio Modiana (quamquam Snak. unum Voss. 2 auctorem laudat) pro vulgato *at.* Recte: nam sic solere in principio periodi illam coniunctionem poni animadvertisse mihi videor, ut finis rei dudum praeparatae cum vi quadam subiiciatur. Vide Cic. in Rull. orat. 2 c. 6 §. 15. *Atque ego a primo capite legis usque ad extremum reperio nihil aliud actum, nisi ut* cet. ubi fortissimam oppositionem expectes. Item Cic. de off. III, 25 pr. *Atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit,* pro eo quod est *Is vero,* ubi Heusing. simile exemplum laudat ex epist. 2 libri V, §. 7 *Atque ille, qua iniuria nemo unquam — improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit.* Sed tamen etiam *et* aliquando fortiorem hanc significationem habet, vide VII, 24, 40.

regni insigni] De coniectura Freinshemii in priore editione dederam *regio insigni,* nunc redeo ad constantem librorum scripturam. Nam soni asperitatis, quae imprimis me movit, nimis incerta ratio est. Cf. ad cap. 16. Regiae dignitatis insigne tiara recta ὀρθή sive κίδαρις est. Verum multi codices et quos integerrimos cognovimus Bern. A Flor. AB Leid. cum aliis nonnullis et tribus Parisinis *insigne* habent, nec eo tamen secius librariorum errorem existimo.

quam e spoliis — induerat. Intelligi nequit vulgata *quam spoliis occisi regis induerat,* itaque Modius edere coepit *quam spolium induerat,* coniectura parum probabili, quoniam Curtius eo verbo non utitur in numero singulari. Quidni recepit quod in illius etiam codicibus fuisse puto *quam e spoliis.* Sic certe Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB Paris. B, cum item in aliis Flor. CEH Paris. C Bern. B legatur *ex spoliis.*

§. 25. *quem sic ulciscerentur — cuius victoriam*] Vetus corruptela in hoc loco versata est, cuius elegantiam librarii non intellexerunt. Pro eo quod est *quem* Flor. ABC Voss. 1 Paris. BC habent *quam,* sine sensu, ni corrigatur *quoniam,* Flor. E *qui,* Bern. B *quia,* quae res est, sed pronomen causae significationem habet. Magis etiam, quod nox omnes mss. habent *sed Alexandro propitios* (Mod. *propitio* suos libros tradit exhibere, ut unus Paris. A) *insecutos victoriam* et Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. ABEGH Paris. ABC *adiuvissent,* cum eo ut singularem *hostis* servent. Unus Flor. F *hostes adiuvissent,* Flor. D *hostis adiuvisse.* Sed recte Aldus *cuius* fecit ex eo quod est *insecutos,* quem ne ceteri quidem editores deseruerunt.

Alexandri fecisse ipsos ementiti, dubios adhuc animi terruissent. In equum impositum Alexandro traditurі ducunt.

Inter haec rex, quibus matura erat missio, electis23 nongentis fere, bina talenta equiti dedit, pediti terna denarium milia; monitosque ut liberos generarent, remisit domum. Ceteris gratiae actae, quod ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur. [Tum Bessus perducitur.] Perventum erat in parvulum oppidum: Branchidae eius incolae erant. Mileto quondam iussu Xerxis, cum e Graecia rediret, transierant, et in ea sede constiterant, quia templum, quod Didymeon appellatur, in gratiam Xerxis violaverant. Mores patrii nondum exoleverant, sed iam bilingues erant, paulatim a domestico externo sermone degeneres. Magno igitur gaudio regem excipiunt, urbem seque dedentes. Ille Milesios, qui apud ipsum militarent, convocari iubet. Vetus odium Milesii gerebant in Branchidarum gentem. Proditis

§. 26. *dubios adhuc animi*] *animos* Flor. B Paris. B et edd. veteres donec Modius vitium ignorantia partum sustulit.

§. 27. *bina talenta equiti*, hoc verborum ordine codices, editiones *equiti bina talenta*, sed omittitur *equiti* in Flor. AB Paris. B. Tum mendose nostri codd. omnes et edd. vett. *ter*, Iunius correxit *terna*. Quadruplum igitur eques accepit, nam talentum efficit sex milia drachmum siva denarium.

Tum Bessus perducitur. Verba iure videtur Freinsh. uncis circumscripsisse, quoniam postea, profecto demum agmine ab urbe Branchidarum, perductus est Bessus. Nec medetur rei scriptura codicum Flor. FGI Paris. A Voss. 2 *dum Bessus perducitur* sive *producitur* (ut est in Flor. illis) quamquam Modius eam amplexus est.

§. 28. *quod Didymeon appellatur*] Alibi apud Graecos est *τὸ ἐν Διδύμοις ἱερόν*: sed cum Apollo sit *Διδυμεύς*, eius templum est *τὸ Διδυμεῖον*, non *Διδυμαῖον*, ut adhuc legitur apud Plutarch. in Pomp. 24. Ceterum novum hoc de Branchidarum proditione templi et thesaurorum, quod non traditur ab Herodoto VI, 19, Callistheni recte adscribitur a Wesselingio ad Herod. l. l. *Iussu Xerxis* explica suasu ac monitu, nam *ἐκόντας* illos emigrasse tradit etiam Herodotus.

§. 29. *nondum exoleverant*. *Exsoluerant* aut *exoluerant* plerique libri mss. adeo ut vera forma non sit nisi in Flor. EFG. Sed alibi certius constat ut VII, 28 extr. eaque res Prisciani pag. 872 auctoritate conficitur. Sed pro eo quod vulgo est *externoque* (quod inventum est in Flor. DFI Bern. A) ceteri libri mss. optimi et plurimi *externo* tantum habent, item edd. principes Vind. Mer. Ald.; neque hoc erat omittendum Iunio et reliquis praeter Modium. Nam *degeneres* certe non pertinet nisi ad domesticum sermonem, quem externi sermonis communione propemodum dedidicerant.

§. 30. *Milesii gerebant*] Vetus et constans corruptela omnes codices obtinet, *miles gerebat*. Vere sine dubio correxit Freinshemius *Milesii gerebant*, sed mirari subit quamdiu vitium latuerit. Item cum §. 28 *Branchidae* satis constanter scribatur (nisi quod nonnulli ut solent pro *ch* habent *c*), hac et inseq. § optimi fere terminationem nominis *iadarum* exhibent contra analogiam, cum illi sint a *Brancho*.

Proditis ergo, intellige Milesiis, quos

vasta solitudo et sterilis humus, excussis etiam radicibus, linqueretur. Quae si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta ultio esse, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, ideo et Xerxi non potuerant prodere.

Inde processit ad Tanaim amnem. Quo perductus est24 Bessus non vinctus modo, sed etiam omni velamento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat collo inserta catena, tam barbaris, quam Macedonibus gratum spectaculum. Tum Spitamenes, *Et te*, inquit, *et Dareum, reges meos, ultus, interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum. Aperiat ad hoc spectaculum oculos Dareus. Existat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit, et hoc solatio dignus est.* Alexander, multum collaudato Spitamene, conversus ad Bessum, *Cuius*, inquit, *ferae rabies occupavit animum tuum, cum regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere sustinuisti? Sed huius parricidii mercedem falso regis nomine persolvisti.* Ibi ille facinus purgare non ausus, regis titulum se usurpare dixit, ut gentem suam tradere ipsi possit: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum. Et Alexander Oxathren,

lucosque, ratus coniunctionem *et* facilius oblini quam alteram illam. *Nemora et luci* sic fere coniungi solent, v. c. apud Tacitum in dialogo de oratoribus c. 12, et eundem Germ. cap. 9 et 10.

§. 35. *ideo et Xerxi non potuerant.* Sic edd. vett. Vindelini, Merulae, Aldi. Post ab Iunio novatum est et editum *adeo Xerxi*, in quo ei reliqui paruerunt, nec sane reprehenderem, nisi omnes Modii Snakenburgii item mei codices veterem lectionem tuerentur. Nam quod in codice Dan. et Pal. 1 traditur esse *adeo* pro *ideo*, de Dan. si is est Bern. A falsum est et Pal. 1 nullam auctoritatem habet. Nec causam video cur tantopere aversentur, ne cum *et* saepe apud Curtium pro *etiam* dicatur, *non* illi adiungatur, quoniam, quod debebat esse, *ne — quidem* iam praesumptum est. Cf. etiam c. 28 extr. *nunc quoque non.*

Cap. 24, §. 36. *quo perductus est Bessus. Productus* multi et boni libri, quibus ob solitam notarum permutationem fides non est adhibenda.

§. 38. *falso regis nomine persolvisti*, i. e. praemium tibi fuit falsum nomen regium, commisisti illud facinus ob eam causam, ut rex vocareris.

§. 39. *usurpare dixit, ut — possit.* Non puto praesens pro perfecto Infinitivi poni, sed hominem ita dicere quasi adhuc rex sit: „er führe den Titel König." Huc enim pertinet *possit*. Sane *posset* legitur in Flor. DEFGI Paris. A.

qui si cessasset. Offendere debet pronomen relativum in oratione obliqua de ipsius persona, qui loquatur, usurpatum, videtur tamen ita posse explicari, ut non raro oratione subito conversa *ille* ponitur, ubi pronomen *ipse*, vel *sui, sibi, se* expectaras. Itaque Heinsianam correctionem *quodsi cessasset* non accipio.

§. 40. *Et Alexander.* Restitui veterem lectionem *et*, quae et apta est historiae stilo et codicum consensu defen-

fratrem Darei, quem inter corporis custodes habebat, propius iussit accedere, tradique Bessum ei, ut cruci affixum mutilatis auribus naribusque sagittis configerent barbari, asservarentque corpus, ut ne aves quidem contingerent. Oxathres cetera sibi curae fore pollicetur: aves non ab 41
alio, quam a Catene, posse prohiberi adiicit, eximiam eius artem cupiens ostendere: namque adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. Nam si forsitan sagit- 42
tandi tam celebri usu minus admirabilis videri ars haec possit, tamen ingens visentibus miraculum, magnoque honori Cateni fuit. Dona deinde omnibus, qui Bessum adduxerant, 43
data sunt. Ceterum supplicium eius distulit, ut eo loco, in quo Dareum ipse occiderat, necaretur.

25 Interea Macedones, ad petendum pabulum incomposito VI.
agmine egressi, a barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur, pluresque capti sunt quam occisi: barbari autem, captivos prae se agentes, rursus in montem 2
recesserunt. XX milia latronum erant. Fundis sagittisque pugnam invadunt. Quos dum obsidet rex, inter promptis- 3
simos dimicans sagitta ictus est, quae in medio crure fixa reliquerat spiculum. Illum quidem maesti et attoniti Ma- 4

ditur. Recentiores inde a Modio editiones *at* maluerant. Vide supra ad c. 22, 24. Tum *Oxathren* scripsi Graeca terminatione, quia Snak. in Leid. Voss. 1 (sicuti est in Bern. A et Paris. tribus) *Oxathen* esse notavit, simpliciter edenti non crederem. Etiam Flor. FGI *Oxatren*.

§. 42. *Si forsitan sagittandi — possit, tamen. Si* cum coniunctivo sequente *tamen* non raro pro *etsi* poni, lexica docent. Cf. Nepot. Phoc. c. 1, Cic. de Off. III, c. 8 extr. Adiuvat etiam nonnihil appositum illud *forsitan*, sicut apud Cic. ad Att. v, 4 *iam: nunc si iam res placeat, agendi tamen viam non video;* ut necesse non sit cum Iunio et reliquis *etsi* corrigere. Sed *tamen* eam ipsam ob causam servandum est, quamquam nostri quidem codd. omnes praeter Flor. EI eius loco *tum* exhibeant. Possit aliquis opinari, Curtium hoc fere voluisse: etsi *nunc* quidem in tam celebri sagittandi usu minus admirabilis illa ars videatur, *tum* ingens miraculum erat. Verum celeber sagittandi usus ad Bactrianos et illas gentes barbaras pertinet, quae arcu potissimum uti solebant, Graeci Romanique istam artem sagittandi nunquam coluerunt. Itaque etiam h. l. eam permutationem particularum, quae alibi sine dubio fuit, putemus esse. Cf. ad VI, 29. *Sagittandi* primus edidit Aldus ex coniectura sed verissima, nam in codd. est *sagittis*. Denique *ars haec* omnes nostri et Snak. codices inverso verborum ordine, qui est in editis.

Cap. 25, §. 2. *pugnam invadunt* πολεμικώτερον dictum p. ineunt s. ingrediuntur, sicut etiam *invadunt locos* Tacitus a vulgari usu remotus dicit. Neque enim de turbido ingressu intellexerim, non sicut ait Virgil. Aen. 12, 710, *Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro*, sed ut idem poëta Aen. 3, 382 *vicinos, ignare, paras invadere portus* dixit pro *intrare*.

edones in castra referebant: sed nec barbaros fefellit subductus ex acie: quippe ex edito monte cuncta prospexerant. taque postero die misere legatos ad regem, quos ille proinus iussit admitti, solutisque fasciis, magnitudinem vulneris lissimulans, crus barbaris ostendit. Illi iussi considere ffirmant, non Macedones, quam ipsos tristiores fuisse cognito vulnere ipsius: cuius si auctorem repperissent, dediuros fuisse, cum diis enim pugnare sacrilegos tantum. Ceterum se gentem in fidem dedere, superatos virtute illius. Rex, fide data et captivis receptis, gentem in deditionem accepit. Castris inde motis lectica militari ferebatur, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant. Equites, cum quibus rex proelia inire solitus erat, sui muneris id esse censebant: pedites contra, cum saucios commilitones ipsi gestare assuevissent, eripi sibi proprium officium tum potissimum, cum rex gestandus esset, querebantur. Rex, in tanto utriusque partis certamine, et sibi difficilem, et praeteritis gravem electionem futuram ratus, invicem subire eos iussit.

Hinc quarto die ad urbem Maracanda perventum est.26 LXX stadia murus urbis amplectitur; arx alio cingitur muro.

§. 4. *fefellit subductus ex acie.* In vulgatis libris additur *rex*, sed cum manuscripti eam vocem omnes omittant, subintelligere praestat. Sustulerat etiam Modius.

§. 6. *Non Macedones, quam ipsos.* Vulgo *Macedonas*, sed latina terminatione codices et plerique et optimi, ut non supersint pro Graeca nisi Flor. DFHI Paris. A et Voss. 2. Deinde *tristiores fuisse* omnes, verborum ordine qui vulgo est mutato, cum Modio.

§. 7. *superatos virtute illius. Vulnere illius* Bern. A Flor. ABDFGI Leid. Voss. 1 Pal. 1 tres Parisini, ut iam testium numerus et gravitas videantur non posse contemni. Nihilominus illam lectionem nimis ego argutam atque adeo ineptam existimo, quam ut a Curtio profectam putem.

§. 8. *pedites contra, cum.* Mediam vocem non habent Flor. DFGI, tuentur ceteri libri, quod Modii causa annoto, verbum illud damnantis. Tum *ipse — assuevisset* vitiose optimi quique libri Leid. Voss. 1 Flor. A, Bern. A Modiique membranae cum aliis ex deteriore classe et tribus Parisinis. Vitium sustulit primus Iunius.

Cap. 26, §. 10. *ad urbem Maracanda.* Plerique codd. *Marupenta;* infra c. 38, ubi idem nomen legitur *Maracanta* fere in singulari numero est, sed VIII, 7 *Maracanda* plur. satis constanter. Verum prius Alexandrum ad illam primariam Sogdianae urbem venisse, quam ad Tanaim contenderat (supra c. 24) ex Arriani historia III, 30 et ipsa re patet.

arx alio cingitur muro. Variant et edd. et libri veteres. Olim editi *arx illinc*, scripti partim et ipsi *illinc*, Leid. Voss. 1 Bern. A Paris. tres Flor. DFGI, partim *illic* Voss. 2 Bern. B Flor. DH, partim *illius* Flor. ABC. Haec omnia sunt vana; Iunius primus *nullo* edidit, mihi et ad literarum ductum et ad sen-

Ac praesidio urbis relicto, proximos vicos depopulatur 11
atque urit.

Legati deinde Abiorum Scytharum superveniunt, liberi, ex quo decesserat Cyrus, tum imperata facturi. Iustissimos barbarorum constabat: armis abstinebant, nisi lacessiti: libertatis modico et aequali usu principibus humiliores pares fecerant. Hos benigne allocutus, ad eos Scythas, qui Eu- 12
ropam incolunt, Berdam quendam misit ex amicis, qui denuntiaret his, ne Tanaim, amnem regionis, iniussu regis transirent. Eidem mandatum, ut contemplaretur locorum situm, et illos quoque Scythas, qui super Bosporon colunt, viseret. Condendae urbi sedem super ripam Tanais elegerat, 13

sum verisimilius videtur *alio*. Nam apud Arrianum legimus Macedones relictos in arce Maracandis obsideri a Spitamene, lib. IV, 3 et 5. Rem quominus certo constituamus impedit quod haec pars historiae Diodori periit.

§. 11. *Ac praesidio urbis*] Restitui hanc lectionem edd. principum, a qua primus Iunius discedens *ac* delevit contra codicum consensum et *urbi* scripsit, quasi urbs defendenda fuisset adversus hostes, non ipsa urbs in potestate regis retinenda; legitur autem *urbis* in Leid. Voss. 1, 2, Paris. AC. Flor. DEFGHI.

Abiorum Scytharum] Editiones primae et codd. mss. *Aulorum Scytharum* praeter Flor. B, ex quo libro nihil a recepta scriptura diversum notatur. Ea autem Iunio et Modio debetur, qui scripserunt quidem *Aviorum*, sed videntur voluisse *Abiorum*, id quod Modius in annotatione executus est, Arrianum laudans libro IV. pr. *παρὰ Σκυθῶν τῶν Ἀβίων καλουμένων· οὗς καὶ Ὅμηρος* (Iliad. XIII, 6) *δικαιοτάτους ἀνθρώπους εἰπὼν ἐν τῇ ποιήσει ἐπήνεσεν. Οἰκοῦσι δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καὶ οὗτοι αὐτόνομοι, οὐχ ἥκιστα διὰ πενίαν τε καὶ δικαιότητα.* Homerus autem *ἀβίους* dixerat pauperes, sed posteri proprio nomine sic vocatos acceperunt. *Liberi* et *facturi* grammatice ad verbum *legati*, sententia ad gentem, cuius illi legati erant, referuntur. Cf. V, 28, 6.

principibus humiliores pares fecerant. Mss. partim *humiliores fecerunt*, omissa voce media, partim *pares fecerant*, ut vulgo editur, nisi quod aptius tempus plusquamperf. exhibent. Illi libri gravioris fere auctoritatis sunt, Bern. uterque Flor. ABCH Paris. BC Leid. Voss. 1. 2, sed si ad sententiam absolvendam voce circumscripta non carere posse nobis videmur, ex altéris *fecerant* potius recipiendum est.

§. 12. *Berdam quendam.* Vulgo *Penidam* et sic Flor. BG, ceteri *Pendam.* Idem homo vocatur lib. VIII, 1, 7 *Berdes.* Itaque h. l. *Berdam* scripsi. Voss. 2 traditur *Peridam* exhibere, Paris. C *quendam* omittit, nec Bern. A habet nisi a. m. rec. super lineam. Tum *his* pro vulg. *eis* omnes codices, praeter Flor. E, in quo est *eis* et Flor. H, Bern. Voss. 2, qui *ei* habent, Flor. B *hiis.* Tum libri et mss. et editi *qui super Bospore* (plerique tamen, ne quid celem *Bosforo*, *Bosphoro*) *incolunt*, sed ausus sum emendare *super Bosporon colunt*, primum quod Curtius non solet *super* nisi cum Accus. coniungere (qui VI, 6 in eadem re *super Bosporum colunt* dixerat), tum quod *incolere* non intransitive, ut dicimus, sed Accusativo vel adiecto vel subintellecto, quorum neutrum h. l. fit, usurpatur.

§. 13. *Condendae urbi sedem — elegerat. Urbi* pro vulg. *urbis* ex uno Flor. A recepi ob similitudinem loci supra c. 14, 23, in quo scribendo codd. non variant, et infra cap. 40, 15. Litteram enim sibilatam ex sequentis vocis principio saepenumero retrahi et duplicari constat. Cf. infra ad c. 31, 28.

laustrum et iam perdomitorum, et quae deinde adire dereverat. Sed consilium distulit Sogdianorum nuntiata efectio, quae Bactrianos quoque traxit. VII milia equitum rant, quorum auctoritatem ceteri sequebantur. Alexander ɔpitamenem et Catenem, a quibus ei traditus erat Bessus, ıaud dubius quin eorum opera redigi possent in potestatem, ɥui novaverant res, iussit accersi. At illi, defectionis, ad ɥuam coercendam evocabantur, auctores, vulgaverant fama, Bactrianos equites a rege omnes ut occiderentur accersi: idque imperatum ipsis, non sustinuisse tamen exequi, ne inexpiabile in populares facinus admitterent. Non magis Alexandri saevitiam, quam Bessi parricidium ferre potuisse. Itaque sua sponte iam motos metu poenae haud difficulter ɔoncitaverunt ad arma.

Alexander, transfugarum defectione comperta, Craterum27 ɔbsidere Cyropolim iubet: ipse aliam urbem regionis eiusdem corona capit; signoque, ut puberes interficerentur, ılato, reliqui in praedam cessere victoris: urbs diruta est,

et iam perdomitorum, et quae. Omnes ɔodd. *etiam* coniunctis particulis exhibent, deinde *perdomiturum* Flor. EGI, tum *et quod* plerique, *id quod* Flor. DI Pal. 1, *ad quod* Flor. E, *et quem* Flor. H Bern. B Voss. 2, *et quos* solus Flor. B, *et quae* item solus Flor. C. Inde edit. pr. *etiam perdomitorum et quod*, Ald. *etiam perdomiturum et quod*, sine sensu, Iun. *etiam perdomituro quos*, audacter, Mod. *etiam perdomitorum et quos*, Freinsh. denique et rel. *et iam perdomitorum et quos.* Quibus servatis hoc ego nunc muto ut *quae* scribam. Nimirum *claustra* non dicuntur nisi locorum, terrarum, quorum aditus tuentur, non hominum: ex. gr. Pelusium *claustra Aegypti* Livio XLV, 11, Corinthus *claustra Peloponnesi* Velleio I, 3, Utica *claustra Africae*, Floro IV, 2, Alpes *claustra Italiae* eidem III, 3, alia aliis appellantur, etiam nostro IV, 33 *claustra Nili* dicuntur. Itaque *perdomitorum* neutrum plur. intelliges, non nomines, cui aptum unice *et quae*, certe minus eleganter *et quod*, quamquam hoc facilius ferrem quam *quos*.

§. 14. *redigi possent in potestatem, qui novaverant res.* Eieci unum verbum quod in libris etiam optimis orationis flumen turbat: *coërcendo qui novaverant res*, nam quod in editis praeterea additur *eos* meliorum codicum (Flor. A Paris. trium, Modianorum, aliorum Flor. CEH Bern. B) auctoritate damnatur. Sed ne illud quidem unum Freinshemius se ferre posse contendit, nec ego fero, cum propter insolitum ad activum a passivo transitum, tum propter ingratam repetitionem eiusdem verbi. *Accersi* et h. l. et paulo post codices meliores, ceteri *accersiri*, quod Modius edidit *arcessi* nullus.

§. 15. *vulgaverant fama*] Doleo in priore editione me neglexisse librorum mss. omnium et editionum veterum scripturam *famā*, a qua Modius primus discessit persuasitque reliquis ut *famam* darent. At fama ipsa quidem vulgat fieri aliquid, non autem, cum fama sit, necesse est vulgetur, nisi duae sint, quarum altera latius vagetur. Et legitur X, 5, *quippe ita famā Persae vulgaverant.*

ut ceteri cladis eius exemplo continerentur. Memaceni, 17
valida gens, obsidionem non ut honestiorem modo, sed
etiam ut tutiorem, ferre decreverant. Ad quorum perti-
naciam mitigandam rex L equites praemisit, qui clementiam
ipsius in deditos, simulque inexorabilem animum in devictos
ostenderent. Illi nec de fide, nec de potentia regis ipsos 18
dubitare respondent, equitesque tendere extra munimenta
urbis iubent: hospitaliter deinde exceptos gravesque epulis
et somno intempesta nocte adorti interfecerunt. Alexander 19
haud secus, quam par erat, motus, urbem corona circum-
dedit, munitiorem, quam ut primo impetu capi posset.
Itaque Meleagrum et Perdiccam in obsidionem iungit, Cy-
ropolim, ut ante dictum est, obsidentes. Statuerat autem 20
parcere urbi conditae a Cyro, quippe non alium gentium
illarum magis admiratus est, quam hunc regem et Semira-
mim, quos et magnitudine animi et claritate rerum longe
emicuisse credebat. Ceterum pertinacia oppidanorum iram 21
eius accendit. Itaque captam urbem diripi iussit et deleri.

Cap. 27, §. 16. *cladis eius exemplo.* Restitui *eius*, quam vocem Aldus et Iunius male omiserant nec Modio reliqui paruerant, revocanti sicut mss. fides postulat. Urbs sic capta Gaza appellabatur, Arrian. IV, 2, omnes autem non procul Iaxarte amne sitae erant.

§. 17. *inexorabilem animum.* Sic Modius, cum fuisset *exorabilem*, se correxisse dicit adversus libros, editos intelligit, et ridicule gloriatur, nam scripti quidem nostri omnes ut nunc editur habent. *Victos* minus bene Flor. CEH Bern. B Voss. 2, qui fere conspirant. Iidem nostri *adorti* omittunt. Tum *inde* pro *deinde* Flor. DFGI et edit. Mod.

§. 19. *Cyropolim, ut ante dictum est, obsidentes.* At paulo ante Craterum eam urbem obsedisse dixit. Itaque nisi lacunam esse velimus, (sic fortasse explendam *ipse proficiscitur ad Craterum — obsidentem*) statuemus Meleagrum et Perdiccam sub Cratero taxesi suis praefuisse, iamque devocari a Cyropoli ad Memacenorum urbem oppugnandam, regem autem ipsum, cui captarum urbium titulos fere cederent duces, ad Cyropolim se contulisse eamque urbem muris quassatis vi cepisse. Sed haec narratio tamen ab Arriano discrepat, qui Memacenorum urbe non commemorata, quae Curtius de vulnere Alex. narrat, ad Cyropolis expugnationem refert.

§. 20. *quos et magnitudine animi et claritate.* Sic Modius in suis membranis, et ego in Flor. DEFGI invenimus. Edunt autem vulgo *in quis et magnitudinem — claritatem*, sed exhibetur sic in uno tantum Flor. B, in reliquis fere *in quos* ita est, ut *in* pertineat ad truncum nominis praegressi, aut si forte *Semiramim in quos* scriptum est, ut in Flor. AC, praepositionem ex repetita prioris vocabuli ultima syllaba ortam esse apparet. Accusativi autem *magnitudinem* et *claritatem* in paucis codicibus leguntur, plerique aut ablativos habent aut variant *magnitudinem — claritate.*

§. 21. *iram eius.* Vulgo *eius iram*, ut est in Flor. BCFG Paris. B. Reliqui omnes sicut scripsimus.

diripi iussit et deleri. Tum Memacenis — infestus ad M. Locum constitui Acidalii plurimum emendandi ra-

Tum Memacenis haud iniuria infestus ad Meleagrum et
1 Perdiccam redit. Sed non alia urbs fortius obsidionem tulit: quippe et militum promptissimi cecidere, et ipse rex ad ultimum periculum venit. Namque cervix eius saxo ita icta est, ut oculis caligine offusa collaberetur, ne mentis quidem compos; exercitus certe velut erepto eo ingemuit.
3 Sed invictus adversus ea, quae ceteros terrent, nondum percurato vulnere, acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo suffossa moenia ingens nudavere spatium, per quod irrupit, victorque urbem dirui iussit.

4 Hinc Menedemum cum III milibus peditum et DCCC28 equitibus ad urbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga praesidio Macedonum inde deiecto, muris urbis eius inclu-serat se, haud oppidanis consilium defectionis approbantibus. Sequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant.
5 Interim Alexander ad Tanaim amnem redit, et quantum soli occupaverant castris, muro circumdedit. LX stadiorum urbis murus fuit: hanc quoque urbem Alexandriam appel-
3 lari iussit. Opus tanta celeritate perfectum est, ut decimo septimo die, quam munimenta excitata erant, tecta quoque

tionem secutus, cum vulgo ederetur *diripere possit delectos Macedones — infestos; et ad M.* Codd. omnes *diripi* exhibent, coniunctionem *et* tollunt, denique pro *delectos* quod in Flor. BG inventum est, sicut *dilectos* in Flor. DEF Pal. 1, in Flor. A Leid. *delectae*, in Bern. A Voss. 1 Flor. C tribusque Parisinis *delete*, in Flor. H Bern. B *delere*, in Voss. 2 *dilere*, in Flor. F *flere* exaratur. Acidalius *Memacenorum* nomen sagaciter sub *Macedonibus* investigavit, cetera sic componens: *deletā, Memacenis infestus ad M.* Ego audacius fortasse grassatus videbor, sed ubi semel corruptum esse locum intellexeris, vix est ut paucis contentus abeas, nisi quod volueris, sententiae integritatem restitueris. Nam in emendatione Acidalii ablativum absol. *deleta* vix puto cuiquam satisfacere posse, cum facile fuerit infinitivum praegressis adiungere.

§. 22. *erepto eo ingemuit.* Codices Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AC Paris. AB *velut erepto in eo*, et ediderat Modius. Ego *in aliquo homine ingemiscere* non mihi persuadeo latinum esse, certe non prosae orationi aptum.

Cap. 28, §. 26. *dec. septimo die quam*] Vulgo *decimo septimo die qua*, nec aliae varietates e nostris codicibus enotantur nisi *in* XVIII. *die* Flor. EH, *in* XVII[a] *die* Bern. B. *quartodecimo die quo* Flor. C, XVI. *die* Flor. F, XVII[o] *die* Flor. I. Sed *quam* legitur in Flor. D Paris. AB Leid. Hoc sine dubitatione recepi, sicut iam Iunius et Modius scripserant, neque alia testimonia codicum mss. expectanda sunt quandoquidem ab eadem littera insequens vocabulum incipit. Numerum quidem eundem tradit Iustinus XII, 5, cum Arrianus opus intra viginti dies absolutum scribat IV, 4. Urbs haec est Stephano Byzantio octavadecima Alexandria *ad*

urbis absolverentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, ut suum quisque munus (nam divisum erat) primus ostenderet. Incolae novae urbi dati captivi, quos reddito 27
pretio dominis liberavit, quorum posteri nunc quoque non apud eos tam longa aetate propter memoriam Alexandri exoleverunt.

29 At rex Scytharum, cuius tum ultra Tanaim imperium VII.
erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse cervicibus, fratrem Carthasim nomine cum magna equitum manu misit ad diruendam eam, proculque amne submovendas Macedonum copias. Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europaeos vocant, di- 2
vidit. Idem Asiam et Europam finis interfluit. Ceterum 3
Scytharum gens haud procul Thracia sita ab Oriente ad Septentrionem se vertit, Sarmatarumque, ut quidam credidere, non finitima, sed pars est. Rectam deinde regionem 4

Tanaim, qua ipsa appellatione et effectum et causam perpetui erroris agnoscas.

§. 27. *Incolae — dati captivi*] Intellige Cyropolitanos et Memacenos et tertiae urbis non nominatae cives, quos servitio liberavit eoque beneficio sibi obstringere cupivit. Idem Iustinus tradidit. Sed Arrianus IV, 3 extr. Graecos mercenarios et Macedonum quoque nonnullos militia dimissos et barborum adiacentium qui vellent, novam urbem incoluisse memoriae prodidit.

nunc quoque non] Dictum pro *ne nunc quidem*, ut supra c. 23 *et Xerxi non*. Modius has Siculas nugas vocat, et edidit *quorum posteri quoque nondum*, ingenio pro codicibus usus. Snak. nescio unde suam lectionem acceperit *quorum posteri nunc quoque nondum*, etsi aeque scabra est. Codd. nostri non variant, nisi quod in Flor. CH Bern. B ut in Voss. 2 *non* omittitur, in E ante *tam* ponitur.

Cap. 29, §. 1. *At rex Scytharum*. Coniunctionem in principio addidit Modius, adstipulantibus codicibus nostris omnibus. Idem primus *Carthasim* dedit, quem antea *Charcasim*, posthac *Cartasim* scripserunt.

§. 4. *Rectam deinde regionem aliam*. Sic locum emendavi, qui post Aldum vulgo sic legitur *recta deinde regionem aliam*, cum in principe fuisset *r. d. reg. alium*, in Merul. *alaunum*. Codd. autem Snakenburgii quidem omnes *recta deinde regione alium*, item sic Bern. AB Flor. ABCEH; sed quid huic lectioni faciamus non invenio, quamvis *recta regione* per se non displiceat: sic enim VIII, 30 init. pro nostro in gerader Richtung. Nam quae emendatio a Freinsh. proposita est: *recta regione in aliam — coit* nihil habet quo se commendet, nec quod Tellierius edidit *recta regione Alaunum ultra Istrum iacentem et ultima Asiae* cet. ullam veri similitudinem habet. Nam ut omittam eiici verbum *colit*, quod per codices satis tutum est: nondum fuerunt illa aetate Alani. Itaque correxi quod facile intelligi possit et vulgaribus librariorum erroribus corruptum videtur. Supra VI, 6 *at qui* (Scythae) *in Europa sunt, a laevo Thraciae latere ad Borysthenem atque inde ad Tanaim, alium amnem, recta plaga attinent*. Has igitur sedes *rectam regionem* ultra Istrum iacentem appellat, sicut c. 39 est *ingens spatium rectae regionis*, i. e. terrae orientem versus directae. Omnem hanc regionum perturbationem ignorantia antiquorum Graeco-

liam ultra Istrum iacentem colit: ultima Asiae, quae Bactra unt, stringit. Habitant quae Septentrioni propiora sunt; rofundae inde silvae vastaeque solitudines excipiunt: rurus quae et Tanaim et Bactra spectant humano cultu haud isparia sunt. Primus cum hac gente non provisum bellum lexander gesturus, cum in conspectu eius obequitaret ostis, adhuc aeger ex vulnere, praecipue voce deficiens, uam et modicus cibus et cervicis extenuebat dolor, amios in consilium advocari iubet. Terrebat eum non hostis, ed iniquitas temporis. Bactriani defecerant: Scythae etiam ıcessebant: ipse non insistere in terra, non equo vehi, non ocere, non hortari suos poterat. Ancipiti periculo implitus, deos quoque incusans, querebatur, se iacere segnem, uius velocitatem nemo antea valuisset effugere: vix suos redere non simulari valetudinem.

um effecit, qui cum illum amnem, qui ter Sogdianam et Scytharum nomaım terras interfluit, Sihun s. Sir hodie, anaim vocarent sive vocatum accepisnt, ea omnia, quae de Tanai notiore Don) scirent, ad illum longissime reotum referrent. Perite utrumque diinguit Arrian. lib. III. extr. Itaque ldıtamentum *quos Europaeos vocant* genio scriptorum natum est. Nam ersae quidem proximam Scytharum ntem ultra Iaxartem *Sacas* appellaınt, teste Plinio nat. hist. VI, 17, et cf. urt. VII, 38 pr.

Habitant quae Sept. propiora sunt. erbum *habitant* Modius eiecit, eumque cuti sunt ceteri editores, continuantes mirum orationem usque ad extremum rbum *excipiunt*. Mihi et eiicere verım alioqui non suspectum durum videtur, maluique ab *inde* novi membri itium capere. Sed quod vulgo legitur *oxima sunt* in nullo codice est, nam aut *propia*, (ut Bern. A Flor. ABCD sid.) aut *proprie (propriae) propria*, ius etiam Flor. G *prope*. Ex his feci *opiora*, quod et ipsum in codice Theocr. gitur, et *quae Septentrioni propiora nt*, sic fere dici puto, ut quod mox quitur *quae Tanaim spectant*. Habitur igitur Scytharum terra et Septentrionem et Meridiem versus, sed quae sub ipsis septentrionibus sunt, ea vasta sunt et inculta.

quae et Tahaim et Bactra spectant] Sic edd. vett. nisi quod *expectant* solita confusione, cuius h. l. ne optimi quidem libri (Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1) cum aliis nonnullis immunes sunt. Iunius *quae ad Tanaim — spectant* de coniect. dedit, eaque, quamquam a Curtiana ratione dicendi remota, vulg. lectio facta est, dum Modius omissa vocula *quae Tanaim — spectant* edit, quae lectio est codicum Flor. DFGI. *Quae et* in Bern. A Flor. ABC Voss. 1 recte legitur: nam *quaeque et* quod traditur in Flor. Heinsii ac Leid. esse (quamquam de Flor. A verum non est) ex *διττογραφίᾳ* ortum videtur, dum alii *quae* scribunt, alii *que* ad vocem praecedentem adiungunt. *Rursus et Tan.* male omisso *quae* habent Flor. EH Voss. 2. Ceterum *Tanaim* expressis litteris libri nostri praeter Bern. A, in quo est *Tanain*.

humano cultu] *Cultu* pro eo quod est *cultui:* eae partes aspectum praebent arvorum agrorumque ab hominibus cultorum: intelligit regnum quod hodie appellatur *Faschkend*.

§. 5. *Primus cum hac gente*] *Primum* Flor. CEGH Bern. B Voss. 2.

30 Ita qui post Dareum victum ariolos et vates consu- 8
lere desierat: rursus ad superstitionem, humanarum mentium
ludibria, revolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam ad-
dixerat, explorare eventum rerum sacrificiis iubet. Mos
erat aruspicibus exta sine rege spectare, et quae porten-
derentur, referre. Inter haec rex, dum fibris pecudum 9
explorantur eventus latentium rerum, propius ipsum con-
sidere amicos iubet, ne contentione vocis cicatricem infir-
mam adhuc rumperet. Hephaestio, Craterus et Erigyius
erant cum custodibus in tabernaculum admissi. *Discrimen,* 10
inquit, *me occupavit meliore hostium, quam meo tempore. Sed
necessitas ante rationem est, maxime in bello, quod raro per-
mittitur tempore legere. Defecere Bactriani, in quorum cervi-* 11
*cibus stamus, et quantum in nobis animi sit, alieno Marte ex-
periuntur. Haud dubia fortuna, si omiserimus Scythas ultro*

Cap. 30, §. 8. *Ita qui post.* Vulgo post Aldum editur *itaque qui*, sed codd. plerique omnes et ed. princeps omisso *qui* tantum habent *Itaque post*, Voss. 1 Flor. H *ita qui.* Hoc secuti sumus: nam *ita* breviter non raro dicitur pro *ita factum est ut.* Vide Hor. Tursellinum sub h. v. extr.

superstitionem, hum. mentium ludibria] *Mentium* dedi de coniectura Iunii (in marg. edit.) et Iani Palmerii, a Modio recepta et reliquorum iusto consensu approbata. Codd. quidem *gentium.* Tum *ludibria* inde ab Aldo vulgata scriptura est, quamquam non est nisi in paucis codicibus Flor. DI Pal. 1, cum sit in reliquis *ludibrio.* Molestus est pluralis numerus, fateor, nam supra c. 16 *magicae artis: si modo ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium*, ac possis aut *superstitiones* aut *ludibrium* corrigere, verumtamen videtur ferri debere. Intelliguntur varia superstitionis genera, quibus mentes humanae illuduntur.

§. 9. *propius ipsum considere amicos iubet.* Codd. mss. omnes *prius* habent, unus Flor. C *primus*, iidem addunt omnes *deinde amicos*, sed ne hoc sine sensu esset, *considerare* dederunt p. *considere* Flor. DFGI Pal. 1. Equidem omnem hanc varietatem ex confusione vocabulorum *prius* et *propius* ortam puto, qua semel commissa necesse erat *deinde* adiungere. Locum primus recte constituit Hadr. Iunius.

Hephaestio. Vulgo *Hephaestion;* codd. omnes *Ephestio* sine *n* finali.

§. 10. *quod raro permittitur*] Locus hic in nulla sententiae difficultate, ab editoribus diversissime temptatus est. Ed. pr. *quod raro permittitur tempore legem*, quod Merula ignave repetivit, Aldus nihil nisi mendum sustulit et *legere* dedit pro eo quod fuit *legem*, Iunius fortius aggressus *tempora eligere* dedit, Modius *quod raro permittit tempora legere*, contendens sic se divinasse quod verum esset, nimirum dum *permittit* corrigit. Postea vulgo edi coeptum est *quo raro permittitur tempora eligere*, quod ex omnibus mixtum est et novum habet *quo.* Equidem in priore edit. servata reliqua scriptura tantum *legere* restitui. Nunc autem video prorsus ad Aldinam lectionem redeundum esse quae et a libris mss. minimum recedat et latinitati conveniat. Nam *quod* in omnibus est praeter Flor. BG in quibus *quo* legitur, tum *permittitur* et *legere* item omnes, *tempora* unus Flor. G. Iam vides *tempore* esse suo, aequo, tempore, *bellum legere* dici *πόλεμον αἱρεῖσθαι*, quemadmodum latine opponitur *legere* et *reiicere.*

§. 11. *Haud dubia fortuna*] Codd. aliquot Flor. DFG Pal. 1 *haud dubie*

arma inferentes, contempti ad illos, qui defecerunt, revertemur: si vero Tanaim transierimus, et ubique invictos esse nos Scytharum pernicie ac sanguine ostenderimus, quis dubitabit parere etiam Europae victoribus? Fallitur, qui terminos gloriae nostrae metitur spatio, quod transituri sumus. Unus amnis interfluit, quem si traiicimus, in Europam arma proferimus. Et quanti aestimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe tropaea statuere, et quae tam longo intervallo natura videtur diremisse, una victoria subito committere! At hercule si paululum cessaverimus, in tergis nostris Scythae haerebunt. An soli sumus, qui flumina transnare possumus? Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus. Fortuna belli artem victos quoque docet. Utribus amnem traiiciendi exemplum fecimus nuper: hoc, ut Scythae imitari nesciant, Bactriani docebunt. Praeterea unus gentis huius exercitus adhuc venit, ceteri expectantur. Ita bellum vitando alemus, et quod inferre

fortunam, Flor. I *haud dubie fortuna*, quibus mendis abusus Modius edidit *Haud dubie*, sublata *fortuna*, atque haec scriptura vulgata est facta. Falso: pertinet enim *fortuna* ad eventum rei, qui sine dubio consecuturus sit.

§. 12. *quis dubitabit parere etiam Europae.* Edd. principes *quis dub. patere Europen victoribus?* recentiores *patere et iam Europam victoribus.* Codd. fere omnes *parere etiam Europen*, e nostris soli Flor. DI *patere*, iidem Flor. DI *Europam*, Flor. F *et Europam*, Flor. H Bern. B *etiam parere Europem.* Sed utcunque scripseris nec Latinitatis nec argumentationis ratio constabit. Quid enim? Si Scythas vicerimus, ait, parebit nobis Europa; haud dubie ea pars Europae, quam hi Scythae incolunt, fortasse etiam gentes vicinae. At hoc non agit. Non vult Scythas gentem instabilem, sibi in perpetuum subiicere, una clade reprimere vult, imprimis ut Bactrianos ceterosque Asianos terreat. Latinitas autem postulat ut post *non dubitare* ponatur *quin* aut certe Infinitivus futuri, si alterum subiectum, ut solemus dicere, inferatur. Has ob causas correxi (post Tellierium, ut nunc video, et Schmiederum) *Europae victoribus*, ut sententia sic absolvatur: *si omiserimus Scythas, contemnent nos Bactriani, si vicerimus, non dubitabunt parere.* Neque corruptionis ratio difficile explicabitur, fuit olim fortasse *Europe*, quod esset *Europae*, hoc auxit aliquis litera *n*, ne scilicet Infinitivus non haberet accusativum suum. Quamquam eiusmodi artificio in tanta terminationum corruptione, quam perpetuo in his exemplaribus videmus, vix opus est.

§. 13. *spatio quod transituri sumus.* Id est, breve spatium transibimus, ut gloriam comparemus nullis finibus circumscriptam.

§. 15. *si paululum*] *Si paulum* Bern. AB Flor. EHI, et *paullum* traditur in Leid. Voss. 1 esse inventum. Mox *transnatare possimus* Flor. DEFG, *possimus* etiam Flor. C.

§. 17. *exercitus adhuc.* Hoc ordine verba exhibentur in optimis, *exercitus pervenit adhuc* in reliqui s(Flor. DEFGI) vulgo *adhuc exerc. venit.* Post plerique et Mod. editio *possumus* pro vulg. *possemus.* Indicativus veteri rationi loquendi aptior est, eamque ob causam a librariis saepe corrumpi solet. (Sed *possemus* tamen in Bern. A Flor. AC.) Denique *mihi* adieci iussu mss. omnium, quod in Aldina editione omissum est et intercidit, quamvis Modius revocasset.

possumus, accipere cogemur. Manifesta est consilii mei ratio. Sed an permissuri sint mihi Macedones animo uti meo, dubito; 18 *quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus sum, non pedibus ingressus. Sed si me sequi vultis, valeo, amici. Satis* 19 *virium est ad toleranda ista; aut si iam adest vitae meae finis, in quo tandem opere melius extinguar?*

31 Haec quassa adhuc voce subdeficiens, vix proximis 20 exaudientibus, dixerat: cum omnes a tam principiti consilio regem deterrere coeperunt, Erigyius maxime, qui haud sane 21 auctoritate proficiens apud obstinatum animum, superstitionem, cuius potens non erat rex, incutere temptavit, dicendo, deos quoque obstare consilio, magnumque periculum, si flumen transisset, ostendi. Intranti Erigyio tabernaculum 22 regis Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans: haec ex vate comperta Erigyius nuntiabat. Quo inhibito, 23 Alexander, non ira solum, sed etiam pudore confusus, quod superstitio, quam celaverat, detegebatur, Aristandrum vocari iubet. Qui ut venit, intuens eum, *Non rex,* inquit, 24 *sed privatus sum. Sacrificium ut faceres, mandavi; quid eo portenderetur, cur apud alium, quam apud me professus es? Erigyius arcana mea et secreta, te prodente, cognovit. Quem certum mehercule habeo extorum interprete uti metu suo. Tibi* 25

Cap. 31, §. 22. *ex vate comperta.* Insolenter corrumpunt Flor. AB *ex sue comperta*, Bern. A *ex suae comp.* Leid. *ex suo comp.* Flor. C Bern. B Voss. 2 *exta comperta*, ceteri vulgatam tuentur.

§. 24. *non rex sed privatus sum.* Snakenburgius et Schmiederus ultimam vocem expungi volunt, ut haec cum sequenti verbo *mandavi* coniungantur. Sed possunt haec tamen ita explicari, ut subintelligas nunc cum haec dico, nam si me esse regem meminissem, gravius tecum agerem.

interprete uti metu] Sic rectissime Freinshemius dedit librorum mss. paene consensu, quocirca mirari subit tam diu corruptam primarum editionum lectionem *quem certum mehercule habeo extorum interpretem metu suo* teneri potuisse. Nam pauci libri Flor. FI *interpetrem*, G *interprem*, Flor. H *interprete ut*, Bern. B Voss. 2 *interpretem ut.*

§. 25. *Tibi autem quietius, quam potest, denuntio.* Haec erat emendatio nostra, quam abiiciat qui melius aliquid reppererit, sed vulgata ferri non potuit, qua vulnus non sanatum est, sed una cum membro vitioso amputatum. Nam cum olim ederetur *tibi autem saepius quam potest denuntio*, sicut est in Flor. B Bern. A, Modius *saepius* delevit, ceteris facile obsequentibus. Verum codd. Leid. Pal. 1 Flor. ADFI *tibi autem qui sepius quam potest*, Flor. CEGHI Bern. B *tibi aut sepius vel citius*, Voss. 2 suo more inepte corrigens *tibi saepius haud quam potest.* Nos *qui sepius* corruptum putamus ex *quietius*. i. e. placidius, clementius quam fieri potest, quam quisquam expectari potest me facturum,

autem quietius, quam potest, denuntio, ipsi mihi indices, quid extis cognoveris, ne possis infitiari dixisse, quae dixeris. Ille exsanguis attonitoque similis stabat, per metum etiam voce suppressa: tandemque eodem metu stimulante, ne regis expectationem moraretur, *Magni*, inquit, *laboris, non irriti, discrimen instare praedixi: nec mea ars me quam benivolentia perturbat. Infirmitatem valetudinis tuae video, et quantum in uno te sit scio. Vereor, ne praesenti fortunae tuae sufficere non possis.* Rex iussum confidere felicitati suae remisit.

potest enim non raro pro *fieri potest* usurpatur. *Vel citius* apparet a librario adiectum, qui truncum verbi *etius*, qui restabat recisa syllaba *qui*, sic legendum putaret.

ipsi mihi indices. Sic scribendum fuit, non *ipse mihi*, nam opponitur alter, cui indicarat, non qui indicarat; legitur in Flor. ABCG et Bern. B (ni potius Bern. A est) Voss. 1. Deinde *quid extis cognoveris*, non ut vulgo *ex extis*, edd. antiquae Mer. Ald. codices Leid. Voss. 1 Pal. 1 Bern. A. In Flor. quidem nullo *ex* legitur, sed in paucis CGH et Bern. B Voss. 2 *de extis*.

§. 27. *nec mea ars me quam beniv. perturbat*] Sic Leid. Voss. 1 a qua lectione Bern. A non discedit nisi in eo quod *mea ars mea* habet, Pal. 1 *nec me mea ars*. Modiana lectio, quam in priore edit. secutus eram, *nec me ars mea*, in Flor. DFI extat. Reliqui codices aut omissione peccant ut Flor. ABH Bern. B *nec mea ars quam beniv. perturbat*, et Flor. C *haec mea ars benivolentiam perturbat*, aut additione, ut Voss. 2 *nec tam mea ars*, aut Flor. E *nec me magis ars mea quam beniv. perturbat*, aut Flor. G, *nec tam me ars mea magis quam beniv. perturbat*. Edd. vett. *nec mea ars magis quam beniv. me perturbat*, Freinsh. *nec mea ars quam benev. me perturbat*. Omittitur et *magis* et *tam* sequente *quam*: Liv. XXV, 15 *quem facile elici ad certamen temere ineundum rebantur posse, non militum quos perpaucos habebat fiducia, quam iuventutis Thurinae*. Cf. interpr. ad Liv. II, 56, 9, quique a Drak. ad eum locum laudantur; Perizonium ad Sanct. Min. lib. 4 c. 7 nr. 4.

vereor, ne — non possis. Sic libri msti, nisi quod Flor. A *non* omittit et Flor. B non hoc solum sed etiam *possis rex iussum confidere:* in nullo nec Snakenburgianorum nec nostrorum *vereor ne non* est, quemadmodum vulgo editur.

§. 28. *felicitati suae.* Bern. uterque Flor. ABCH Leid. Voss. 2 *felicitatis suae* frequentissimo vitio. Sed quae sequuntur vulgo, *remisit: sibi enim ad alia gloriam concedere deos*, a nobis in textu relicta sunt propterea quod nemodum certam emendationem attulit, non quod illa vera putaremus. Nam editiones principes Vindelini ac Merulae et codices mss. sic locum exhibent: *suae ad alia sibi ad gloriam concedere deos*, nec ulla varietas est nisi quod in Flor. E *sibi* deest, in Pal. 1 *sibi ad* omitti traditur, in Flor. autem C emendatione aliqua temptata *Rex iussit confidere felic. suae. Atque alia sibi ad gloriam concedere deos* legitur. In fine Flor. H Bern. B Voss. 2 *contendere* habent pro *concedere*. Vulgata scriptura Aldino editori debetur, quae mihi quidem non satisfacit, sed tamen in eo probabilis videtur, quod verbum excidisse *remisit* statuit. Neque cetera hominum doctorum emendandi pericula rem expediverunt, quae si quis forte melius quid ipse invenire possit, eam ob causam hic compono. Modius igitur edidit *Rex iusso confidere felicitati suae ait alia sibi ad gloriam concedere deos*. Acidalius verbum *remisit* spurium esse nesciens sic edi voluit: *Rex iussum conf. fel. suae remisit, alias sibi ad gloriam concedere deos*: i. e. deos quasi sibi cedere. Freinshemius item servato *remisit: sibi et alia ad gloriam concedere deos*. Heinsius *Rex iusso conf. fel. suae adiicit* (vel

Sibi enim ad alia gloriam concedere deos. Consultanti 29
inde cum iisdem, quonam modo flumen transirent, supervenit Aristander, non alias laetiora exta vidisse se affirmans, utique prioribus longe diversa; tum sollicitudinis causas apparuisse, nunc prorsus egregie litatum esse.

32 Ceterum quae subinde nuntiata sunt regi, continuae 30
felicitati rerum eius imposuerant labem. Menedemum, ut 31
supra dictum est, miserat ad obsidendum Spitamenem, Bactrianae defectionis auctorem. Qui comperto hostis adventu, ne muris urbis includeretur, simul fretus excipi posse, qua venturum sciebat, consedit occultus. Silvestre 32
iter aptum insidiis tegendis erat: ibi Dahas condidit. Equi binos armatos vehunt, quorum invicem singuli repente desiliunt: equestris pugnae ordinem turbant. Equorum velocitati 33
par hominum pernicitas. Hos Spitamens saltum circumire iussos pariter et a lateribus, et a fronte, et a tergo hosti ostendit. Menedemus undique inclusus, ne numero quidem 34
par, diu tamen resistit, clamitans, nihil aliud superesse locorum fraude deceptis, quam honestae mortis solatium ex hostium caede. Ipsum praevalens equus vehebat, quo 35
saepius in cuneos barbarorum effusis habenis evectus magna strage eos fuderat. Sed cum unum omnes peterent, multis 36
vulneribus exsanguis Hypsidem quendam ex amicis hortatus est, ut in equum suum ascenderet, et se fuga eriperet. Haec agentem anima defecit, corpusque ex equo defluxit in terram. Hypsides poterat quidem effugere, sed amisso 37

addit) id aleae sibi ad gloriam concedere deos. Madvigius in litteris ad me datis *(dimisit) Talia sibi ad gloriam concedere deos* proposuit.

§. 29. *consultanti inde.* Codd. et edd. principes *mihi*, Aldus et reliqui *deinde* dederunt, unus Flor. E *inde*, quod merae coniecturae videbatur praestare.

Cap. 32, §. 31. *qua venturum sciebat. Qua* emendaverat Acidalius, codd. et antiquae editiones *quem.*

§. 33. *par hominum.* Vulgo *par est*, sed *est* abest ab optimis et plurimis libris. Itaque fortasse haec cum prioribus ita coniungenda, ut *turbat* corrigatur.

§. 34. *diu tamen resistit.* Vulgares editt. *restitit*, nos Modium sequimur et codd. meliores, Leid. Voss. 1 Flor. AB Bern. A cum aliis nonnullis.

§. 36. *Hypsidem quendam.* Sic Aldus primus edidit, sed *Hipsidem*, priores *suspiciens quendam*, ut est in codd. plerisque omnibus, duo Flor. FI et Pal. 1 *suspiciens hypsidem quendam.* In §. 37 *Hyspides* aut *Hispides* est, sed *Hypsides* in Leid. Bern. A Flor. AFI.

amico mori statuit. Una erat cura, ne inultus occideret. Itaque subditis calcaribus equo, in medios hostes se immisit, et memorabili edita pugna obrutus telis est. Quod ubi videre qui caedi supererant, tumulum paulo quam cetera editiorem capiunt; quos Spitamenes fame in deditionem subacturus obsedit. Cecidere eo proelio peditum II milia, CCC equites. Quam cladem Alexander sollerti consilio texit, morte denuntiata his, qui ex proelio advenerant, si acta vulgassent.

II. Ceterum cum animo disparem vultum diutius ferre33
non posset, in tabernaculum super ripam fluminis de industria locatum secessit. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit, saepe pellibus tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes, e quibus coniectare poterat, quanta hominum multitudo esset. Iamque lux appetebat, cum thoracem indutus procedit ad milites, tum primum post vulnus proxime acceptum. Tanta erat apud eos veneratio regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem praesentia eius excuteret. Laeti ergo et manantibus gaudio lacrimis, consalutant eum, et quod ante recusaverant bellum, feroces deposcunt. Ille se ratibus equitem phalangemque transportaturum esse pronuntiat; super utres iubet nare levius armatos. Plura nec dici res desideravit, nec rex dicere per valetudinem potuit. Ceterum tanta alacritate militum rates iunctae sunt, ut in triduum ad XII milia effectae sint. Iamque ad transeundum

§. 37. *ne inultus occideret*] *occideretur* Flor. DEFGHI Pal. 1 Bern. B, *ne inultum occiderent* Flor. C.

in medios hostes] Veterem accusativi formam *hostis* servarunt Flor. AB Leid. Voss. 1, siletur Bern. A.

§. 39. *his*] Sic omnes nostri et Snak. codd., sed tamen Flor. BI *hiis*, vulgo *iis*. Mox *advenerant* item omnes praeter Flor. EH Bern. B, qui quidem vulg. *venerant* retinent.

Cap. 33, §. 3. *lux appetebat*. Vulgo *apparebat*, quod non invenio a quoquam scriptore usurpatum, nec sine causa, nam lux non apparens non est lux. Quod nos Modium secuti edidimus in optimis est, *apparebat* in Voss. 2 Flor. EH Bern. B, *petebat* in Flor. DI, *patebat* in uno G. Cf. IX, 17, 25.

§. 5. *manantibus gaudio lacrimis*. Sic omnes codd. nostri et quos Snak. contulit, editi male *prae gaudio*, cui praepositioni hic non est locus eam ob causam quod ea non solet apud bonos scriptores nisi cum negatione poni, v. c. gaudio lacrimamus, sed prae gaudio, prae dolore, loqui non possumus. Curt. III, 22 extr. *alii prae metu imperium exequi non audebant*.

§. 8. *in triduum* dici pro *triduo* vel

omnia aptaverant, cum legati Scytharum xx, more gentis per castra equis vecti, nuntiare iubent regi, velle ipsos ad eum mandata perferre. Admissi in tabernaculum iussique 9 considere in vultu regis defixerant oculos; credo quis, magnitudine corporis animum aestimantibus, modicus habitus haudquaquam famae par videbatur. Scythis autem non, 10 ut ceteris barbaris, rudis et inconditus sensus est: quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit semper armata. Sicque locutos esse apud regem me- 11

intra triduum manifestum est, insolitum tamen videtur et sine idoneo exemplo.

nuntiare iubent regi. Sic nostri libri mss. omnes ediditque Modius. Vulgo *nuntiari*, quod, si Snakenburgio silenti fidem habeas, in Leid. Voss. 1 inventum esse censeas. Sed cave faxis. Solitam dicendi rationem illustravimus ad III, 19, 7 et III, 30, 7.

§. 9. *in vultu regis defix.*] Flor. EFGI Pal. 1 *in vultum*, ut est IX, 11 *metu attoniti in terram ora defixerant.* Utraque ratione dicere licet. Cf. ad IV, 38.

modicus habitus haudq. famae par videbatur. Libri omnes praeter paucos mendose scriptos *modicus animus.* Quod verbum cum eiecissent Modius eumque secuti recentiores, sententia extitit perversa. Quid enim? animusne Alexandri Scythis modicus *et* famae impar videri poterat? cuius tot et tanta iam cognovissent documenta. Nam *animus* certe supplendus erit, nisi forte, quod inepte dictum esset, ipsa regis persona intelligetur, nec facile in hac oratione coniunctio *et* omitti potest. Itaque recepimus quod coniectura inventum est ab Acidalio: *modicus habitus*, quo et sententiae et orationis formae unice consulitur. Hominibus qui animum ex corporis magnitudine iudicare solerent, modicus regis habitus parum consentire videbatur cum fama rerum ab eo gestarum, qua summum esse illius animum et ingenium didicerant. Vocem autem *habitum* a Curtio solere in hac frequentissima sententia adhiberi, laudatis locis IV, 4, 25. V, 8, 13 et paulo post hoc ipso cap. §. 12 Schmiederus docet, imprimis simillimo VI, 10, 29 *habitum eius haudquaquam rerum famae parem oculis perlustrans.* Ceterum restitui edd. antiquarum et codd. veterum lectionem *quis*, pro qua post Aldum demum ab Iunio edi coeptum est *quia*, nescio quam ob causam, nam *credo quibus videbatur* facillime coit.

§. 11. *Sicque locutos esse*] Volueral auctor post hoc colon orationem legatorum incipere, sed praemittendam putavit deprecationem generis dicendi paulo insolentioris, sed artificiose ad ingenium barbarorum constructi, turbatam equidem minime dixerim orationem, quamquam verbum *abhorrent* non habet ad quod antecedens directo referatur, sed cogitatione intelligatur ex eo quod est *sic* et suppleatur ex insequentibus *quae — praeferemus.* Interruptam sententiam quasi sarcit *Igitur.* Sic omnia apte constructa mihi quidem videntur, sed Modius orationi succurrendum ratus *abhorrentia* dedit pro *abhorrent*, fortasse quod in paucis codicibus (Voss. 2 Bern. B Flor. H) *abhorrentem* esse ei innotuerat, et Freinshemius abusus scriptura infidelium codicum Pal. 1 Flor. DEFGI *siqua* pro *sicque* sic ordinandam periodum putavit: *Si, quae locutos esse apud regem memoriae proditum est, abhorrent forsitan moribus nostris — sortitis, ut possit oratio eorum sperni* cet. Verum hic ingenii lusus videtur esse. De reliquo *moribus* non est nisi in Voss. 2 Bern. B Flor. EH, reliqui *moribusque* habent, qua lectione quid faciam nescio. Tum pro vulg. *tradita sunt* nos ex mss. plerisque *sunt tradita* dedimus, dum reliqui codd. (Voss. 2 Bern. B Flor. CDH) non alio loco ponunt *sunt*, sed prorsus omittunt. Denique quod vulgo legitur *ita acutum*, sustulimus *ita* iussu Leid. Voss. Bern. A Flor. ABC aliorum.

moriae proditum est: abhorrent forsitan moribus nostris, et tempora et ingenia cultiora sortitis; sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet: quae utcun-
2 que sunt tradita, incorrupta perferemus. Igitur unum ex his maximum natu locutum accepimus:

*Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse*34
voluissent, orbis te non caperet; altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, et hoc assecutus scire velles, ubi tanti
3 *numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis Asiam: ex Asia transis in Europam; deinde si humanum genus omne superaveris, cum silvis et*
4 *nivibus et fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis,*
5 *quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit; et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido.*
6 *Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus.*
7 *Dona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum, aratrum, hasta, sagitta, patera. His utimur et cum amicis et*
8 *adversus inimicos. Fruges amicis damus boum labore quae-*

§. 12. *aviditati animi parem*] *Aviditatis* edd. vett. usque ad Iun. et codd. plerique (adeo ut pro altera lectione non sint nisi Flor. CEGH Bern. B Voss. 2), nec tamen potest probari, quoniam *par* cum genitivo alio sensu nec usquam a Curtio dicitur. Contra VIII, 44 extr. *par animus robori corporis;* X, 18, 31 *consilium par magnitudini animi.*

§. 15. *Leo quoque aliquando*] „Leones a culicibus magnopere vexari, qui et mortis causam iis praebeant, testatur Ammian. Marcell. XVIII, 17." Freinsh. Pro *fuit* Iunius et Mod. *fit* de coniectura non mala, quamquam non necessaria.

§. 17. *iugum, aratrum, hasta, sagitta, patera*] Herodotum sequitur lib. IV, 5, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ φερόμενα χρύσεα ποιήματα ἀρατρόν τε καὶ ζυγὸν καὶ σάγαριν καὶ φιάλην πεσεῖν εἰς τὴν Σκυθικήν. Sunt igitur haec omnia manu facta, antiquissima mortalium instrumenta. Quapropter miror adiici his boves, in codd. quidem sic: *iugum boves*, (Flor. G *bovem*) *et aratrum*, ex quo factum est in editis *iugum boum*. Non pertinent huc animalia in terra libere vagantia et hominibus domanda, ad quam rem a diis data iugum et aratrum. Dele igitur *boves et*, quod olim ab interprete adiectum, ne iugum sine bubus Scythis inutile esset. Delevimus etiam repetitas coniunctiones *et sagitta et patera*, quas editores de suo addiderunt, cum omisissent *hastam*, quam orator paulo post ipse commemorat.

sitas; patera cum iisdem vinum diis libamus; inimicos sagitta eminus, hasta comminus petimus. Sic Syriae regem et postea Persarum Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos 19
venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti; Syriam occupasti; Persidem tenes; Bactrianos habes in potestate; Indos petisti; iam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est, quae esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem; ut 20
quo plura haberes, acrius, quae non habes, cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra haereas? dum illos subigis, 21
Sogdiani bellare coeperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut maior fortiorque sis quam quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult.

35 *Transi modo Tanaim: scies, quam late pateant; nunquam* 22
tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui praedam tot nationum vehit. Rursus cum 23
procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim

§. 18. *patera cum iisdem*] Facere non potui quin a me ipse abirem daremque nunc *iisdem* pro adhuc edito *his*. Pertinet enim ad *amicos*, quorum cum iam facta sit mentio, pronomen *idem* locum habet. Legitur autem *isdem* in Flor. D, *iisdem* in Flor. GH, *iis* (quod alibi non fit in simplici pronomine) in Leid., *hiis* (quod item insolitum) in Bern. A. Edidit item Modius *hisdem*.

Syriae regem] Sic editur ex Modii emendatione, nam libri msti *Scythiae* s. *Scythae* appellant. Sed hi tum suum ipsi regem vicisse dicerentur. Syriam dicit quam nos Assyriam vocamus, quae regio olim princeps Asiae.

§. 19. *Indos petisti*] Partem certe Indiae cis Indum attigerat Alexander, vide cap. 17 princ. et c. 41, 8, Arrianus III, 28 ἐπῆλθε δὲ καὶ τῶν Ἰνδῶν τοὺς προσχώρους Ἀραχώτοις.

avaras et insatiabiles manus] Legebatur hucusque *instabiles*, inepte si quid iudicamus, manus enim nec stant nec consistere debent. Facillimam nos Acidalii coniecturam secuti sumus.

quae esurire cogunt] Omisimus *te*, quod non est in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB et omissum auget vim sententiae.

§. 21. *bellare coeperunt*] Freinshemius et alii *rebellare* voluerant. Sed *Maracanda*, quod caput Sogdianorum, primum Alexandro tradita erant sine bello: arma capere coeperunt dum ille circa Iaxartem haeret, quae pars Bactrianae provinciae sensu latiore accensetur.

Cap. 35, §. 22. *scies, quam late pateant*] Codd. nostri omnes et edd. vett. *pateat*, nec credo in Voss. 2 qui non commemoratur esse pluralem *pateant*. Sed rectistime tamen sic correctum puto a Modio, in cuius editione primum inveni: Pertinet enim non ad flumen, quod oculis metiri poterat Alexander, sed ad gentem Scytharum, oratione autem nominativus, qui subaudiendus est, transit in accusativum.

§. 23. *eadem enim velocitate*] Adieci *enim* iubentibus Flor. quidem omnibus et Bern. A Leid. Voss. 1, a quibus miror discedere Bern. A. Post *eludi* at verum est, sed codd. alias integerrimi Bern. A Flor. AB alii *eludat*.

velocitate et sequimur, et fugimus. Scytharum solitudines Graecis etiam proverbiis audio eludi. At nos deserta et humano cultu vacua magis quam urbes et opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens quam praesens tempus ostendit melius. Impone felicitati tuae frenos: facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet; cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere; sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quae tui oblviscaris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia, et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas: inter dominum et servum nulla amicitia est: etiam in pace belli tamen iura servantur. Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem, iurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta consignant, et deos invocant: nos religionem in in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cuius benivolentia dubites. Ceterum nos et Asiae et Europae custodes habebis: Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus: ultra Tanaim usque ad

Scytharum solitudines] Sane proverbialis locutio Graecorum est *Σκυθῶν ἐρημία*. Vide Hesychium s. v.

§. 25. *pinnas tantum habet*] *Pinnas* et hoc loco et paulo post edidit Modius, estque in codicibus integerrimis Flor. AB Bern. A Leid. Voss. 1. Vulgo *pennas*. Vide ad III, 7, 16.

Comprehendere non sinit] Desunt extrema verba duo in Leid. Bern. A Flor. BDFI, *non patitur* habent Flor. CEG, *patitur* Flor. H Bern. B Voss. 2. Nititur igitur vulgata lectio imprimis auctoritate Flor. A Voss. 1.

§. 26. *Semper esse te cogita*] Deest *te* in Flor. A Voss. 2, alio ordine, *te esse* Flor. CDEHI Bern. B. Sed *oblivisceris* non potui non recipere ex Flor. DEFGHI Bern. B Voss. 2 pro vulg. *obliviscere*.

§. 28. *cave credas*] *Cave ne credas* omnes libri nostri praeter Bern. A Flor. AB, et quin sic dicatur Latine dubium non est, sed tamen Curtius alibi *cave* cum solo coniunctivo coniungit.

§. 29. *qui pacta consignant*] Codd. plerique *facta*, ceteri Flor. DFGI *fata*. Quod vulgo editur *acta* ex coniectura Modii est, sed longe melius Bongarsius emendavit *pacta*.

§. 30. *habebis*] Sic margo Iunianae et Modius, cum antea fuisset *habes*, quod inventum est in Flor. CEGH Bern. B et miror tradi ab Snak. inventum esse etiam in Leid. Voss. 1. Puto errorem in ea re intercessisse.

Bactra nisi — contingimus] Bactra provinciae nomen sensu latiore quo etiam Sogdianum includit intelligit. *Ultra Tanain* Snak. dicit esse in Leid.

Thraciam colimus: Thraciae Macedoniam coniunctam esse fama est. Utrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse, considera.

36 Haec barbarus. Contra rex fortuna sua et consiliis IX
eorum se usurum esse respondet. Nam et fortunam, cui
confidat, et consilium suadentium, ne quid temere et auda-
cter faciat, secuturum. Dimissisque legatis, in praeparatas 2
rates xercitum imposuit. In proris clipeatos locaverat,
iussos in genua subsidere, quo tutiores essent adversus
ictus sagittarum. Post hos qui tormenta intenderent sta- 3
bant, et ab utroque latere, et a fronte circumdati armatis.
Reliqui, qui post tormenta constiterant, remigem loricam
indutum scutorum testudine armati protegebant. Idem ordo 4
in illis quoque ratibus, quae equitem vehebant, servatus est.
Maior pars a puppe nantes equos loris trahebat. At illos,
quos utres stramento repleti vehebant, obiectae rates tue-

Voss. 1, nosque invenimus notatum ex Bern. A, sed Florentini omnes *Tanaim* retinent, sed *et* addunt *(et usque ad Thrac.)* Flor. praeter AB omnes et Bern. B et quod miror etiam Leid. Voss. 1. Tum *collibus* mendose codd. omnes et edd. vett. usque ad Iunium, qui *colimus* de coniectura certissima et a reliquis recepta dedit. Denique *fama fert* Flor. DFGI Leid. Voss. 1 pro eo quod vulgo legitur *fama est*, quapropter Modius de more suo prorsus omisit.

Cap. 36, §. 1. *et consiliis eorum*] Corrupit regis festive et salse dictum Freinshemius recepta coniectura Rutgersii *consiliis suorum*. Gratias enim quasdam Alexander legatis agit quod utiliter se admonuissent, verumtamen se velle etiam fortuna sua uti. Languidum istud *suorum* nec satis dignum Alexandri magnitudine animi, qui suorum ducum se consiliis egere dicat. Inventum tamen est in codd. Pal. 1 Voss. 2 Flor. CFH Bern. B.

§. 3. *reliqui qui post torm. constiterant*] Videtur sic verum esse, et ediderat post Iunium Modius. Ed. princ. et codd. Leid. Flor. A *reliqui post eos qui tormenta constiterant*, alii Flor. CEH Voss. 2 Bern. B *reliqui post eos qui post tormenta*, Voss. 1 et Flor. D *reliqui post tormenta const.* In Bern. A videtur inventum esse *reliqui post eos torm. const.* sed *eos* a man. rec. in rasura est. Aldus quidem, repetito e prioribus verbo, *reliqui post eos, qui tormenta intenderent, constiterant.* Vides varietates et aberrationes librariorum, nam sunt etiam libri, qui, uti nunc editur, exhibent Flor. BFGI.

remigem loricam indutum] Non placent sane tres accusativi, verum hanc ob causam spernere non potui codd. meliorum lectionem *loricam indutum* pro vulg. *lorica indutum*. Nam haud raro Curtius hoc accusativo vestimenti utitur supra cap. 21, 16 et cap. 33, 3 *thoracem indutus*, et v, 20, 7 *pretiosissima vestium induti*, et VIII, 32, 24 *carbasa, quae indutus est*, quamquam etiam ablativo utitur, IV, 59, 27. V, 9, 20. VIII, 10, 36.

§. 4. *a puppe*] *a puppi* Flor. DEFGI. Mox pluralem verbi numerum *trahebant* Voss. 2 Flor. F.

stramento repleti] *Sarmento* de margine opinor Iunianae sumptum edidit Modius, cum supra cap. 21 ipse edidisset *stramentis refertos*. Nec codd. quicquam mutant.

obiectae rates] Sic recte edd. ex codicibus alias deterioribus: optimi mendose *obiecta erat*, unde librarii corri-

bantur. Ipse rex cum delectis primus ratem solvit, et in ripam dirigi iussit. Cui Scythae admotos ordines equitum in primo ripae margine opponunt, ut ne applicari quidem terrae rates possent. Ceterum praeter hanc speciem ripis praesidentis exercitus, ingens navigantes terror invaserat: namque cursum gubernatores, cum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant, vacillantesque milites, et ne excuterentur solliciti, nautarum ministeria turbaverant. Ne tela quidem conati nisu vibrare poterant, cum prior standi sine periculo, quam hostem incessendi cura esset. Tormenta saluti fuerunt, quibus in confertos ac temere se offerentes haud frustra excussa sunt tela. Barbari quoque ingentem vim sagittarum infudere ratibus. Vixque ullum fuit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforaretur.

Iamque terrae rates applicabantur, cum acies clipeata37
consurgit, et hastas certo ictu, utpote libero nisu, mittit e ratibus. Et ut territos recipientesque equos videre, alacres mutua adhortatione in terram desiluere. Turbatis acriter pedem inferre coeperunt. Equitum deinde turmae, quae frenatos habebant equos, perfregere barbarorum aciem. Interim ceteri agmine dimicantium tecti aptavere se pugnae. Ipse rex, quod vigoris aegro adhuc corpori deerat, animi firmitate supplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cervicis, sed dimicantem cuncti videbant. Itaque ipsi ducum fungebantur officio,

gendi opportunitatem nacti Flor. C *quae obiecta erant*, Flor. E Bern. B *obiecta aera* fecerunt.

§. 7. *conati nisu vibrare*] *Conati* virium contentionem in telis adigendis apte significat. *Nixu* vulgo editur, sed *nisu* Bern. A Flor. ABEG et quos Snakenb. contulit, unde Flor. CF Pal. 1 *nisi*, Flor. H Bern. B *ubi* fecerunt. Maiore etiam consensu paulo post inseq. cap. pro vulg. *nixu* scribitur *nisu*. Hanc formam video etiam doctis Livii editoribus placuisse.

Cap. 37, §. 9. *desiluere*] Sic h. l. de coniectura scribendum erat, quia aliis locis Curtius cum optimis scriptoribus ea forma utitur. Vide ad IV, 12 pr. Nam codices quidem plerique *desiliere*, reliqui *desilire* Flor. CE Voss. 2 sicut Modius edidit. Sed infinitivum in actione cito perfecta non puto locum habere.

§. 11. *corpori deerat*] Vulgo edunt *aegro adhuc corpore*, ablativis absolutis, sed tum vigor per se animi firmitati opponeretur, quod non convenit. Itaque *corpori* e plurimis optimisque libris Leid. Voss. 1 Flor. ADEFGI cum Modio recepi. Est etiam *vigori* in Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1, *vigor* in Flor. H Bern. B, sed haec sunt menda.

§. 12. *Itaque ipsi ducum fung. officio*] Adiectum legitur in editis *ipsi quidem*,

aliusque alium adhortati, in hostem salutis immemores ruere coeperunt. Tum vero non ora, non arma, non clamorem 13
hostium barbari tolerare potuerunt, omnesque effusis habenis (namque equestris acies erat) capessunt fugam. Quos rex, quamquam vexationem invalidi corporis pati non poterat, per LXXX tamen stadia insequi perseveravit. Iamque lin- 14
quente animo suis praecepit, ut donec lucis aliquid superesset, fugientium tergis inhaererent: ipse exhaustis etiam animi viribus, in castra se recepit, reliquum substitit. Trans- 15
ierant iam Liberi Patris terminos; quorum monumenta lapides erant crebris intervallis dispositi, arboresque procerae, quarum stipites hedera contexerat. Sed Macedonas ira 16
longius provexit: quippe media fere nocte redierunt, multis interfectis, pluribus captis, equosque M et DCCC abegere. Ceciderunt autem Macedonum equites LX, pedites C fere, mille saucii fuerunt.

38 Haec expeditio deficientem magna ex parte Asiam
fama tam opportunae victoriae domuit. Invictos Scythas esse crediderant; quibus fractis nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur. Itaque Sacae misere lega-

sed vix dixeris quam vim h. l. habeat ista particula. Nec codices sibi constant, in optimis *quod*, in ceteris *qui*, in paucis (Voss. 1 Dan.) *quid*, in nullo *quidem* legitur. Itaque delevi e vicinis vocibus quidquid hoc syllabarum est, ortum ratus. Sed *ducis* Flor. CH Bern. B, et *alius alium* (sine *que*) haud dubie correctionis causa Flor. EH Bern. B.

§. 13. *per* LXXX *tamen*] XXX Flor. DFGI Pal. 1, *per* omittunt Flor. H Bern. B Voss. 2. Iidem cum E §. 14 *etiam animi* omittunt, ex more suo amputantes quicquid potest.

§. 14. *reliquum substitit*] *Reliquum* adverbialiter positum pro *per reliquum tempus* me quidem non offendit, atque dictum puto ut *ceterum*, *plurimum*: etiam coniunctionis defectum fero in vocabulis *reliqui*, *ceteri*, *alii* usitatum. Freinshemius tamen *ibique substitit* legendum putavit sine specie verisimilitudinis.

§. 15. *crebris intervallis dispositi*] Nihil est, quod Flor. HI Bern. B habent *munimenta* pro monumentis, neque quod est in Flor. CH Bern. B *dispositis*. Crebris intervallis dispositi sunt ita dispositi ut multa eaque exigua intervalla fierent. Non est dubium quin hae sint *arae* cis Iaxartem a Plinio nat. hist. VI, 16 memoratae: nimirum series lapidum certis quibusdam intervallis positorum vetustarumque arborum speciem praebebat terminorum, ac re vera terminus videtur fuisse antiqui imperii, Bacchi quidem fuisse ex hederis verisimile est Graecos coniecisse. *Hedera contexerat*, scilicet incolae, Flor. DFI.

§. 16. *media fere nocte redierunt*] Additur vulgo *in castra redierunt*, quod facile subintelligitur et abest a plurimis optimisque codicibus, adeo ut non legatur nisi in Flor. DFGI qui cum Pal. 1 certam sectam mediam inter optimos et deterrimos constituunt. Tum *equosque mille et* DCCC in nostris omnibus praeter Flor. FGH est, vulgo MDCCC editur.

Cap. 38, §. 17. *Itaque Sacae*] Hi sunt ex ipsis Scythis proximi ad Iaxar-

tos, qui pollicerentur, gentem imperata facturam. Moverat eos regis non virtus magis, quam clementia in devictos Scythas: quippe captivos omnes sine pretio remiserat, ut fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de ira fuisse certamen. Benigne igitur exceptis Sacarum legatis, comitem Excipinon dedit, adhuc admodum iuvenem aetatis flore conciliatum sibi, qui cum specie corporis aequaret Hephaestionem, ei lepore haud sane virili par non erat. Ipse, Cratero cum maiore parte exercitus modicis itineribus sequi iusso, ad Maracanda urbem contendit, ex qua Spitamenes, comperto eius adventu, Bactra perfugerat. Itaque quatriduo rex longum itineris spatium emensus, pervenerat in eum locum, in quo, Menedemo duce, II milia peditum et CCC equites amiserat. Horum ossa tumulo contegi iussit, et inferias more patrio dedit. Iam Craterus, cum phalange subsequi iussus, ad regem per-

tem, vide supra ad c. 29, 2. *Sacae* autem primus recte scripsit Iunius, cum in codicibus et hic et post appellentur *Sagae*. Haec gens se pollicebatur *imperata* facturam. Nam sic omnes codices recte neque solent aliter veteres loqui; miror igitur unde in vulgares edd. venerit *mandata facturam*.

§. 19. *Excipinon*] Vulgo *Excipinum*, sed plerique codd. *excipi non*, nonnulli etiam *excepi non*, *exceptis non*, qui conIunctim scribunt Flor. DI *estipinen*, Flor. F *escipinen*, G *excipion* appellant. Non credo ne nunc quidem verum legi nomen, sed de terminatione certe constat. In Graeco nomine concursus latinarum litterarum *exc* ferri nequit.

adhuc admodum iuvenem] Adieci particulam *adhuc*, quoniam extat in libris metis omnibus, nec indigna est loco suo. Tum edd. principes et codices *et lepore haud non sane virili par non erat;* Aldus primus *et* eiecit, quod abest item a Flor. C. Postea Iunii audacia vulgaris lectio sic constituta est, ut esset *lepore haud sane illi par erat*. Sententia non multum discrepat, sed nihil impedit quominus omnia servemus sicut in libris sunt, modo *ei* corrigatur. Leporem haud sane virilem tribuit Hephaestioni, quo imprimis Alexandro placebat, ut amare etiam non diligere tantum videretur.

§. 20. *ad Marac. urbem contendit, ex qua*] Editur adhuc *ad Mar. urbem pervenit, ex qua*, sed in omnibus codd. et olim collatis et a me adhibitis verbum *pervenit* desideratur, nisi quod eodem loco Flor. E *contendit*, et Flor. G in fine *perfugerat*, *contendit* habent. Illud nunc recepi. Mirum etiam in omnibus libris mss. inventum esse *in qua*, praeter unum Flor. F qui quod necesse est *ex qua* exhibet. Denique vulgo est *cognito*, pro quo nos omnium codicum iussu *comperto* substituimus. Sed *Bactra*, quo Spitamenes fugisse traditur, non possunt esse illa cis Oxum sita, sed videntur esse in eadem Sogdiana ad inferiorem Polytimetum fuisse, τὰ βασίλεια τῆς Σογδιανῆς, quo iam antea recessisse Spitamenem Arrianus IV, 5, 4 tradidit. Τρυβάκτρα urbem in Sogdiana commemorat Ptolemaeus, quam urbem eandem esse cum regia Arriani et cum Bactris h. l. Droysenius in hist. Alex. p. 323 statuit. Eam quaere circa Bokhara, quae hodie appellatur.

§. 21. *in eum locum*] Erat is ad Polytimetum amnem, quemadmodum Arrianus tradidit IV, 5.

venerat. Itaque ut omnes, qui defecerant, pariter belli clade premerentur, copias dividit, urique agros, et interfici puberes iussit.

39 Sogdiana regio maiore ex parte deserta est: octin- X.
genta fere stadia in latitudinem vastae solitudines tenent. Ingens spatium rectae regionis est, per quam amnis, Poly- 2
timetum vocant incolae, fertur. Torrentem eum ripae in tenuem alveum cogunt; deinde caverna accipit, et sub terram rapit. Cursus absconditi indicium est aquae mean- 3
tis sonus, cum ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore. Ex captivis Sogdia- 4
norum ad regem xxx nobilissimi, corporum robore eximio, perducti erant: qui ut per interpretem cognoverunt, iussu regis ipsos ad supplicium trahi, carmen laetantium modo canere, tripudiisque et lasciviori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare coeperunt. Admiratus rex, tanta 5
magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos iussit, causam tam effusae laetitiae, cum supplicium ante oculos

§. 22. *interfici puberes*] Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB *pubes*.

Cap. 39, §. 1. *maiore ex parte*] Vulgo *maiori*, sed altera forma codices nostri omnes cum Leid. Voss. 1.

§. 2. *rectae regionis*] Terram dicit sicut supra c. 29, 4 in longitudinem, i. e. ab occidente orientem versus porrectam. Amnis est variis nominibus Kohik, Zarafchan, Sogd hodie appellatus, vide Ritter. Geogr. II, p. 571 (vet. edit.), ad quem capita provinciae sita sunt Bokhara et Samarkand, quae olim quoque videntur fuisse. Fertilitatem laetumque aspectum magnae illius convallis VIII dierum iter longae omnes certatim admirati sunt et veteres et recentiores: vide eiusdem Ritteri descriptionem l. l. Sed cum vulgo legatur *per quam amnis — fertur torrens. Eum*, nunc marginem edit. Iunianae et Modium secuti ex codd. Flor. DFGI scripsimus *Torrentem eum*. Flor. E *torrentem cum*. Nam quamvis *torrens* adiective cum amni coniungi possit, sicut VIII, 8 *praeterfluebat torrens amnis* et VIII, 37 *cingitur amni torrenti*, tamen et saepius *torrens* substantive legitur apud Curtium, et h. l. diremptio vocabulorum ingratum aliquid et affectatum habet.

§. 4. *laetantium modo*] Sic, non *more*, codd. omnes, marg. Iunianae et Mod. editio.

§. 5. *Admiratus rex*. Codd. nostri quidem omnes *admir. est rex*, sed coniunctio in sequentibus nulla est. Et miror aliquanto post, ubi nunc legitur *tum rex, quaero itaque* iterum in omnibus codicibus et edd. antiquis esse *rex, admiratus magnitudinem animi*, quod ab ipso scriptore profectum esse, non persuadeo mihi. Sed §. 7 *inquit*, quod in editis praeter Mod. additur post *Quaero itaque*, ob codicum in omittenda voce consensum delendum fuit; iusto enim liberaliores in hoc genere fere principes editores fuerunt. Vide Drak. ad Liv. XXIII, 45, 6. Curtius quidem omisit V, 8 extr. V, 22, 4. Etiam in oratione indirecta, quam vocamus, omitti nonnunquam *dicendi* verbum locus nostri scriptoris lib. 3 c. 30 extr. docet: *Leonnatus et vivere Dareum et ipsas — incolumes — fore*.

haberent, requirens. Illi, si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse respondent; nunc a tanto rege, victore omnium gentium, maioribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris laetitiaque celebrare. Tum rex: *Quaero itaque, an vivere velitis non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis?* Illi, nunquam se inimicos hosti fuisse respondent. Si quis ipsos beneficio, quam iniuria experiri maluisset, certaturos fuisse, ne vincerentur officio. Interrogatique, quo pignore fidem obligaturi essent? vitam, quam acciperent, pignori futuram esse dixerunt: reddituros, quandoque repetisset. Nec promissum fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, fide continuere populares; quattuor, inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem caritate cesserunt.

§. 8. *nunquam se inimicos hosti fuisse respondent*] Vulgata lectio est ab Aldo: *nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos hostes fuisse respondent*, quae sic invenitur in Flor. DFI Pal. 1 tantum quod *se* ante *inimicos* omittitur. In principibus Vind. et Merulae fuerat: *nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos se inimicos hosti fuisse*, quae eodem modo in Leid. et eodem fere, sed ita ut post *ei* addatur *esse*, in Flor. G exhibentur. Alii *sed bello lacessitos inimicos fuisse*, ut e Flor. liber C. Verum reliqui boni Bern. A Flor. AB Voss. 1 et praeter eos Flor. EH *nunquam se inimicos hosti fuisse*, sed in Flor. A et Voss. 1 ea quae huic lectioni ad similitudinem editionum principum et codicis Leid. desunt *ei sed bello lacessitos se inimicos* in margine leguntur. (Bern. B brevissime sed corrupte *nunquam hostes fuisse.*) Anceps igitur iudicium erit, velisne ita Leidensem sequi, ut cum Aldo vocem *inimicos*, tanquam e proximo repetitam, deleas, an contemptis quae in Flor. A et Voss. 1 ad marginem suppleta leguntur, breviorem ceterorum codicum lectionem probare. Atque hoc mihi quidem videbatur esse tutissimum. Dicunt igitur Sogdiani, se omnino bellum gerere solere non inimice, et cum Alexandro qui ipsorum hostis extiterit, nullas se privatas inimicitias habere.

§. 9. *interrogatique*] Dicit se hanc veterem lectionem mutasse Modius, et scripsisse *interrogantique*. Fecit hoc non ipse solus, sed ceteros etiam editores habuit obsequentes, male tamen, nam quod sequitur *dixerunt* melius coniunxeris cum nominativo, quam cum dativo, nec ulla ratio est cur codicum lectio, nostrorum quidem omnium praeter unum Flor. G (item Snakenb. trium praeterquam quod in Voss. 2 est *interrogati* sine copula) posthabeatur.

quandoque repetisset] *Quandoque* pro *quandocunque* dictum illustravimus in Gram. nostra lat. §. 288. Consentiunt autem h. l. optimi in breviore forma, cum IX, 26, 26 et X, 26, 10 plenior auctoritate Flor. AB contra Leid. Voss. 1 Bern A. defendatur. Etiam h. l. *quandocunque* est in Flor. CEGH Bern. B eodemque pertinet Voss. 2 mendosa scriptura *quamcunque*. Edd. vett. usque ad Mod. habent *quando*.

fide continuere populares] Praepositionem primus addidit Modius, cum nec in editionibus nec in codicibus antiquis legatur; codd. quidem aut *fide* aut *fidem* (Flor. CEHI Bern. B Voss. 2). Livius XXX, 20 *oppida Bruttii agri magis metu, quam fide continebantur*. Contra *in fide continere* nescio an nusquam dicatur, habet enim absonum aliquid. Pro eo quod est *ierant*, in Flor. DFGI est *erant*, quod haud spernendum videtur.

inter custodes corporis] Intelligendum

40 In Sogdianis Peucolao cum tribus milibus peditum 10
(neque enim maiori praesidio indigebat) relicto, Bactra pervenit. Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dareo poenas capite persoluturum. Iisdem fere diebus Ptolemaeus 11
et Menidas peditum tria milia et equites mille adduxerunt, mercede militaturos. Alexander quoque ex Lycia cum pari 12
numero peditum et D equitibus venit. Totidem ex Syria Asclepiodorum sequebantur: Antipater Graecorum VIII milia, in quis DC equites erant, miserat. Itaque exercitu aucto, 13
ad ea, quae defectione turbata erant, componenda processit, interfectisque consternationis auctoribus, quarto die ad flumen Oxum perventum est. Hic, quia limum vehit, turbidus semper, insalubris est potui. Itaque puteos miles coe- 14
perat fodere. Nec tamen humo alte egesta existebat humor; cum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tarde notaverant, subito extitisse finxerunt. Rexque ipse credi voluit, deorum donum id fuisse. Superatis deinde 15

videtur agema equitum amicorum (*τὸ ἄγημα τῶν ἑταίρων*) quae eadem est VI, 26 *prima cohors amicorum*, in quam receptum etiam puto Oxathrem, fratrem Darei, supra cap. 24.

Cap. 40, §. 10. *Bactra pervenit*] Arrianus IV, 7 Zariaspa regem venisse hibernaturum tradit, et adhuc vulgo creditum est, auctoribus quidem Strabone ac Plinio, unam esse urbem duplici nomine Bactra et Zariaspa. Sed vide Car. Mennium in Meletem. hist. Bonnae 1839 editis pag. 84 sqq. acute demonstrantem Zariaspa regiam illam Sogdianorum esse, quam supra attigimus ad cap. 39, trans Oxum, et illic hibernis actis Alexandrum ad Margianam subiiciendam contendisse. Contra illum disputat Mützell., neque nobis licet hoc loco utriusque rationes excutere: tantum dicimus, Mennianam operam in universum nobis magnopere probari.

§. 12. *ex Syria*] Sic Flor. cum Leid. et Bern. B omnes pro vulg. *e*. Post DC *equites* omnes mss. non D.

§. 13. *consternationis auctoribus*, i. e. tumultus, seditionis, ut lib. V, 28, 8; lib. VIII, 3, 24; lib. X, 10, 21 et Sueton. Caes. c. 20. Hos locos laudavit Cellarius, adde Tacit. hist. IV, 50.

insalubris est potui] Delevi *et* in principio, quia deest in optimis et mutata verborum coniungendorum ratione potest abesse. Sed *potui* omnes codices nostri, qui quidem habent (nam omittunt Flor. H Bern. B et Voss. 2 sic: *insal. est puteos itaque*) et vix credo Snakenburgio in uno Leid. esse *potus*. Sed quam vere nostri nescio, neque enim quia sequitur vocalis i, certa est librorum auctoritas. Apud Plin. nat. hist. VI, 32 *aqua potui iucunda* legitur, quamquam similis est consensus, sed Livius XLV, 30, 2 habet *divisui facilis*, et tuetur Drakenborchius. Vulgata scriptura h. l. *potu* ab Hadr. Iunio est, proba quidem per se, sed auctoritate librorum destituta.

§. 14. *cum in ipso*] Codd. omnes *tamen*, edd. veteres ante Iunium *tum*. Inde puto apparere corruptionis causam, nam *cum* longe optimum videtur.

deorum donum id fuisse] Vulgo *donum dei id fuisse*, quod in uno libro Flor. G extat. Quod nos dedimus est

amnibus Ocho et Oxo, ad urbem Marganiam pervenit. Circa eam VI oppidis condendis electa sedes est: duo ad Meridiem versa, quattuor spectantia Orientem, modicis inter se spatiis distabant, ne procul repetendum esset mutuum auxi-
3 lium. Haec omnia sita sunt in editis collibus, tum velut freni domitarum gentium, nunc originis suae oblita serviunt, quibus imperaverunt.

I. Et cetera quidem pacaverat rex. Una erat petra, quam 41
Arimazes Sogdianus cum XXX milibus armatorum obtinebat, alimentis ante congestis, quae tantae multitudini vel per
2 biennium suppeterent. Petra in altitudinem XXX eminet stadia, circuitu C et L complectitur. Undique abscisa et
3 abrupta, semita perangusta aditur. In medio altitudinis spatio habet specum, cuius os artum et obscurum est; paulatim deinde ulteriora panduntur; ultima etiam altos recessus habent. Fontes per totum fere spatium manant, e quibus collatae aquae per prona montis flumen emittunt.
4 Rex, loci difficultate spectata, statuerat inde abire; cupido

in Flor. DEFI Pal. 1 nec multum abeunt Flor. H Bern. B in quibus *deum donum*. Ex utraque scriptura intelligitur unde factum ut in codd. ceteris vox *deorum* vel *dei* omissum fuerit.

§. 15. *Ocho et Oxo ad urbem Marganiam*] Ochus qui sit nescimus nec rem expedit Ritterus in geogr. Tom. II, p. 514 sq. edit. vet. (in nova nihil ea de re invenio). Codicum alia varietas non est nisi quod Flor. CH pro *Oxo* notantur habere *Meo*, Bern. B autem inverso ordine *Oxo et Meo*. Urbem editi quidem adhuc scribunt *Marginiam*, sed Flor. C *Marginum*, DEFGI Pal. 1 Voss. 2 et qua re imprimis moveor Leid. *Marganiam*. Hanc scripturam praeferendam putavi, nam significari regionem Margianam fertilissimam et amoenam Bactrianae ad Occidentem inter Parthienen et Arienen et Oxum sitam veterum ac recentiorum communis est opinio. Amnis qui eam regionem irrigat appellatur Ptolemaeo et Plinio *Margus*, (hodieque Murghab,) sed fortasse Curtio Ochus est, fortasse etiam secundum Bern. B *Oxo et Ocho* scribendum, ut prius Oxum dein ad ipsam urbem Ochum superasse dicatur Macedonum exercitus.

inter se spatiis] Sic perite emendavit Iunius: codices enim omnes et priores editiones *inter se stadiis*.

Cap. 41, §. 2. *undique abscisa*] Vulgo *abscissa*, quam ego formam nullam esse puto. Et Snakenb. libri Leid. Voss. 1 *abscisa*, item Bern. A, e Florentinis nihil enotatum est, sed forte credo, non consulto factum esse. Flor. certe Heinsii et ipse *abscisa* exhibere dicitur.

§. 3. *ulteriora panduntur*] Codd. Bern. AB Flor. BCEH Voss. 2 edit. Mer. *ad ulteriora*.

per totum fere spatium] Unus tantum nostrorum Flor. G habet quod post Modium editores praetulerunt, *per totum fere specum*, ceteri nostri et Snakenburgiani (praeter Voss. 2 qui siletur) *spatium*, quod de montis altitudine intelligendum. Rivi in specu manantes locum non sane aptum fecissent incolentibus. *Fere* abest a Flor. CDEH Bern. B Voss. 2.

deinde incessit animo, naturam quoque fatigandi. Prius 5
tamen quam fortunam obsidionis experiretur, Cophen (Artabazi hic filius erat) misit ad barbaros, qui suaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus superbe multa respondit, ad ultimum, an Alexander volare posset? interrogat. Quae nuntiata regi, sic accendere animum, ut adhi- 6
bitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam barbari, eludentis ipsos, quia pinnas non haberent. Se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare. *Trecentos*, inquit, *pernicissimos iuvenes ex* 7
suis quisque copiis perducite ad me, qui per calles et paene invias rupes domi pecora agere consueverant. Illi praestantes 8
et levitate corporum et ardore animorum strenue adducunt, quos intuens rex, *Vobiscum*, inquit, *o iuvenes et mei aequales, urbium invictarum ante munimenta superavi, montium iuga perenni nive obruta emensus sum, angustias Ciliciae intravi, Indiae sine lassitudine vim frigoris sum perpessus. Et mei documenta vobis dedi, et vestra habeo. Petra, quam videtis,* 9
unum aditum habet, quem barbari obsident, cetera negligunt: nullae vigiliae sunt, nisi quae castra nostra spectant. Invenie- 10
tis viam, si sollerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti.

§. 5. *Cophen* dedi cum Modio pro vulg. *Cophan*, quia nominativus infra est *Cophes*, item *Cophen* c. 43 bis legitur in mss. paulo certius quam hoc loco, ubi plerique habent *Cophan*, Bern. B *Copham*, Pal. 1 et Flor. E *Cophen*.

an Alex. volare posset] Sequitur *interrogat*, sed hoc non debuit eo valere, ut contra libros manuscriptos *possit* corrigeretur, sicut factum est in editis. Aliquot tamen codd., nostrorum Flor. DFI, *an Alex. etiam volare possit*, G *etiam vol. posset.*

§. 6. *quia pinnas non haberent*] *Pinnas* Flor. A Bern. A Leid. Voss. 1. Cf. ad c. 35, 25.

§. 7. *agere consueverant*] Sic codices omnes, item editiones principes Vind. et Merulae. *Consueverint* Aldus correxit ceteris tacito probantibus. Indicativus ponitur eadem ratione in oratione pendente ut VIII, 11, 7.

§. 8. *invictarum ante munim.*] Codd. Flor. DFGI et edit. Mod. *invictarum ante me munimenta.*

et vestra habeo] *Vestra* ad unum omnes libri nostri editionesque veteres, donec Acidalius, cum genitivus *mei* praecessisset, censuit exaequandum esse *et vestri habeo.* Quod ut non vituperamus, ita necessarium non putamus.

§. 10. *aditus ferentes ad cacumen*] Editur adhuc antique *ferentis*, et sic est sane in codicibus praeter Flor. DEL. Nos cum antiquam scripturam in reliquis restituere non possimus, ne vestigia quidem dispersa in textu servare operae pretium putamus, sed indicamus. Ceterum quae confusio earum terminationum in mss. esse soleat disce ex app. VII, 42, 18.

periendo quae ceteri desperaverunt, Asiam habemus in pote-
te. Evadite in cacumen, quod cum ceperitis, candidis velis
num mihi dabitis: ego copiis admotis hostem in nos a vobis
vertam. Praemium erit ei, qui primus occupaverit ver-
m, talenta X, *uno minus accipiet, qui proximus ei vene-*
eademque ad decem homines servabitur portio. Certum
em habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam
untatem.

His animis regem audierunt, ut iam cepisse verticem42
lerentur. Dimissique ferreos cuneos, quos inter saxa
igerent, validosque funes parabant. Rex circumvectus
ram, qua minime asper ac praeruptus aditus videbatur,
unda vigilia, quod bene verteret, ingredi iubet. Illi,
nentis in biduum sumptis, gladiis modo atque hastis
nati subire coeperunt. Ac primo pedibus ingressi sunt:
nde ut in praerupta perventum est, alii manibus emi-
ıtia saxa complexi levare semet; alii adiectis funium
ueis evasere, cum cuneos inter saxa defigerent, gradus

xperiendo quae ceteri desperaverunt] *peraverint* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. t edit. pr. Mer. Ald., *desperaverant* r. E. Nos *desperaverunt* probamus, a facta non quae fieri possint significat, udicium nostrum imprimis Flor. AB toritate tuemur.

. 12. *accipiet*] Servavimus hanc edi- ium scripturam respondentem prae- so *praemium erit*, quamquam *acci-* est in Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. CEGH.

ervabitur portio] *Portionem* et hoc et aliis significare quam recentiores nt *proportionem* docuit Snakenbur- . Tu confer lexica haud parum mplorum suppeditantia. Nam vox posita *proportio* apud veteres qui- usu non videtur invaluisse. Fin- illam se dicit Cicero de Universit. ad exprimendam Graecorum *ἀνα-* *ταν*, habetque idem eod. libro c. 7 Varro de L. L. lib. x. init. Sed in ulari oratione fugiunt, nam apud Cic. err. IV, 21 legendum est *fuisse alin-* *do apud Siculos peraeque pro por-* *e cetera.*

Cap. 42, §. 15. *levare semet*] Vulgo secundum Flor. DFI *levavere*, quod erunt qui ob intelligendi ambiguitatem unice verum existiment. Sed codd. tamen reliqui omnes et editio Modiana *levare:* nec illa ambiguitas alibi timetur, ut IV, 37, 14 *videre.*

cum cuneos — defigerent, gradus subinde, quis insisterent] Locus in edd. principibus talis exhibetur, ut est in codicibus omnibus: *quibus cum cuneos inter saxa defigerent, gradus subinde quis insisterent.* Vulgaris lectionis Aldus auctor est, deleta voce *quibus* et ordine verborum in sequentibus mutato: *cum cuneos — defigerent, quis subinde gradus insisterent. Quibus* et ipse delevi, pro varietate alteri formae *quis* adscriptum ratus. Sed reliqua non possunt explicari quibus iuvenes subinde insisterent gradus, ut gradus dicantur pro vestigiis, sive pedibus. Nam nec hyperbaton illud tolerabile est, nec *insistere* transitivam vim habet ponendi. Quod exemplum laudat Cellarius Vergilii in Aen. XI, 573 *Utque pedum, primis infans vestigia plantis Institerat* et poëticum

subinde, quis insisterent. Diem inter metum laboremque consumpserunt. Per aspera nisis duriora restabant, et 16
crescere altitudo petrae videbatur. Illa vero miserabilis erat facies, cum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex praecipiti devolverentur. Mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. Per has tamen difficultates 17
enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris affecti, quidam mulcati parte membrorum; pariterque eos et nox et somnus oppressit. Stratis passim cor- 18
poribus in inviis et in asperis saxorum, periculi instantis obliti in lucem quieverunt: tandemque velut ex alto sopore excitati, occultas subiectasque ipsis valles rimantes, ignari in qua parte petrae tanta vis hostium condita esset, fumum specus infra se ipsos evolutum notaverunt. Ex quo intel- 19
lectum, illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuere quod convenerat signum; totoque e numero duos et xxx in ascensu interisse agnoscunt.

est et poëtice explicandum: cum primum infans plantis insistere coepit ita ut vestigia fierent. Atque omnino *insistere aliquid* ubicunque a poëtis dicitur, accusativus pro dativo eius rei est, quae calcatur, non est accusativus rei quae movetur ut puta pedes. Itaque Freinsh. scribendum esse contendit *cuneis defigerent gradus*, i. e. cuneis in saxo figendis gradus facerent. Sed praeterquam quod invitis libris corrigendum est, displicet φράσις ista *defigere gradus*. Nec Schefferiana ratio cuiquam probabitur qui cum *gradu* scribendum censuisset pro eo quod est *gradus*, *quibus gradu insisterent* coniungit quasi quibus gradatim insisterent. Atque restat hyperbaton, cuius nulla causa excogitari potest. Itaque cum Schmiedero *gradus subinde* appositionis loco intellige dictum ad *cuneos*, qui enitentibus in altum quasi gradus, spatio interiecto, essent, quibus insisterent. Hoc significare voluimus virgula ante et post verba *gradus subinde* posita.

§. 16. *per aspera nisis*] Ed. princ. *enisis*, Aldus et Iunius et reliqui *enixis*, contempto Modio qui denuo *enisis* protulerat. Cf. ad VII, 36, 7. Codices plerique *nisi* Leid. et Flor. A a pr. m. *nisu*, Flor. DEG *enisi*, Flor. F Pal. 1 *emersi*, Flor. H Bern. B Voss. 2 *ubi*, unus Flor. I *enixi*. Sed vides dativum casum in nullo esse: ac fortasse males verbum ad praegressum colon retrahere. Non equidem. Describit animi affectus iuvenum dum in altum nituntur per integrum diem.

§. 17. *mulcati parte membrorum*] Olim edebatur *mutilati*, tum *multati*, sed ex optimis codicibus edendum est *mulcati*, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A aliis minus memorabilibus. Vide supra ad V, 18, §, 14 ubi verum esse docuimus *maiore membrorum parte mulcatos*. Nam illic, quemadmodum ubique, *multari* de damno poenae causa imposito dicitur, hoc autem loco de membris contusis, fractis ruptisque φυσικῶς sermo est. Itemque sic est VIII, 41.

§. 19. *ex quo intellectum*. Delevimus quod vulgo additur *est*, quia codices nostri omnes condemnant: Bern. A et Leid. *intellectam*, Voss. 1 *intellecta* mendose.

interisse agnoscunt] Inde ab Aldo editur vulgo *cognoscunt*, contra codicum

Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vice eorum, 43
quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Noctu demum, cum obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satis clara luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas coeli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito. Verum ut liquidior lux apparuit coelo, dubitatio exempta est; vocatumque Cophen, per quem barbarorum animos temptaverat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent: sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo iussit, qui ceperant verticem. Cophes admissus suadere coepit Arimazi

plurimorum fidem, neque enim legitur nisi in Flor. FGI Bern. B. Restitui igitur quod et auctoritate longe praestat et vero etiam ipsa re. Cognoscimus enim quae ignoravimus, agnoscimus quae sparsa antea menti obversata uno quasi conspectu intelligimus. Sic h. l. perisse nonnullos omnes sciebant, sed collecti in unum quot deessent tum primum agnoscebant. Numerus CCXXXX in Flor. C, CC et XXX in Flor. EGH Bern. B, exhibetur, itemque ex Voss. 2 *ducenti* notatur.

Cap. 43, §. 20. *quam vice eorum — sollicitus*] Causa difficilis ad diiudicandum, utrum *vice* an *vicem* scribi malis. Et *vice* quidem edd. antiquae et codices meliores Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 adde Pal. 1 tuentur, Flor. B *voce*, duo Flor. FG et Bern. B *vitae*. *Vicem* et ceteri codd. habent et usus sermonis unice videtur defendere. Nam solet ille accusativus, non solum cum verbis, animi commoti affectionem significantibus, sed etiam cum adiectivis coniungi. Vide I. Fr. Gronovium ad Livium I, 9, 15 et 25, 6. Sic Liv. VIII, 35 init. *suam vicem magis anxios, quam eius, cui auxilium ab se petebatur*. Lib. XLIV, 3 *sollicito consuli et propter difficultatem, et eorum vicem, quos praemiserat*. Ipse Curtius VII, 6 *moestus non suam vicem sed propter ipsum periclitantium fratrum*. Ver umtamen cur id fieri necesse sit, ut non etiam *vice* locum invenire possit parum intelligo. Ut igitur Drak. apud Liv. I, 25 *exanimes vice unius* ob codd. consensum retinuit, sic mihi h. l. propter meliorum librorum auctoritatem idem videtur tuendum esse.

§. 21. *ne falleretur acies*] Nota usum coniunctionis *ne* ad dubitandi verbum quasi ad metuendi applicatae, cuius aliud exemplum non notavi.

nunc internitente — fulgore, nunc condito] Sic Freinsh. ex Pal. 1 et Bong. 1 edidit, cum antea fuisset *varietas coeli tunc internitente lucis fulgore conditi*. Consentiunt Flor. DF, ceteri olim vulgatam tuentur. Sed qua ratione coelum internitente lucis fulgore *conditum* dici possit, non intelligo. Contra ut h. l. sic VIII, 14 *nunc internitente luce, nunc condita*.

§. 23. *Cophes admissus*] Primum *Cophes* edit. princ. et Modiana, pro quo Aldus *Cophas* dedit, et ad reliquos propagavit. *Cophes* autem in melioribus et pluribus, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCEGH, *Cophos* Bern. B, ceteri *Cophas*. Tum *admissus* mihi quidem verum videtur esse, quia affert aliquid novum, cum altera lectio *ad eos missus* nihil nisi repetit quod iam legimus. Sed *ad eos missus* longe certiorem auctoritatem habet, *admissus* in edit. pr. est ac deinde a Modio commendatur secundum codices Flor. DFI (etiam Bong.

petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione haerere non coëgisset. Ille, ferocius superbiusque quam antea locutus, abire Cophen iubet. At is prensum manu barbarum rogat, ut secum 24
extra specum prodeat: quo impetrato, iuvenes in cacumine ostendit, eius superbiae haud immerito illudens: pinnas habere ait milites Alexandri. Iamque e Macedonum castris 25
signorum concentus et totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraque belli vana et inania, barbaros ad deditionem traxit. Quippe occupati metu paucitatem eorum, qui a tergo erant, aestimare non poterant. Itaque Cophen 26
(nam trepidantes reliquerat) strenue revocant, et cum eo xxx principes mittunt, qui petram tradant, et ut incolumibus abire liceat, paciscantur. Ille quamquam verebatur, ne 27
conspecta iuvenum paucitate deturbarent eos barbari, tamen et fortunae suae confisus, et Arimazi superbiae infensus, nullam se condicionem deditionis accipere respondit. Ari- 28
mazes, desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisque gentis suae descendit in castra: quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petrae

2 appellatur apud Snak., sed Bernenses ambo non addicunt) pertinet huc etiam Voss. 1 *amissus*.

gratiam regis inituro] Omnes Snak. libri *inituri* et de nostris Bern. uterque Flor. ACE, ceteri tamen et edd. princ. ut necesse est *inituro*. *Regis* omitt. in Flor. B.

§. 24. *prensum manu*] Sic scribitur in codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB id est omnium optimis, quorum consensum noli contemnere prae vulgata *prehensum*. Cf. ad v, 37, 20.

eius superbiae — illudens] *Eius* in omnibus codicibus est, quorum notitiam habemus, itemque in edd. vett. donec Modius tacito dedit *eiusque*, quem recentiores secuti sunt. Non reprehendo, sed tamen, si voce adiuves, ut *nam* aut *scilicet* intelligatur ad insequens colon, codicum scripturam puto servari posse. Tum *pinnas habere ait* dedimus eo ordine verborum, quo nostri omnes et *pinnas*, sicut supra, ex optimis. Snak. in suis tradit esse *pinnas habere milites ait*. Non credo.

§. 25. *Iamque e Mac. castris*] Abest praepositio a plerisque libris mss. sed facile potuit concursu oblitterari et defenditur Florentinis BE.

§. 26. *et ut incolumibus*] Edd. vett. *et incol.* Mod. *ut incol.* Sed recte codices utramque particulam coniungunt praeter Voss. 2 Bern. B Flor. EH in quibus *ut* excidit. *Incolumes* Voss. 2 Flor. C.

§. 27. *superbiae infensus*] Vox *infensus* omissa est in Bern. A et Flor. ABCFG item in Snakenburgianis libris, sed carere ea non possumus, et extat in ceteris Flor. Tum *respondet* Flor. CFGI.

29 crucibus iussit affigi. Multitudo dediticiorum incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est: Artabazus in petrae regionisque, quae apposita esset ei, tutela relictus.

§. 29. *multitudo dediticiorum*] Flor. CDEFGI Bern. B Voss. 1. 2 *deditorum*, sed optimi tamen vulgatam tuentur. Mox *Artabazes* Bern. AB Leid. Voss. 1.

quae apposita esset ei] Acidalius coniunctivo *esset* offensus, correxit *est*, male, nam possunt ac debent verba ista quasi regis intelligi, praefecturae terminos destinantis. Extremum verbum *relictus* sic est in mss. omnibus, sed editiones veteres et Mod. eadem constantia addunt *est*. Non est autem dubium, quin scriptorem gravi verbo concludere voluisse existimemus.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER VIII.

ARGUMENTUM.

(1) Alexander divisis copiis rebelles persequitur: Spitamenes cum exulibus Bactrianis, assumptis in auxilium Dahis et Massagetis, Attinam praefectum Macedonum in insidias perductum interficiunt, sed a Cratero adventante opprimuntur. Alexander Maracanda redit, ibique legationes Scytharum audit, Phrataphernem regem Chorasmiorum in fidem accipit. Inde Bazaira proficiscitur, (2) ubi in maximis vivariis cum toto exercitu venatur, et leonem ipse solus occidit, quod ne posthac facere possit, decreto Macedonum sancitur. (3) Maracanda reversus Clitum Artabazi iam senioris loco provinciae Bactrianae praefuturum, priusquam dimitteret, sollemni convivio adhibet. Ibi multa de se gloriatus Philippi rerum gestarum gloriam elevat. (4) Qua re irritatus Clitus non modo defendere Philippum, sed ipsius etiam Alexandri actis illudere coepit, (5) nec dum abstrahitur a convivis linguae parcit, quin etiam aperta convicia iacit. Exiluit Alexander raptaque lancea, frustra retinentibus amicis, in vestibulum procurrit et egredientem Clitum transfixit. (6) Subita poenitentia percitus semetipse interimere conatur, prohibitus per triduum inclusus et ad moriendum obstinatus iacet, donec milites vi irrumpentes ut vivere velit precibus cogunt. (7) Dimisso Hephaestione ad commeatum in hiemem anni 328 — 327 a. Chr. parandum, et satrapa in locum Cliti constituto Amynta, ipse Xenippa proficiscitur. Bactriani exules pugna cum Amynta facta pelluntur, veniam tamen defectionis impetrant. (8) Alexander in regionem, quae Nautaca appellatur, pervenit, cuius aditum Sysimithres praefectus muniverat. Perrupit tamen rex, sed cum voragines superandae etiam essent, (9) Oxarten misit, qui Sysimithri persuaderet, ut petram traderet. Diu cunctatus Sysimithres regis potestati sese permisit, et imperium recepit. (10) Inde ceteros rebelles cum equitibus tanta celeritate persecutus est, ut plerique pueri nobiles deficerent: unus Philippus pedibus cursum regis aequavit pugnavitque fortiter, sed fusis hostibus propter nimiam contentionem virium illico collapsus extinctus est. Item Erigyius, vetus dux, morbo decessit. (11) Priusquam rex

Dahas, apud quos versari Spitamenem compererat, peteret, ille ab uxore sua perpetuam fugam aegre ferente interficitur. (12) Cuius caput afferens mulier spe praemiorum ab Alexandro accipiendorum excidit. (13) Dahae Artaphernem tradunt, seque ipsi regis potestati submittunt. Satraparum in suis cuiusque provinciis iniuriae vindicantur. (14. 15.) Exeunte hieme *(post initium a. a Chr. nat.* 327.) Alexander regionem, quae Gabaza appellatur, aditurus a tam atroci tempestate opprimitur ac frigore, ut mille homines interierint, exercitus tamen a Sysimithre opportune adiuvatur. Sagorum *(ignotae nationis)* regio vastatur. (16) Inde ad eam regionem venit, cui Oxyartes praeerat, qui cum regis fidei sese permisisset, convivium apparat, in quo Alexander Roxanes, illius filiae, amore ita capitur, ut iustis nuptiis eam sibi adiungat uxorem.

(17) Tota provincia pacata, *(Bactra reversus)* cum cogitationes ad bellum Indicum vertisset, triginta milia militum e Persis conscribi iussit, ipse etiam Persarum more non a barbaris solum, sed a Macedonibus adorari voluit. (18) Itaque in sollemnibus epulis, cum rex discessisset, ex composito Cleo Siculus convivas hortari coepit, ut Alexandrum divinis honoribus colerent. (19) Respondet illi pro ceteris Callisthenes Olynthius gravi ac salsa oratione, (20) qua consensu plurimorum approbata, rex aegre ferens ab incepto desistit, ceterum Polypercontem *(Leonnatum tradit Arrianus* 4, 12) quod barbaros humi procumbentes irrisit, graviter castigat. (21) Puerorum regiorum *(Pages Galli et nostri Gallorum imitatores appellant)* coniuratio fit, cuius initium ex eo, quod rex Hermolaum verberibus affici iusserat. Huic iniuriam conquerenti persuadet Sostratus ut de rege occidendo coniurent. Assumptis septem aliis *(quattuor Arriano auctore)* rem callide instituunt, (22) sed cum in eo essent, ut facinus perpetrarent, admonitione cuiusdam anus fatidicae Alexander eorum insidiis subtrahitur. (23) Et illi quidem rem differunt, sed Epimenes, unus ex coniuratis, repente mutatus Eurylocho fratri quid pararetur indicat, qui eadem nocte cum illo in regiam accurrit remque defert ad Alexandrum. Coniurati comprehensi vinciuntur. (24) Advocato consilio, producti sine mora confitentur, et Hermolaus, cur facinus suscepisset dicere iussus, regis crudelitatem accusat, (25) superbiam etiam et studium morum peregrinorum exprobrat. (26. 27. 28.) Defendit se rex, et primum crudelitatis, deinde avaritiae ac superbiae crimen refellit, ostenditque quantopere rebus ipsorum conducat, Iovis se filium a barbaris credi, metu denique supplicii propinquos reorum liberat. (29) Poena irrogatur damnatis, sumitur etiam de Callisthene, quod pueros regis odio implesse dicebatur.

(30) *Vere exeunte a. a. Chr. nat.* 327. Bactris movet in Indiam. Eius terrae situs, amnes, coelum describuntur, (31) fructus recensentur, de hominum moribus, (32) imprimis de regum luxurie exponitur, (33) singulares opiniones sapientum ceteraque instituta gentis traduntur. (34) Indorum cis Indum reguli occurrunt sese dedentes, quibus in fidem receptis, rex, Hephaestione cum parte copiarum recto itinere ad Indum pontemque in eo faciendum praemisso, ipse regionem montanam trans Cophenem amnem *(hodie Cabul)* peragrans gentes imperium detrectantes aggreditur, et primam quidem urbem vi captam diruit. (35) Mox ad Nysam urbem venit noctu: incolae post brevem obsidionem sese dedunt, deo apud ipsos nato confidentes. (36) Rex cum toto exercitu per nemora dissoluto in honorem Liberi Patris plures dies festos agit. (37) Inde ad regionem Daedala et urbem Acadira *(Arriano non memoratas)* pervenit, ab incolis desertas; divisis copiis multae urbes expugnantur: Coeno in obsidione urbis Beirae *(apud Arrianum τὰ Βάζιρα vocatur)* relicto, Alexander Mazagas venit, urbem altissima fossa muroque munitam. Quae munimenta dum perlustrat vulneratus dolorem magno animo fert. (38) Repletis fossis, cum machinae admoverentur, Cleophis regina urbem seque dedit et veniam impetrat.

(39) Mox Polypercon Noram capit (*τὰ Ὦρα apud Arrianum*), Alexander Aornin petram, ad Indum sitam, oppugnare statuit. Perducuntur Macedones in cacumen oppositum illi quod obsederant barbari. Voragines explentur, (40) ipse rex cum leviter armatis per rupes amni impendentes in verticem nititur, sed incepto desistere cogitur. (41) Veruntamen pertinacia eius victi barbari petram noctu deserunt effusa fuga. Inde Alexander, pulsis qui itinera obsidebant Indis, Ecbolima venit, (42) hinc ad eum locum, ubi pons in Indo flumine praeparatus erat. Omphis, rex inter Indum et Hydaspen amnes, Alexandro occurrit, se suaque fidei eius permittens. (43) Alexander eum et restituit in regnum et regium nomen Taxilen sumere iubet, dona etiam, quae ipsi obtulerat, multiplicata reddit, murmurantibus quibusdam Macedonum. (44) Abisares, ultra Hydaspen regulus, *(Arrianus montanorum Indorum dicit)* legatis missis, sese dedit. Barzaentes et Gamaxus rebelles vincti adducuntur. Porus autem clarissimus in ea regione rex, spreta deditione, in ulteriore Hydaspis ripa cum exercitu consederat, Macedones transitu prohibiturus. (45) Et amnis profundus et armati ripae praesidentes terrent Macedones, quorum iuvenes nonnulli, blandiente successu temerarii facti, ab Indis opprimuntur. (46) Nihilo minus Alexander tempestate adiutus clam hostibus amnem traiicit. (47) Quo comperto Porus primum equites et quadrigas agmini appropinquanti obiicit, sed curruum auxilium irritum fit. (48) Tum elephantos peditesque inducit. Alexander cum ducibus copiarum quid fieri vellet imperasset, ipse primus cum equitatu rem gerit. (49) Indi turbati ac disiecti pugnant, maximum certamen circa Porum ipsum et elephantos consistit. (50) Ceteris elephantis in fugam aversis, Porus destitutus pertinaciter tamen de suo dimicat, donec et ipse fugere coactus, acceptis multis vulneribus, in terram delapsus capitur. (51) Cuius animi magnitudinem Alexander admiratus eum inter amicos recipit, et ampliore etiam regno, quam habuerat, donat.

1 Alexander maiore fama quam gloria in dicionem redacta petra, cum propter vagum hostem spargendae manus essent, in tres partes divisit exercitum. Hephaestionem uni, Coenon alteri duces dederat: ipse ceteris praeerat. Sed non 2
eadem mens omnibus barbaris fuit. Armis quidam subacti; plures ante certamen imperata fecerunt, quibus eorum, qui in defectione perseveraverant, urbes agrosque iussit attribui. At exules Bactriani cum DCCC Massagetarum equitibus pro- 3
ximos vicos vastaverunt. Ad quos coercendos Attinas, regionis eius praefectus, CCC equites, insidiarum, quae parabantur, ignarus, eduxit. Namque hostis in silvis, quae 4
erant forte campo iunctae, armatum militem condidit, paucis propellentibus pecora, ut improvidum ad insidias praeda

Lib. VIII, Cap. 1, §. 3. *Massagetarum equitibus*] Hoc ordine omnes libri nostri et Snakenburgii Voss. 1. 2 (quasi desit Leid. quod non credo), inverso vulgati.

perduceret. Itaque incomposito agmine solutisque ordinibus Attinas praedabundus sequebatur; quem praetergressum silvam, qui in ea consederant, ex improviso adorti, cum omnibus interemerunt. Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata est; qui cum omni equitatu supervenit: et Massagetae quidem iam refugerant, Dahae mille oppressi sunt: quorum clade totius regionis finita defectio est. Alexander quoque, Sogdianis rursus subactis, Maracanda repetit. Ibi Berdes, quem ad Scythas super Bosporum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit. Phrataphernes quoque, qui Chorasmiis praeerat, Massagetis et Dahis regionum confinio adiunctus, miserat, qui facturum imperata pollicerentur. Scythae petebant, ut regis sui filiam matrimonio sibi iungeret: si dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus suae gentis connubio coire pateretur: ipsum quoque regem venturum ad eum pollicebantur. Utraque legatione benigne audita, Hephaestionem et Artabazum opperiens, stativa habuit: quibus adiunctis, in regionem, quae appellatur Bazaira, pervenit.

Barbarae opulentiae in illis locis haud ulla sunt maiora 2
indicia, quam magnis nemoribus saltibusque nobilium fera-

§. 4. *praeda perduceret*] Omittunt *praeda* Flor. DFI et edit. Modiana.

§. 5. *qui in ea consederant*] *in eam consiederant* Leid. Flor. AEH Bern. B, *consiederant* etiam Voss. 1. 2 Flor. DFI.

§. 6. *finita def. est*] Vulgo omittitur *est* secundum Bern. A Flor. B, sed additur in reliquis mss. et edit. Mod.

§. 8. *qui Chorasmiis praeerat*] Regem *Chorasmiorum* dicit Arrianus IV, 15, sed omine *Φαρασμάνην* appellat, cf. etiam Strab. XI, p. 513, qui Chorasmios eiusdem gentis ac Massagetas Sacasque, ad quos Spitamenem fugisse tradit. Hinc non difficile fuit Radero restituere h. l. *Chorasmiorum* nomen, cum in mss. sit *qui choras* (al. *coras*) *praeierat* (al. *praeerat*) et a Vindel. editum *qui choras praeerat*, ab Aldo et Iunio, eiecto mendoso verbo, *qui praeerat Massagetis — adiunctis*, a Modio coniectura uso *qui praeerat Choris — adiunctis*.

§. 9. *ipsum quoque regem*] Bern. A *ipsum regem quoque*, Leid. Voss. 1 Flor. AC *ipsum regum quoque regem*, Flor. G mutato verborum ordine *ipsum quoque regum regem*, atque sic edidit Modius, ratus ab omnibus barbaris *reges regum* appellatos esse, qui pluribus regibus imperitarent. Sed hoc non novimus nisi de regibus Persarum et qui in eorum locum successerunt Parthorum. Ordinem etiam verborum qui est in codd. contra facere putamus. Itaque mendum potius librariorum existimamus.

§. 10. *quae appellatur Bazaira*] Edd. *Bazaria*, nos regionis nomen aliunde non notum sic expressimus, ut est in codd. Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. AG, Flor. B *Baizaira*, ceteri *bazana*. Apud Diodorum in indice capitum libri XVII est de hac re: *περὶ τοῦ ἐν Βασίστοις κυνηγησίου καὶ τοῦ πλήθους τῶν ἐν αὐτῷ θηρίων*.

rum greges clusi. Spatiosas ad hoc eligunt silvas, crebris 12
perennium aquarum fontibus amoenas; muris nemora cinguntur, turresque habent venantium receptacula. Quattuor 13
continuis aetatibus intactum saltum fuisse constabat; quem Alexander cum toto exercitu ingressus, agitari undique feras iussit. Inter quas cum leo magnitudinis rarae ipsum 14
regem invasurus incurreret, forte Lysimachus, qui postea regnavit, proximus Alexandro, venabulum obiicere ferae coeperat. Quo rex repulso et abire iusso, adiecit, tam a
semet uno quam a Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam cum venaretur in Syria, occi- 15
derat quidem eximiae magnitudinis feram solus, sed laevo humero usque ad ossa laceratus ad ultimum periculi pervenerat. Id ipsum exprobrans ei rex, fortius, quam locutus 16
est, fecit. Nam feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit. Fabulam, quae obiectum leoni a rege Lysi- 17
machum temere vulgavit, ab eo casu, quem supra diximus, ortam esse crediderim. Ceterum Macedones, quamquam prospero eventu defunctus erat Alexander, tamen scivere gentis suae more, ne aut pedes venaretur, aut sine delectis

Cap. 2, §. 11. *greges clusi*] Scripsimus *clusi* pro vulg. *clausi* ne quid quod boni codd. exhiberent quamvis a vulgari consuetudine remotum, tolleretur. Constat autem *cludere*, *clusus* veteres saepe dixisse, et dudum apud nostrum VI, 16 editur *cludunt*, nosque ipsi *cludunt* pro vulg. *concludunt* optimorum librorum iussu scripsimus V, 2, 15. Apud Tacitum editur in dial. 30 *cluditur*, in Germ. 45 *cluduntur*, Hist. I, 33 *cludit*, sed tamen *claudere* et apud Tacitum est et apud nostr. VIII, 5 *clausae aures* in libris omnibus sunt. Cf. interpr. ad Cic. de nat. deor. II, 39, 100. Duker. ad Flor. III, 20. Priscianus quidem libro X, p. 889 Putsch. *claudo vel cludo*, ait, *clausi vel clusi*. Auctoritas igitur codicum in singulis locis spectetur. Extat autem h. l. *clusi* in Flor. ABG Bern. A Voss. 1, ed. Mod. In uno Flor. C est *clausi*, in ceteris *inclusi*, quod videtur et ipsum ad probandam veterem scripturam pertinere.

§. 14. *regem invasurus incurreret*] Pal. 1 et Flor. F *occurreret*, quod Heinsius coniecerat.

§. 15. *occiderat quidem*] Vulgo omittitur *quidem*, quod cum ad sententiae tenorem non ineptum sit, ex codicibus fere omnibus cum Modio restituimus. (Abest autem a Flor. BC.) Sed *lacerutum* mox mendose scribunt Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A.

§. 18. *gentis suae more, ne aut pedes venaretur*] Turbant h. l. codices mss. Primum omnes *morem*, frequenti maxime errore. Tum quod vulgo editur *ne pedes venaretur* in nullo codice legitur, sed in aliis est *nam ut. ped. venar. aut sine delectis*, Flor. ACGHI Bern. B, in aliis *nam ut — haud* Bern. A Flor. DF Leid. Voss. 1. 2 Pal. 1 (neque enim ad hanc rem pertinet, utrum *venaret* an *venararetur* mendose in horum nonnullis scribatur): in uno Flor. B est *sine nam: ut pedes venaretur, haud sine dilectis*, quod ex his varietatibus unice per se probari potest atque exhibetur a Vindel.

principum atque amicorum. Ille, IV milibus ferarum deiectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est.

Inde Maracanda reditum est: acceptaque aetatis excu- 3
satione ab Artabazo, provinciam eius destinat Clito. Hic erat, qui apud Granicum amnem nudo capite regem dimicantem clipeo suo texit, et Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputavit: vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus. Hellanice, quae Alexandrum educaverat, soror eius, haud secus quam mater a rege diligebatur. Ob has causas validissimam imperii partem fidei eius tutelaeque commisit. Iamque iter parare in posterum iussus, sollemni et tempestivo adhibetur convivio. In quo rex cum multo incaluisset mero, immodicus aestimator sui, celebrare, quae gesserat coepit, gravis etiam eorum auribus, qui sentiebant vera memorari. Silentium tamen habuere seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Chaeroneam victoriam sui operis fuisse iactavit, ademptamque sibi malignitate et invidia patris tantae rei gloriam. Illum quidem, seditione inter Macedones milites et Graecos mercenarios orta, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse, non alias quam

Spirensi et Merula. Unus item Flor. E *non ut — aut.* Iam quaeritur quid ab auctore profectum censeas; nam quod adhuc vulgo edebatur *ne pedes venarentur aut sine delectis* ab Aldo est, ita correctum ut nullum vestigium appareat eius quod in libris mss. est *nam ut.* Itaque paulo propius ad veterem manum accedere puto quod ipse feci *ne ut*, verum esse utique contendere non audeo. Sed mox edidi *atque amicorum* pro vulg. *amicorumque* codicum iussu, cum pauci (Flor. DFI) *aut amicorum*, nullus adiecto *que.*

Cap. 3, §. 20. *Rhosacis manum*] Vererem hanc nominis scripturam deseruit Hackenburg. ediditque secundum Arrianum ac Plutarchum *Rhoesacis*, sed debeat eum revocare ab ea mutatione, quod in nullo libro Curtiano diphthongus *oe* invenitur, quodque homo constanter a Diodoro (vid. Wesseling. ad libr. XVII, 20) Ῥωσάκης vocatur. In Leid. et Bern. A aspiratio praemittitur sic: *Hrosacis.* Ceterum non *nudo capite* de industria tum dimicabat Alexander, sed *nudatum* erat caput hostili plaga priore.

§. 24. *in ea consternatione*] Cf. supra ad VII, 40, 13. Ceterum nihil de hoc tumultu, nec de eo bello Illyrico, quod ante patris necem Alexander solus gesserit, aliunde constat.

non alias quam simulatione mortis tutiorem] Nescio an corrigendum sit *non alia re quam*, certe sic dicere debebat, si et sibi et elegantis latinitatis legi constare vellet. Sed etiam apud Tacitum Ann. III, 73 *Non alias magis sua populique Rom. contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret*, pro eo quod est ob aliam rem dictum est *alias*, et dici *non alias quam si* aut *non alias nisi* ab Ictis pro non aliter quam si exposuit Handius in Tursell. Tom. I, p. 225. Sed quod idem locum

simulatione mortis tutiorem: se corpus eius protexisse clipeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos. Quae 25
patrem nunquam aequo animo esse confessum, invitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri, fusos fugatosque hostes, nec affuisse usquam Philippum. Laude dignos esse, non qui Samothracum initia viserent, 26
cum Asiam uri vastarique oporteret, sed eos, qui magnitudine rerum fidem antecessissent.

4 Haec et his similia laeti audiere iuvenes, ingrata seniori- 27
bus erant, maxime propter Philippum, sub quo diutius vixerant: cum Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos, 28
qui infra ipsum cubabant, conversus, Euripidis rettulit carmen, ita ut sonus magis, quam sermo exaudiri posset a rege, quo significabatur, male instituisse Graecos, quod tro- 29
paeis regum dumtaxat nomina inscriberent: alieno enim sanguine partam gloriam intercipi. Itaque rex, cum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos coepit, quid ex Clito audissent. Et illis ad silendum 30

Curtii VIII, 48, 16 huc trahit fallitur, quandoquidem illo loco *non alias* solita significatione pro non alio tempore aut loco dictum est.

§. 25. *nec affuisse usquam Phil.*] Errasse puto Snakenburg. qui in mss. *unquam* esse, quod tunc vulgo ederetur, contenderit. In meis omnibus *usquam* est, nec alterum illud ferri potest.

§. 26. *laude dignos*] Codd. Leid. Voss. 1 Flor. A Bern. A *laude dedignos* repetita priore syllaba, frequentissimo mendo, ne quid de corrigendo cum Heinsio cogites.

Samothracum mysteria] Iis initiatum Philippum etiamtum adolescentulum tradit Plutarch. in Alex. 2. Sed illud tempus significari h. l. mihi non fit verisimile: magis credo Philippum ante susceptam aut suscipiendam expeditionem Asiaticam tempus visendis istis mysteriis consumpsisse.

Cap. 4, §. 28. *cum Clitus*] Vulgo *tum Clitus* secundum nostros Bern. B Flor. EH (Voss. 2) quadrigam deterrimorum. Reliqui quod cum Modio dedimus, *cum*. Ponitur enim *cum* etiam ubi non praecessit *iam*. Sic supra lib. VII, c. 40 *nec tamen alte egesta humo existebat humor: cum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons*. Et c. 20 *anxium regem tantis malis circumfusi amici ut meminisset sui orabant: cum ex his qui praecesserant ad capiendum locum castris duo occurrunt utribus aquam gestantes*. VIII, 46, 23. VIII, 51, 40.

§. 29. *regum dumtaxat nomina inscriberent*] Vulgo *inscriberentur*, sed restitui post Modium plurimorum et optimorum codicum scripturam, a qua non discedunt nostrorum nisi Flor. EGH Bern. B, item Voss. 2 (qui habet *scriberentur*). Versus sunt celeberrimi Euripidis ex Andromacha 693 sqq. *Οἶμοι καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται, Ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατὸς, Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε, ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται.*

§. 30. *ad silendum obstinatis*] Sic ambo Bern. et Flor. ABCFH et Leid. Voss. 1. 2; vulgo *ad silentium* quod displicet nec tam proprie dictum est. Cur-

obstinatis, Clitus paulatim maiore voce Philippi acta bellaque in Graecia gesta commemorat, omnia praesentibus praeferens. Hinc inter iuniores senesque orta contentio est; et rex, velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat. Ceterum cum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eorum omittente, magis exasperabatur. Iamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, et Philippi de Atheniensibus victoriam Thebarum praeferebat excidio, non vino modo, sed etiam animi prava contentione provectus. Ad ultimum, *Si moriendum*, inquit, *est pro te, Clitus est primus: at cum victoriae arbitrium agis, praecipuum ferunt, qui procacissime patris tui memoriae illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, totiens rebellem, et non modo indomitam, sed quae ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias, praecipitia ingenia sortitas. Sed quae ad me pertinent, transeo. Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharrias*

tius certe IV, 28, 28 *videtisne obstinatum ad tacendum*, et infra huius libri cap. 6 *ad moriendum obstinatum esse cognoverunt*. Quid autem est quod cum illo loco *ad tacendum* dixerit, hoc *ad silendum* maluerit? Nimirum hi convivae antea locuti fuerant, ille Betis utique taciturnitatis sibi legem imposuerat.

omnia praef. praesentibus] Codd. Flor. DFGI *omnia praesentibus praeferens*, sed Flor. EH Bern. B *omnibus praesentibus praeferens*.

§. 32. *nihil eorum omittente*, i. e. cum ille nihil eorum quae instituerat, quibus Alexandri laudes obterebat, omitteret. Cum sic olim ex codicibus editum esset, Acidalius primus correxit *nihil eo remittente*, quo non videtur opus esse. Veruntamen recentiores omnes receperunt.

§. 34. *at cum victoriae arbitrium agis*] Plerique libri omisso *cum* solum exhibent aut *at* aut *ac*. Veruntamen in Flor. F *at cum* in G *at tum* legitur, quod satis esse potest, ubi alia corrigendi ratio non est. Nam *arbitrium agis* optime videtur Acidalius emendasse, cum in mss. esset et ederetur olim *arbitrium magis; quin* illud ipsum in Bern. A Flor. A extat. Sic lib. VI, 3 *Antipater non est ausus ipse agere arbitria victoriae*. Adhuc quidem emendatio loci Acidalio debetur, sed aliud est quod ille omisit. Nam cum in aliis libris sit *praecipuum ferunt praemium*, omittitur *praemium* in Bern. AB Flor. AFGHI: atque hoc loquendi genus imprimis et rei aptum videtur et librariorum corruptioni obnoxium fuit. *Praecipuum ferunt*, ait, i. e. sicut in dividenda hereditate, quod ad reliquos non pertinet, ipsorum est proprium nec in divisionem cadit, quam verbi significationem et reliqua lexica et Dirksenii Manuale pag. 740 explicant. Haec lectio Aldo videtur nota fuisse, qui sic ediderit: *at victoriae arbitrium magis praecipuum ferunt*. Iunius vero cum Modio dederunt: *at victoriae maius praemium ferunt*, omissis reliquis.

§. 35. *Sogdianam regionem*] At fuerat Artabazus, cui succedere debebat Clitus, Bactrianorum regioni praefectus supra VII, 20, item apud Arrianum. Erravit igitur Curtius aut quod verisimilius utraque provincia uni parebat.

§. 36. *nisi hic Atharrias*] Vulgo *Atharias*, sed duplici *r* scriptum nomen in Leid. Voss. 1 Bern. A sicut etiam V, 7 expressimus. Cf. VI, 31. E libris Flor.

senex iuniores pugnam detrectantes revocasset, adhuc nos circa Halicarnassum haesuros fuisse. Quomodo igitur Asiam etiam 37
cum istis iunioribus subiecisti? Verum est, ut opinor, quod avunculum tuum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in feminas.

Nihil ex omnibus inconsulte ac temere iactis regem 38
magis moverat, quam Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen rex pressit, contentus iussisse ut convivio excederet. Nec quicquam aliud adiecit, quam forsitan eum, 39
si diutius locutus foret, exprobraturum sibi fuisse vitam a semetipso datam: hoc enim superbe saepe iactasse. Atque 40
illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus, iurgantes monentesque conabantur abducere. Clitus cum abstraheretur, ad pristinam violentiam ira quo- 41
que adiecta, suo pectore tergum illius esse defensum; nunc, postquam tanti meriti praeterierit tempus, etiam memoriam invisam esse proclamat. Attali quoque caedem obiiciebat, 42
et ad ultimum Iovis, quem patrem sibi Alexander assereret,

h. l. nihil enotatum est. Item supra v, 7 erat *Halicarnasson*, hic Snakenb. in Leid. Voss. 1 *Halicarnasum* invenit, idem est in Bern. AB, sed ex Flor. nihil enotatum est. Cf. ad III, 17, 4. Rem attingit Diodor. XVII, 27.

§. 37. *Quomodo igitur Asiam*] *Igitur* cum Modio dedi pro vulg. *ergo* codicum mss. consensum secutus. Sed *etiam* quod sequitur offendit, pro quo Flor. C *fuisse*, Flor. H et Bern. B *esse*, Voss. 2 *ipse*. Non difficile fuerit prorsus tollere, sed praestat *etiam* postpositum putare, ut *Asia* sit magna illa Asia, a barbaris habitata.

avunculum tuum in Italia] Alexandrum Molossum dicit, fratrem Olympiadis, anno 331 a. Chr. in bello cum Lucanis, quod pro Tarentinis susceperat, occisum. Vide Livium VIII, 24. IX, 19, 10. Gellium Noct. Att. XVII, 21, qui apophthegma nobile sic effert: *se quidem ad Romanos ire quasi in ἀνδρωνῖτιν, Μακεδονεμ isse ad Persas quasi in γυναικωνῖτιν*, quamquam quod adversus Romanos ivit, verum non est. Sed *verum est, opinor*, legitur in Flor. EFH Bern. B Voss. 2, *verum, ut opinor*, in Flor. DI. Porro *in Italiam* mendose adiecta littera *m* Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABC.

Cap. 5, §. 41. *ad pristinam violentiam*] Est haec illa *animi prava contentio*, quam supra dixit, acerbitas quaedam quae efficit ut gaudeamus siquid alteri adversum dicere possumus. Sed Iunius et Modius *vinolentiam* edere maluerunt, quod extat in codd. Flor. EH Bern. B Voss. 2, et quod miror in Voss. 1. Veruntamen dubito num *vinolentia* dici possit pro ebrietate, cum inter vinolentum et ebrium idem fere intersit quod inter iracundum et iratum.

postquam — praeterierit tempus] Nescio quid Modius in libris suis inveneris, quoniam edidit et ipse *praeterierit* pro vulg. *praeteriit*, ego in duobus tantum Flor. DI illud inveni. Sed quamquam illorum apud me auctoritas non sane magna est, tamen non eum esse puto Curtium scriptorem qui certissimam latinitatis regulam negligat, ubi eius negligendae nulla causa inveniri possit. Nihil alioquin frequentius in libris mss. quam omitti lineolam incurvam qua librarii syllabam *er* coniunctivorum notare solent. Vide ex. gr. ad IV, 52, 3. VII, 5, 32.

oraculum eludens, veriora se regi, quam patrem eius, re-
3 spondisse dicebat. Iam tantum irae conceperat rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimvero olim mero sensibus victis, ex lecto repente prosiluit. Attoniti amici, ne positis quidem, sed abiectis poculis, consurgunt, in eventum
5 rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander, rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguae intemperantia furentem percutere conatus, a Ptole-
6 maeo et Perdicca inhibetur. Medium complexi et obluctari perseverantem morabantur; Lysimachus et Leonnatus etiam
7 lanceam abstulerant. Ille militum fidem implorans, comprehendi se a proximis amicorum, quod Dareo nuper accidisset, exclamat, signumque tuba dari, ut ad regiam armati
8 coirent, iubet. Tum vero Ptolemaeus et Perdiccas genibus advoluti orant, ne in tam praecipiti ira perseveret, spatiumque potius animo det: omnia postero die iustius executu-
9 rum. Sed clausae erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi procurrit in regiae vestibulum, et vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat
10 his, qui simul coenaverant, egredi. Abierant ceteri. Clitus ultimus sine lumine exibat. Quem rex, quisnam esset? interrogat. Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat,
11 atrocitas. Et ille iam non suae, sed regis irae memor,
12 Clitum esse, et de convivio exire respondit. Haec dicentis latus hasta transfixit: morientisque sanguine aspersus, *I nunc*, inquit, *ad Philippum et Parmenionem et Attalum.*

§. 43. *olim mero sensibus victis*] *Olim* pro dudum, pridem s. iam dudum, iam pridem, non raro ponitur a Curtio et supparis fere aetatis scriptoribus, Seneca, Quintiliano. Cf. IV, 29 *Aegyptii, olim Persarum opibus infensi, quippe avare et superbe imperitatum sibi esse credebant, ad spem adventus eius erexerant animos.* Infra cap. 20 *elicuitque iram Alexandri quam olim animo capere non poterat*, potest *olim* explicari *dudum.* Sed h. l. *olim* ab edd. vett. abest usque ad Modianam, item posthac a Freinshemio omissum, quamvis legatur in codicibus mss. omnibus, sed mutato loco in Flor. F *vero olim enim vero*, et in Flor. G *Olim enim vero mero.*

§. 48. *obstrepente ira*] Codd. plurimi *obstrepentes*, mendose, quod vulgo recte editur in Flor. CEH Bern. B Voss. 2 libris alias minime bonis reperitur.

§. 49. *procurrit in regiae vestibulum*] Sic aptissime libri qui et alias optimi censentur Leid. Voss. 1 Flor. AB, nam vulgatum *percurrit* nulla ratione commendatur. Neque enim debebat eo currere nec ibi manere constituerat. Mox *his* omnes mss. pro vulg. *iis*, tantum Flor. B ut solet *hiis.*

§. 52. *I nunc, inquit, ad Philippum*]

6 Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerum- II
que non futura, sed transacta perpendimus. Quippe rex,
postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa,
magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. Videbat 2
tunc immodica libertate abusum, sed alioquin egregium
bello virum, et nisi erubesceret fateri, servatorem sui, oc-
cisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat rex,
verborum licentiam, quae vino poterat imputari, nefanda
caede ultus. Manabat toto vestibulo cruor paulo ante con- 3
vivae: vigiles attoniti et stupentibus similes procul stabant,
liberioremque poenitentiam solitudo excipiebat. Ergo hastam 4
ex corpore iacentis evolsam retorsit in semet; iamque ad-
moverat pectori, cum advolant vigiles, et repugnanti e ma-
nibus extorquent, allevatumque in tabernaculum deferunt.
Ille humi prostraverat corpus, gemitu eiulatuque miserabili 5
totam personans regiam. Laniare deinde os unguibus, et
circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse
paterentur. Inter has preces tota nox extracta est. Scru- 6

Deteriores codices omittunt *I* et adiiciunt *perge*, partim sic: *ad Phil. perge et Parm.* (Flor. DFI Pal. 1) partim in fine post *Attalum* (Flor. CEGH Bern. B Voss. 2). Sed etiam veteres editiones ex aliquo bono libro profecerunt.

Cap. 6, §. 2. *alioquin egregium*] *Alioqui* vulgo, sed addito *n* edd. principes et codd. nostri omnes praeter Flor. A et Bern. A. Talis consensus non videbatur contemnendus. (Snak. tamen nihil a vulg. scriptura diversum notavit.)

§. 3. *solitudo excipiebat*] Restitui veterem librorum omnium lectionem, eiecta Modiana correctione *exciebat*. Potest *excipere* explicari accipere, i. e. permittere, concedere: Solitudo spatium dabat liberiori poenitentiae.

§. 4. *evolsam* Snakenb. e Flor. (Heins.) Leid. Voss. 1 Dan. (Bern. A) enotat, sed nihil e Flor. meis enotatum est. Sed VI, 2, 15 *evolsa* in Flor. A et iisdem illis libris est. VIII, 37, 28 *evolso* Flor. AB Voss. 1 Bern. A, item IX, 22, 28 Flor. B Voss. 1 Bern. A. Horum igitur librorum auctoritate scribe *o* pro *u*, aut vanam hanc vetustae rationis revocandae curam abiice.

§. 5. *totam personans regiam*] Plerique codd. et edd. veteres *tota personans regia*, quae dicendi ratio iure Modio ceterisque displicuit: nam aut personat aliquis gemitu domum, aut domus ipsa personat gemitu. Itaque Modius hac altera constructione probata correxit *tota personante regia*. Verum cum in omnibus mss. *personans* constanter legatur, et nihil in veteribus exemplaribus frequentius sit, quam omitti *m* finale, (cf. supra c. 4, 37) idque adeo etiam inveniatur additum in Flor. EH, Bern. B Voss. 2, praestare videbatur illa corrigendi ratio, quam expressimus.

§. 6. *inter has preces nox extracta*] Vulgo legitur *in has preces tota nox exacta est*. Pro *exacta* in multis bonisque codd. inventum est *extracta*, Flor. quidem ABDEI ac Leid. Voss. 1 Bern. A, quod verbum proprium est de tempore, quod nimis longum misero videtur. Sed necesse etiam videbatur item cum Modio corrigere *inter has preces*, nam nox extracta in preces, vel etiam exacta

tantemque, num ira deorum ad tantum nefas actus esset, subiit anniversarium sacrificium Libero Patri non esse redditum statuto tempore. Itaque inter vinum et epulas caede 7 commissa, iram dei fuisse manifestam. Ceterum magis eo movebatur, quod omnium amicorum animos videbat attonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum: vivendum esse in solitudine velut ferae bestiae, terrenti 8 alias, alias timenti. Prima deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, iussit inferri. Quo posito ante ipsum, lacrimis obortis, *Hanc*, inquit, *nutrici meae gratiam rettuli, cuius duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem, hic frater, unicum orbitatis solatium, a me inter epulas* 9 *occisus est. Quo nunc se conferet misera? Omnibus eius unus supersum, quem solum aequis oculis videre non poterit. Et ego servatorum meorum latro, revertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici sine memoria calamitatis eius offerre* 10 *possim!* Et cum finis lacrimis querelisque non fieret, iussu

in preces vix ac ne vix quidem quid sit intelligitur. Atque legitur *inter* in aliquot codicibus, Flor. DFGI, quorum auctoritas cum facillima sit corruptio, satis idonea videtur.

subiit anniversarium] Vulgo *subit*, sed mihi quidem praesens inter perfecta h. l. alienum videtur. *Subiit* in Flor. DEFGHI Bern. B Voss. 2 extat.

statuto tempore] Sic edd. vett. Modius edidit *stato tempore*, quod Snakenburgius probavit, quamvis Freinshemianam lectionem mutare non auderet. Et nescio quid sit quod in manuscriptis fere *stato* dicit esse, nec tamen eorum quos ipse contulit, accuratius mentionem fecit, cum in Pal. 1 Dan. (Bern. A) notaret esse *statuto*. Nec e nostris diversum quicquam a lectione *statuto* enotatum est. Cf. ad lib. v, 3, 22.

iram dei] *iram diei* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB.

§. 7. *terrenti alias, alias timenti*] Sic verum est editumque iam a principio, nisi quod Aldus *aliâs* bis. Sed Flor. reliqui praeter ABC et Bern. B Voss. 2 *terrenti alias* (vel *alios*) *timentique*.

§. 8. *occubuere mortem*] Scribentis errorem esse puto quod in Flor. CEH Bern. B Voss. 2 legitur *occubuere in hostem*. Simile quid invenisse Modius videtur cum *mortem* deleverit et solum *occubuere* ediderit. Nec intelligo cur Acidalius hanc dicendi formulam *occumbere mortem* duriorem et Curtio propemodum indignum dixerit, cum ipse laudet lib. IV, 58, 24 *ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebat egregium*, et apud Livium utraque constructio et *morte occumbere* et *mortem occumbere* inveniatur. Vide exempla collecta a Drakenb. ad lib. XXXI, 18, 6.

§. 9. *Omnibus eius*] Germanice all' die Ihrigen überlebe ich. In uno Bern. B pro *eius* est *enim*.

servatorum meorum latro] Plurali numero utitur semetipse accusans de uno Clito. Sed cur *latronem* se vocat? Memento Horatiani illius Epist. I, 2, 32: *ut iugulent homines surgunt de nocte latrones*, non ut spolient. Et sic fere veteres de clandestinis hominum occisoribus.

ne dextram quidem] Poteris *dexteram* legere cum Aldo, Iunio, Modio Bern. A et Florentinis plerisque. Sed ego tamen Flor. AB secutus sum. Snakenb. nihil notavit sed scripsit et ipse *dextram*.

amicorum corpus ablatum est. Rex triduum iacuit inclu- 11
sus. Quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum
obstinatum esse cognoverunt, universi in tabernaculum
irrumpunt, diuque precibus ipsorum reluctatum aegre vice-
runt, ut cibum caperet. Quoque minus caedis puderet, iure 12
interfectum Clitum Macedones decernunt, sepultura quoque
prohibituri, ni rex humari iussisset.

7 Igitur decem diebus maxime ad confirmandum pudo- 13
rem apud Maracanda consumptis, cum parte exercitus He-
phaestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in
hiemem paraturum. Quam Clito autem destinaverat pro- 14
vinciam, Amyntae dedit: ipse Xenippa pervenit. Scythiae
confinis est regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis,
quia ubertas terrae non indigenas modo detinet, sed etiam
advenas invitat. Bactrianorum exulum, qui ab Alexandro 15
defecerant, receptaculum fuerat. Sed postquam regem ad-
ventare compertum est, pulsi ab incolis II milia fere et
quingenti congregantur. Omnes equites erant, etiam in 16
pace latrociniis assueti: tum ferocia ingenia non bellum
modo, sed etiam veniae desperatio efferaverat. Itaque ex
improviso adorti Amyntam, praetorem Alexandri, diu an-
ceps proelium fecerant: ad ultimum DCC suorum amissis, 17
quorum CCC hostis ceperat, dedere terga victoribus, haud
sane inulti, quippe LXXX Macedonum interfecerunt, praeter-
que eos CCC et L saucii facti sunt. Veniam tamen etiam 18
post alteram defectionem impetraverunt.

8 His in fidem acceptis, in regionem, quam Nautaca 19

Cap. 7, §. 14. *ipse Xenippa pervenit*] „Graecum nomen a Macedonibus procul dubio impositum, sed cui regioni prorsus incertum, quod nemo geographorum aut historicorum, praeter nostrum Curtium eius usquam mentionem fecit. Sogdianae partem fuisse, ex nexu historiarum suspicari licet." Cellarius. *Xempa* scribitur in Flor. EH, *Xempta* in Bern. B, *Xenippa* in Voss. 2.

§. 15. II *milia fere et quingenti*] Vulgo *et ducenti*, sed libri mss. partim *et d.* partim omnibus literis *et quingenti* Flor. EH Bern. B Voss. 2, nullus omnino *ducenti*. Nec refert vocem *milia* abesse a nonnullis, quippe quae a librariis fere lineola superinducta significetur.

Cap. 8, §. 19. *quam Nautaca appellant*] Editur vulgo inde a Modio *Naura*, (edit. pr. et Iun. *Nauram*, Ald. *Nautaiam*) sed *Nauta* Leid. Voss. 1 Pal. 1 Bern. A Flor. ABFG meliores mss. (*naula* Flor. C, al. *nauram* marg. Flor. G). Corrigendum videbatur *Nautaca* secundum Arrian. lib. IV, 18 *περὶ Ναύταχα ἀναπαύων τὴν στρατιὰν ὅτιπερ ἀκμαῖον τοῦ χει-*

appellant, rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Sysimithres, duobus ex sua matre filiis genitis; quippe apud
20 eos parentibus stupro coire cum liberis fas est. Is armatis popularibus, fauces regionis, qua in artissimum cogitur, valido munimento saepserat. Praeterfluebat torrens amnis; terga petra claudebat: hanc manu perviam incolae fecerant.
21 Sed aditus specus accipit lucem, interiora, nisi illato lumine, obscura sunt. Perpetuus cuniculus iter praebet in campos,
22 ignotum nisi indigenis. At Alexander, quamquam angustias naturali situ munitas valida manu barbari tuebantur, tamen arietibus admotis munimenta, quae manu adiuncta erant,

μᾶνος ἦν. Etiam Diodor. in capitum libri XVII. elencho *στρατεία τοῦ βασιλέως εἰς τοὺς καλουμένους Ναύταχας καὶ φθορὰ τῆς δυνάμεως ὑπὸ πολλῆς χιόνος.* Verum tota haec narratio ad eam regionem pertinet quam Arrianus IV, 21 *Paraetacenen* appellat, (alteram quidem illam quam Medicam) in qua *Chorienis* petra, qui apud Curtium est Sysimithres.

Satr. erat Sysimithres] Nomen hoc quidem loco in codd. fere est *Simithrides* (Flor. G *sisimetres*) sed postea *Sisimethres*, in §. 27 et 28 Flor. AB *Sysimithres*.

§. 20. *Is armatis popularibus — saepserat*] Editur vulgo sicut in plerisque mss. est, II *milibus armatis popularibus — sepserant*, constructione verborum impedita et partim aperte falsa. Quod nos edimus, iam olim Modius dederat, hoc etiam annotans, videri verba illa *duobus milibus* ita esse nata, quod cum *is* paulo negligentius scriptum fuerit, librarii eam esse notam numeri II putaverint, *milia* denique (quae lineola inducta significari solent) de suo addiderint. Explicationem rei probo, sed utut est, nostra lectio est codicis Flor. F, a quo non multum abeunt DI in quibus *His armatis* est, nec C in quo unum hoc *armatis* legitur. Cod. G *Is duobus milibus armatis* coniuncta utraque lectione exhibet. *Saepserat* autem singulari numero in nullo codice praeter Bern. B inventum est, verum hoc etiam sine ulla codd. auctoritate, si res postulat, corrigere licet. Quod superest, diphthongum omnis veterum auctoritas postulat, vid. Orthogr. Harlesianam et Vergilianam Phil. Wagneri.

terga petra claudebat] Editiones non constant, principes *ergo petra claudebat*, Aldina *qui terga petrae claudebat*, Modius *tergo petra claudebat*, recentiores denique *a tergo petra claudebat*. Codd. meliores *tergo petra claudebant* Leid. Bern. A Flor. A, *claudebantur* Flor. B, *claudebat* Flor. DEI, *terga petrae claudebat* Flor. G, *terga petrae claudebant* Flor. CH Bern. B, *terga petrae clauserat* Pal. 1 Flor. F, *terga petrae cluserant* Voss. 2. Hoc apparet, in nullo codice esse *a tergo*, nec constat posse *tergo* absolute pro illo dici. Itaque a Curtio puto profectum esse *terga petra claudebat* quae lectio facile intelligo quomodo tam varie corrumpi potuerit.

§. 21. *obscura sunt*] Sic recte iam princeps editio, num ex codice nescio, nam ex uno Flor. I nihil a vulg. diversum notatur, in reliquis omnibus *obsunt* legitur. Mox pro eo quod est *in campos ignotum* Voss. 1 Bern. AB Flor. ABCH *in campo signorum*, quod eam ob causam annoto ut et fides et mendositas librorum agnoscatur.

§. 22. *munitas valida barb. manu tuebantur*] Secuti sumus Iunii coniecturam, a Modio receptam, quamquam lectio olim vulgata et a Freinsh. revocata *munitas ac validas, manu barb. tuebantur* codicum auctoritate firmatur. Sed nimis ineptum est et inelegans, primum quod abundant ista *ac validas*, deinde quod *manu* absolute pro *copiis* vel *armis* dici, cum semper tum h. l. insolens est.

concussit, fundisque et sagittis propugnantium plerosque deiecit: quos ubi dispersos fugavit, ruinas munimentorum supergressus ad petram admovit exercitum. Ceterum inter- 23
veniebat fluvius, coëuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem: magnique operis videbatur tam vastam voraginem explere. Caedi tamen arbores et saxa congeri iussit: in- 24
gensque barbaros pavor, rudes ad talia opera, concusserat, excitatam molem subito cernentes.

9 Itaque rex ad deditionem metu posse compelli ratus, 25
Oxarten misit nationis eiusdem, sed dicionis suae, qui suaderet duci, ut traderet petram. Interim ad augendam for- 26
midinem et turres admovebantur, et excussa tormentis tela micabant. Itaque verticem petrae, omni alio praesidio damnato, petiverunt. At Oxartes trepidum diffidentemque 27
rebus suis Sysimithrem coepit hortari, ut fidem quam vim Macedonum mallet experiri, neu moraretur festinationem victoris exercitus in Indiam tendentis: cui quisquis semet offerret, in suum caput alienam cladem esse versurum. Et 28
ipse quidem Sysimithres deditionem annuebat: ceterum mater eademque coniunx morituram se ante denuntians, quam in ullius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora quam tutiora converterat, pudebatque, libertatis maius esse apud feminas, quam apud viros pretium. Itaque dimisso internuntio pacis, obsidionem ferre decreve- 29
rat. Sed cum hostis vires suasque pensaret, rursus muliebris consilii, quod praeceps magis quam necessarium esse credebat, poenitere eum coepit: revocatoque strenue Oxarte,

supergressus] Bern. A Leid. Voss. 1 *super egressus*. Tum pro *admovit* Flor. EH Bern. B Voss. 2 *movit*.

Cap. 9, §. 25. *Oxarten*] Hoc quidem loco varie codd. *Exortan* (Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1) *Exortam*, *Oxortam*, *Oxartham*, *Oxartem*, sed paulo post omnes *Oxartes*. Si Arrianum sequaris IV, 21 hic est *Oxyartes*, iam socer Alexandri, sed Curtius tamen ordinem rerum longe alium in hac parte operis habet.

§. 26. *tela micabant*, i. e. splendebant, oculorum aciem stringebant, quam aptissimam edd. vett. et codicum optimorum lectionem mirum est cur recentiores duce Modio deseruerint, atque ediderint *emicabant*.

§. 28. *in ullius ven. pot.*] *in illius* cet. Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 Voss. 2, quod ferri potest. Sed deterius Flor. CEH Bern. B Voss. 2 omittunt verba *quam tutiora*, recidentes quicquid redundare videtur.

futurum se in regis potestate respondit, unum precatus, ne voluntatem et consilium matris suae proderet, quo facilius
31 venia illi quoque impetraretur. Praemissum igitur Oxarten cum matre liberisque et totius cognationis grege sequebatur, ne expectato quidem fidei pignore, quod Oxartes promiserat.
32 Rex, equite praemisso, qui reverti eos iuberet, opperirique praesentiam ipsius, supervenit; et victimis Minervae ac Victoriae caesis, imperium Sysimithri restituit, spe maioris etiam provinciae facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset.
33 Duos illi iuvenes patre tradente, secum militaturos sequi iussit.

Relicta deinde phalange, ad subigendos, qui defecerant,10
34 cum equite processit. Arduum et impeditum saxis iter primo utcunque tolerabant. Mox equorum non ungulis modo attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi plerique non poterant, et rarius subinde agmen fiebat, pudorem, ut
35 fere fit, immodico labore vincente. Rex tamen, subinde equos mutans, sine intermissione fugientes insequebatur. Nobiles iuvenes comitari eum soliti defecerant praeter Philippum. Lysimachi erat frater, tum primum adultus, et,
36 quod facile appareret, indolis rarae. Is pedes, incredibile dictu, per D stadia vectum regem comitatus est, saepe

§. 30. *unum precatus*] Codd. omnes et vett. editiones *imprecatus*, quapropter Heinsius *unum id precatus* malebat. Aliam explicandi rationem iniit margo Flor. G „Imprecari pro valde precari." Sed videtur syllaba initialis praegresso vocabulo originem debere, ut VII, 27, 20 factum est.

§. 31. *Oxarten*] Vulgo *Oxartem*, sed Graecam formam, quam Snak. perpetuo sequitur, h. l. et ipsi dedimus quia ad Bern. A accedunt Flor. AB.

§. 32. *opperirique praesentiam ipsius*] Placent haec, nec varietatis quicquam in codd. nostris est. Modius tamen edidit *qui reverti eos iuberet opperirique, praesens ipsis supervenit*, et *praesens* exhiberi in Dan. et Pal. 1 notatur.

Cap. 10, §. 34. *rarius agmen fiebat*, quippe ex quo plures subinde decederent, quo paulatim minus ac minus *densum* agmen fiebat. Sic IV, 54, 14 *videtis ordines raros*, et c. 58 *rarior acies erat in dextro cornu Persarum*. Adi si plura cupis Drakenborch. ad Liv. II, 47.

§. 35. *quod facile appareret*] Coniunctivus *appareret* in omnibus mss. est. Sed princeps editor fortasse quod non intelligeret, *apparet* dedit idque et Merula et Aldus retinuit, Iunius *appareat* correxit, falso, sed non ineptissime quemadmodum Modius insectatur. Hic igitur nullo negotio verum ex libris protulit. Ceterum de hoc coniunctivo coniunge Gramm. nostrae §. 528 cum §. 558 sq. Nepos Eum. c. 2 *mortuus erat Hephaestio, quem unum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat.*

§. 36. *per* D *stadia*] Sic mss. et meliores et plures, Pal. 1 Flor. DFI *per* L *stadia*, Flor. EH Bern. 2 Voss. MD *stadia* (sine *per*). Apparet *quingenta* stadia

equum suum offerente Lysimacho, nec tamen ut digrederetur a rege effici potuit, cum lorica indutus arma gestaret. Idem, cum perventum esset in saltum, in quo se barbari 37
abdiderant, nobilem edidit pugnam, regemque comminus cum hoste dimicantem protexit. Sed postquam barbari in 38
fugam effusi deseruere silvas, animus, qui in ardore pugnae corpus sustentaverat, liquit; subitoque ex omnibus membris profuso sudore, arboris proximae stipiti se applicuit. Deinde 39
ne illo quidem adminiculo sustinente, manibus regis exceptus est, inter quas collapsus extinguitur. Maestum regem alius haud levis dolor excepit. Erigyius inter claros duces 40
fuerat; quem extinctum esse, paulo antequam reverteretur in castra cognovit. Utriusque funus omni apparatu atque honore celebratum est.

11 Dahas deinde statuerat petere: ibi namque Spitamenen III.
esse cognoverat. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia, fortuna indulgendo ei nunquam fatigata, pro absente transegit. Spitamenes uxoris immodico amore flagrabat: quam aegre fugam et nova subinde exilia tolerantem, in omne discrimen comitem trahebat. Illa malis fatigata 2
identidem muliebres adhibere blanditias, ut tandem fugam sisteret, victorisque Alexandri clementiam expertus, placaret quem effugere non posset. Tres adulti erant liberi ex eo 3
geniti: quos cum pectori patris admovisset, ut saltem eorum misereri vellet, orabat; et quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander. Ille se prodi, non moneri 4
ratus, et formae profecto fiducia cupere eam quamprimum dedi Alexandro, acinacem strinxit, percussurus uxorem, nisi

maximum esse, quod concedi possit. Ed. pr. *per dicta stadia*, Aldus *per* L *stadia*, Iunius *per quinquaginta st.* sed in marg. notavit *al. quingenta*, nec erat cur illam lectionem Modius pessimam appellaret.

§. 40. *in castra*] i. e. hiberna ad Nautaca, supra c. 8.

Cap. 11, §. 1. *Spitamenen*] Sic Bern. A Flor. ADFI cum Snak. et illius codicibus universe appellatis. Vulgo *Spitamenem*.

aegre fugam et — exilia tolerantem] Codd. *aegram fuga*, quos non sequor, nam *aegre tolerare* ut coniungatur ad sensum prorsus necessarium est. Atque senserat hoc Aldinus editor, cum ante ipsum ederetur prorsus falso *aegram fugam*, Modius tamen librorum scripturam *aegram fuga* revocavit.

§. 4. *acinacem strinxit* Flor. A Leid. (Bong. 1. 2) *acinacim*, sed VII, 16 extr. *acinacem* sine variante lectione.

5 prohibitus esset fratrum eius occursu. Ceterum abire conspectu iubet, addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset; et ad desiderium levandum noctes agere inter pellices
6 coepit. Sed penitus haerens amor fastidio praesentium accensus est. Itaque rursus uni ei deditus, orare non destitit, ut tali consilio abstineret, patereturque sortem, quamcunque iis fortuna fecisset: sibi mortem deditione esse
7 leviorem. At illa purgare se, quod quae utilia esse censebat muliebriter forsitan, sed fida tamen mente suasisset:
8 de cetero futuram in viri potestate. Spitamenes, simulato captus obsequio, de die convivium apparari iubet; vinoque
9 et epulis gravis et semisomnus in cubiculum fertur. Quem ut alto et gravi somno sopitum esse sensit uxor, gladium, quem veste occultaverat, stringit, caputque eius abscisum,
10 cruore respersa, servo suo conscio facinoris tradit. Eodem 12
comitante, sicuti erat cruenta veste, in Macedonum castra pervenit, nuntiarique Alexandro iubet, esse, quae ex ipsa
11 deberet agnoscere. Ille protinus barbaram iussit admitti.

§. 5. *abire conspectu*] Sic Bern. A pr. m. Flor. ADFGI, *e conspectu* ceteri, praeter Bern. B et Flor. H in quibus *a consp.* est. Edd. *e*, donec Mod. sustulit.

noctes agere inter pellices] Hoc verba ordine exhibent nostri et Snak. omnes, vulgo (praeter Mod.) *noct. inter pellices agere.*

§. 6. *quamcunque iis*] Omnes fere codd. nostri et edd. vett. *his*. Iunius in marg. annotarat *iis*, et Modius dedit *eis*, secutique sunt reliqui; sequerer et ipse si usquam in libris mss. extaret. Sic *iis* dedi ex Bern. A et Flor. A.

§. 8. *gravis et semisomnus*] Vulgo Aldum secuti edunt *vinoque et epulis gravis semisomnus in cub. fertur*, sed in codicibus mss. omnibus *et semis.* additur, atque hoc qui aures latina oratione assuefecerint praeferent. Ceterum *vino quoque* exhibent Voss. 1. 2 Bern. AB Flor. ABCE vulgari notarum confusione, contra *semisomnis* est in Flor. DEFGHI Pal. 1 Voss. 2.

§. 9. *caputque eius abscisum*] Libri vulgati *abscissum*, sed mss., meliores certe omnes, ut necesse est *abscisum*. Vide VII, 41 et III, 29. Tum *servo conscio*, omisso *suo*, Flor. CEGH Bern. B Voss. 2, non male, *tradidit* denique Voss. 1. 2 Flor. EH Bern. B falso.

Cap. 12, §. 10. *Sicuti erat*] Vulgo *sicut erat*. Nos secuti sumus mss. nostrorum consensum et edit. Modianam.

esse quae ex ipsa deberet agnoscere] Primum annoto olim fuisse *adesse*, quod ex Pal. 1 Flor. DFGI sumptum Modius auctoritate meliorum correxit. Deinde edd. vett. et mss. nostri quidem omnes *agnoscere* habent, quod non sustineo damnare pro vulg. nunc incertissimae originis scriptura *cognoscere*, quamquam haec facile plurimorum iudicio probabitur. Sed si quid ad firmandam codd. fidem addendum est, videtur auctor etiam de repraesentato facinore cogitasse eamque ob causam agnoscendi potius quam cognoscendi verbum posuisse. Vide supra ad VII, 42 extr. Miror Snakenb. oblitum esse de codicibus suis annotare. Sed paulo post *respersam cruore* haud dubio codicum Snak. et nostrorum consensu recipiendum fuit pro vulg. *adspersam*, cum et fortius sit et a vulgari usu paulo remotius.

Quam ut respersam cruore conspexit, ratus ad deplorandam contumeliam venisse, dicere quae vellet iubet. At illa servum, quem in vestibulo stare iusserat, introduci desideravit. Qui quia caput Spitamenis veste tectum habebat, suspectus scrutantibus quid occuleret ostendit. Confuderat oris exsanguis notas pallor, nec quis esset nosci satis poterat. Ergo rex certior factus, humanum caput afferre eum, tabernaculo excessit, percontatusque quid rei sit, illo profitente cognoscit. Variae hinc cogitationes invicem animum diversa agitantem commoverant. Meritum ingens in semet esse credebat, quod transfuga et proditor, tantis rebus, si vixisset, iniecturus moram, interfectus esset: contra facinus ingens aversabatur, cum optime meritum de ipsa, communium parentem liberum, per insidias interemisset. Vicit tamen gratiam meriti sceleris atrocitas, denuntiarique iussit, ut excederet castris, neu licentiae barbarae exemplar in Graecorum mores et mitia ingenia transferret.

13 Dahae, Spitamenis caede comperta, Dataphernem, defectionis eius participem, vinctum Alexandro seque dedunt. Ille, maxima praesentium curarum parte liberatus, convertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus a praetori-

§. 11. *ad deplorandam contumeliam*] „Honesto vocabulo videtur involvere vim pudicitiae illatam, nam et sic accepit Livius de Virginia duplici sensu altero aperto de servitute, altero dissimulato de stupro: *morte amitti melius quam contumelia liberos*, lib. III, 50. *Ludibria* appellat noster lib. IV, 10, 27 (nostrae edit. cap. 42) *num ludibria meorum nuntiaturus es?* et clarius lib. X, 1, 4 *virgines et principes feminarum stupra perpessa corporum ludibria deflebant.* Vide Turneb. Advers. lib. XXVIII, 32.“ Snak. cui licuit etiam IV, 42, 29 huc trahere: *nec dubitavit Dareus quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam perpeti.*

§. 12. *in vestibulo stare*] Sic mss. omnes, libri editi praeter Mod. *stare in vestibulo.*

§. 14. *iniecturus moram*] *Invecturus* codd. Flor. ABCEH Leid. Voss. 1. 2 Bern. B, item edd. principes, donec Aldus correxit, quod nunc legimus, Modiusque frustra antiquam revocavit. *Invehere moram* nihil est, itaque ad sollemnem scribarum errorem confugimus, de quo vide quae notavit Drakenb. ad Liv. IX, 40, 14. Sed ut Aldus hanc rem bene egit, sic idem, ut opinor, participii usu (apud Curtium frequentissimo, quem notavimus in Gramm. §. 649 not.) offensus, formam orationis corrupit, cum ederet *quique tantis rebus — iniecturus moram fuisset*, quod iure Modius atque ceteri editores spreverunt. Mox *aversabatur* verum est et legitur in Bern. A Leid. Flor. A, sed reliqui libri nostri et Voss. 1. 2 *adversabatur* habent, quod verbum non construitur cum accusativo.

communium parentem liberum] *Liberum* ex Leid. Voss. 1 Flor. AB restituimus pro vulg. *liberorum*, cf. ad VI, 7, 5. Post paulo Modius *vicit tandem* de coniectura edidit, qua opus non est.

bus suis avare ac superbe imperabatur. Ergo Phratapherni Hyrcaniam et Mardos cum Tapyris tradidit, mandavitque, ut Phradaten, cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsami, Drangarum praefecto, substitutus est Stasanor; Arsaces in Mediam missus, ut Oxydates inde discederet. Babylonia, demortuo Mazaeo, Stameni subiecta est.

His compositis tertio mense ex hibernis movit exer-14 citum, regionem, quae Gabaza appellatur, aditurus. Primus dies quietum iter praebuit: proximus ei nondum quidem procellosus et tristis, obscurior tamen pristino, non sine minis crescentis mali praeteriit. Tertio ab omni parte coeli emi-

Cap. 13, §. 17. *et Mardos cum Tapyris*] Codd. sine *et: eardos* sive *cardos cum taphiris* (alii *caphiris*). *Mardos* fecit primus Aldus, post etiam *et* additum. Sed plerique *Tapuros* ediderunt, sicuti vocantur apud Arrianum pluribus locis et supra VI, 13 ex codicum scriptura *Taurorum* vulgo scribitur. Verum *Ταπύρους* Polybius, Strabo, Dionysius Periegeta, al. appellant et Plinius nat. hist. VI, 16, quae scribendi ratio propius accedit ad codices. Hodiernum regionis nomen Taberistan hinc videtur originem ducere.

Phradaten pro vulg. *Phradatem* cum Snakenb. dedimus secundum Bern. A Flor. ADEGI, *pharadaten* in Flor. C, *pharadatem* in Flor. H Bern. B est.

Arsami scribendum, non *Arsani*, secundum codices et Arrianum, apud quem III, 15, 12 Arsames, Persa genere, satrapa Ariorum instituitur Satibarzanis proditoris loco, deinde c. 29, 10 comprehendi a Stasanore iubetur quia *ἐθελοκακεῖν* videbatur. Apud eundem tamen auctorem IV, 18 Stasanor a rege Drangis praeficitur, nimirum videntur hi Ariorum satrapae paruisse. Nomen quidem gentis Curtio lib. VI, 24 extr. *Drangae* est sine varietate lectionis, itaque hoc loco ubi codices turbant, (habent autem optimi *Dramearum*) idem restitui. Etiam *Stasanoris* nomen corrumpitur, neque tamen dubitari potest quin omnia nunc recte legantur, nam vide quod in Flor. antiquissimo est: *Arsami dramearum praefecto substitutus est tamsanorarsaces in* cet. Sed *Arsaces*, quem Mediae satrapam factum dicit, non est apud Arrianum IV, 18 sed Atropates.

demortuo Mazaeo Stameni] Vulgo *mortuo M. Deditameni*, sed quod nos scripsimus *demortuo* est in tribus codicibus Snakenb. et nostris Flor. ABCH Bern. AB ac magis etiam hominis naturalem vitae finem significat. Verum *Stameni* Arriano auctore edidimus lib. IV, 18, codices enim Curtiani omnes *Ditameni*. Non est autem dubium, quin Graecis librariis in Graeco nomine plus fidei habendum sit.

Cap. 14, §. 1. *Gabaza*] Nomen ceteris historicis et geographis ignotum, scriptum est a nobis sicut est in edd. vett. et Flor. ABDEH Bern. B. Aldina scriptura *babas* singularis prorsus est. Sed Bern. A Leid. Voss. 1 Pal. 1 Flor. FG *Gazaba*, Flor. CI *Garaba*, Voss. 2 *Sabara*.

§. 2. *obscurior tamen pristino*, i. e. priore, proxime praecedente. Sic Caes. de bello Gall. IV, 14 *milites nostri pristini diei perfidia incitati*, ubi vide Davisium laudantem Sueton. Aug. c. 94 *somnium pristinae noctis familiaribus forte narrabat*, et Gellium Noct. Att. X, 24, a quo sua habet Macrobius Saturn. I, c. 4. Item Cicero de Orat. I, 8, Caesar de bell. civ. I, 74 *pristinum sermonem, pristinam lenitatem* dixerunt ea quae pridie eius diei fuissent.

non sine minis cresc. mali praeteriit] Sic edidit Modius e codicibus quales sunt Flor. DFI, cum antea legeretur *non sine crescentis mali damno*, quod extat in Leid. Flor. BEH Bern. B. Ab-

care fulgura, et nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos terrere coeperunt. Erat prope continuus coeli fragor, et passim 4
cadentium fulminum species visebatur. Attonitisque auribus stupens agmen nec progredi, nec consistere audebat. Tum 5
repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. Ac primo quidem armis suis tecti exceperant, sed iam nec retinere arma lubricae et rigentes manus poterant, nec ipsi destinare, in quam regionem obverterent corpora, cum undique tempestatis violentia maior, quam vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen 6
ferebatur; multique prius metu, quam labore defatigati, prostraverant humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu astrinxerat. Alii se stipitibus arborum admo- 7
verant: id plurimis et adminiculum et suffugium erat. Nec 8
fallebat ipsos morti locum eligere, cum immobiles vitalis calor linqueret: sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recusabant extingui quiescendo. Quippe non vehemens modo, sed etiam pertinax vis mali insistebat; lucemque, naturale solatium, praeter tempestatem haud disparem nocti, silvarum quoque umbra suppresserat. Rex unus tanti mali 9
patiens circumire milites, contrahere dispersos, allevare pro-

est utrumque et *minis* et *damno* a Voss. 1 et Flor. A, item a Bern. A sed in huius margine adscribitur, in Flor. G autem utrumque coniungitur. Quae cum ita sint, poterit secundum libros mss. aut principum editionum aut Mod. lectio probari: illud in priore editione feceram, nunc Modium sequor, et omnem diversitatem inde natam puto quod olim exciderat *minis* post *sine* et supplebatur adiecto verbo *damno*. Ceterum *praeterit* Flor. BFGI.

§. 4. *cadentium fulminum*] *adeuntium* Bern. AB Flor. ABCH Leid. Voss. 2 edd. pr., *candentium* Flor. F, *fluminum* Bern. A Flor. ACF Leid. Voss. 1 edd. pr. Correxit Aldinus editor. Tum *considere* edd. veteres et codd. nostri omnes (Snak. silente de suis) *consistere* recte emendavit Acidalius.

§. 5. *lubricae et rigentes*] Modius quia in Sigeberg. invenerat *lubricae rigentes*, sine coniunctione, edidit *nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant*. Ut in Sigeb. sic etiam in Pal. 1 traditur esse, et *lubrice rigentes* est in Flor. DI.

§. 6. *defatigati*] *defetigati* in Flor. (Heinsii) et Voss. 1 inventum esse annotat Snakenburgius: mihique idem ex Bern. A et h. l. et IX, 7, 11 enotatur. E Florentinis tamen nihil a vulgari scriptura diversum affertur, nisi h. l. esse *fatigati* in BG.

§. 8. *immobiles*] Veterem accusativi formam *immobilis* Flor. ABCI Voss. 1. 2 retinent, item edit. pr. Mer. Aldina, *immobileis* Iunius dedit, vulgarem formam Modius.

umbra suppresserat] Flor. DFGI *umbrae suppresserant*, quod Modius praetulit.

stratos, ostendere procul evolutum ex tuguriis fumum, hortarique ut proxima quaeque suffugia occuparent. Nec ulla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescebant.

Ceterum efficacior in adversis necessitas, quam ratio, frigoris remedium invenit. Dolabris enim silvas sternere aggressi, passim acervos struesque accenderunt. Continenti incendio ardere crederes saltum, et vix inter flammas agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra commovit, paulatimque spiritus, quem continuerat rigor, meare libere coepit. Excepere alios tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita necessitas investigaverat: alios castra, quae in humido quidem, sed iam coeli mitescente saevitia, locaverunt. Duo milia militum atque lixarum calonumque pestis illa consumpsit. Memoriae proditum est, quosdam applicatos arborum truncis, et non solum viventibus, sed etiam inter se colloquentibus similes, esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. Forte Macedo gregarius miles seque et arma sustentans, tandem in castra pervenerat. Quo viso rex, quamquam

§. 10. *quibus ipsi cesserant*] Totum hoc omittunt Pal. 1 Voss. 2 Bern. B Flor. EFHI, *ipsis* tantum habet Flor. C, *quibus* deest in codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB. Sed praestat longe vulgata scriptura codicum nostrorum Flor. DG.

Cap. 15, §. 12. *meare*] *remeare* Pal. 1 Flor. DFGI.

§. 13. *sed iam*] Sic primus Iunius, vetustiores edd. et codices plerique *sed etiam*, Voss. 1 *si iam*, Pal. 1 Flor. FI *etiam*. Restant Bern. A Leid. Flor. D in quibus *sed iam* sit.

duo milia militum] Codd. plerique et edd. principes XX *militum*, unde Flor. CEH Bern. B XX *milites* fecerunt, Voss. 2 *viginti milia militum*. Aldus de coniectura dederat *mille militum*, quod ceteri editores omnes servarunt, illustrantes etiam constructionem paulo insolentiorem. Sed corrigendum est ∞ ∞, i. e. duo milia, quia solebant a librariis notae denarii et millenarii numeri inter se confundi. Auctor est Drakenborch. ad Livium pluribus locis quos collegit ipse ad lib. XXXIII, c. 14, 5, ipsique id vidimus ad VI, 2, 16. VI, 5, 9. Cf. Append. V, 24, 8. VI, 15, 10.

§. 14. *sed etiam inter se colloquentibus*] *Etiam* omnes nostri et Snakenb. codices, qui quidem habent, nam omissione nonnullorum verborum peccant Flor. EH Bern. B Voss. 2. Vulgo *sed et.*

§. 15. *tandem in castra*] *Tamen* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ADGI, nec tamen recipio in tanta corrumpendi facilitate. Sed paulo post *tum maxime* pro *tunc maxime* ex meis et Snakenburgii mss. praeter Flor. CD omnibus scribendum est. Nec enim in hac constructione, ubi ipsum tempus significat, quod Germanice dicimus gerade, videtur in usu fuisse nisi *tum*.

ipse tummaxime admoto igne refovebat artus, ex sella sua exiluit, torpentemque militem et vix compotem mentis, demptis 16
armis, in sua sede iussit considere. Ille diu nec ubi requiesceret, nec a quo esset exceptus agnovit. Tandem recepto calore vi- 17
tali, ut regiam sedem regemque vidit, territus surgit. Quem intuens Alexander, *Ecquid intelligis, miles,* inquit, *quanto meliore sorte, quam Persae, sub rege vivatis? Illis enim in sella regis consedisse capital foret, tibi saluti fuit.* Postero die 18
convocatis amicis copiarumque ducibus, pronuntiari iussit, ipsum omnia, quae amissa essent, redditurum. Et promisso fides extitit. Nam Sysimithres multa iumenta et camelo- 19
rum duo milia adduxit, pecoraque et armenta; quae distributa pariter militem et damno et fame liberaverunt. Rex, 20
gratiam sibi relatam a Sysimithre praefatus, sex dierum cocta cibaria ferre milites iussit, Sagos petens. Totam hanc regionem depopulatus, xxx milia pecorum ex praeda Sysimithri dono dat.

16 Inde pervenit in regionem, cui Oxyartes, satrapes no- 21
bilis, praeerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille

admoto igne] Flor. DFGI *igni*. Post *exilivit* Flor. omnes praeter C, item editiones veteres (Ald. Iun. Mod. sed princeps tamen *exilluit*), nec tamen adducor ut vulgatum *exiluit* non unice verum existimem. Et tuentur Leid. Voss. 1 Bern. A. Cf. ad VI, 19, 26. VII, 16 extr.

§. 17. *capital foret*] Doleo et miror nihil h. l. e Flor. libris enotatum esse, cum vulgata lectio sit *capitale*, et I. Fr. Gronovius in antiquissimis Florentinis (nostrum cod. A dicit) *capital* ipse invenerit. Vide illum ad Senec. Controv. 3, 8. Item ediderat *capital* Modius et inventum erat in Leid. Voss. 1 Bern. A ut iam mihi non dubium sit, aliquid humanum passum esse eum qui libros Flor. in usum meum contulit, quamquam illius singularem diligentiam iure meritoque laudare consuevi. *Capital est* aliquid facere vel fecisse veteribus in usu fuit. Sic apud Ciceronem de legg. II, 8 extr. editur *Qui non paruerit capital esto*. Livius XXIV, 37 *praesidio decedere apud Romanos capital esse*. Sueton. Calig. 24 *in quo (iustitio) risisse, lavisse, coenasse cum parentibus aut coniuge liberisve capital fuit*, ipse denique Curtius ex optimis libris emendatus infra VIII, 33 *arbores quas violare capital est*. Cf. Drak. ad Livii l. l. et ad Silium XIII, 155, Oudendorp. ad Sueton. l. l.

§. 20. *Sagos petens*] Malui incognitam ante gentem codicum auctoritate promere, quam editos libros secutus de *Sacarum* supra VII, 38 cum rege conciliatorum defectione credere. Scythica illa gens fuit, ultra Iaxartem sita, Persarum imperio non subiecta sed foedere et amicitia coniuncta, vide Arrian. III, 8, 5. Hoc loco intelligitur pars quaedam Sogdianae, qualis modo fuerat *Gobaza*, aliquanto ante *Xenippa* et *Nautaca*. *Sagos* autem Snakenburgiani libri et Bern. AB et Flor. ABCEH ipsaeque edit. principes, *Sagos petentes* Flor. D, *Sagoas petentes* F, *Sagas petens* G, *Segas petentes* I.

Cap. 16, §. 21. *cui Oxyartes — praeerat*] Hoc loco vis fuit adhibenda codicibus mss. ni Curtium in nobilissima re et a se ipso et a ceteris auctoribus dis-

imperio ei reddito, haud amplius, quam ut duo ex tribus
22 filiis secum militarent, exegit. Satrapes etiam eum, qui
penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbara opulentia con-
23 vivium, quo regem accipiebat, instruxerat. Id cum multa
comitate celebraret, introduci xxx nobiles virgines iussit.
Inter quas erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis
24 specie et decore habitus in barbaris raro. Quae quam-
quam inter electas processerat, omnium tamen oculos con-
vertit in se, maxime regis, minus iam cupiditatibus suis
imperantis inter obsequia fortunae, contra quam non satis
25 cauta mortalitas est. Itaque ille, qui uxorem Darei, qui
duas filias virgines, quibus forma praeter Roxanen com-
arari nulla poterat, haud alio animo, quam parentis, aspe-
xerat, tunc in amorem virgunculae, si regiae stirpi com-
pararetur, ignobilis, ita effusus et, ut diceret ad stabiliendum
regnum pertinere, Persas et Macedones connubio iungi: hoc
uno modo et pudorem victis, et superbiam victoribus de-
26 trahi posse. Achillem quoque, a quo genus ipse deduceret,
cum captiva coisse: ne inferri nefas arbitrarentur, ita matri-

sentire volumus. Nam Roxanes patrem infra lib. IX, 31 et lib. X, 12 *Oxyartem* vel certe simillimo nomine appellavit, Diodorus autem et Arrianus non aliter quam *Ὀξυάρτην*. Codd. autem h. l. et edd. pr. Vindelini ac Merulae singulari constantia *Cohortandus*, nisi quod Flor. EH Bern. B *Cortandus* scribunt, unde ab Iunio et Modio factum est *Cohortanus*, scilicet ne barbarus nimis Romano vocabulo appellaretur, nam aliam equidem causam nullam video. Si syllabam *co* e praegressa voce *cui* ortum putamus, invenitur aliqua ratio qua ex eo quod est Oxiartes, Oxartes, istud vocabulum fieri potuerit, nam quod aspirata addita est, nemini in codicibus Latinis mirum videbitur.

§. 23. *Roxane nomine*] Leid. Flor. AB *roaxene*, Bern. A Voss. 1 *roaxane*, Flor. F *rosane*, Flor. G *rosannae* h. l. mendose, nam paulo post non peccant. Diodorus *Ῥοξάνη*, Plutarchus et Arrianus *Ῥωξάνη*.

§. 24. *non satis cauta mortalitas*] Cf. ad V, 19, 17.

§. 25. *nulla poterat*] Flor. ADFG Leid. *potuerat*, sed filiae etiamtum vivebant. Sed post latinitatis ratio videbatur postulare *si regiae stirpi compararetur* pro eo quod hodie obtinet *comparetur*. Atque ediderunt illud Iunius et Modius estque in Flor. reliquis praeter AB. Hi autem cum Leid. Voss. 1 Bern. A *comparetur*, sed in eiusmodi rebus et terminationibus verborum non raro etiam optimos esse mendosos plus semel notavimus. Sicut iam *in amore* pro eo quod verum est *in amorem* Bern. A cum aliis deterioribus Flor. CEH Bern. B atque edit. pr. et Aldina.

§. 26. *genus ipse deduceret*] Iisdem verbis utitur scriptor IV, 28 fin. Sed *duceret* Flor. DFGI Pal. 1, contra *ipse* omittunt Flor. EH Bern. B.

arbitrarentur ita] *Arbitrarentur* Aldi est, nam princeps *arbitraretur*. Codd. variant, antiquissimi Bern. A Flor. AB Voss. 1 cum Flor. DGI *arbitrentur*, sed praestare tamen ad tenorem reliquae orationis videtur imperfectum. Sed *ita*, quod sequitur, molestum fuit et aliis et

monii iure velle iungi. Insperato gaudio laetus pater ser- 27
monem eius excipit: et rex in medio cupiditatis ardore
iussit afferri patrio more panem. Hoc erat apud Macedo-
nes sanctissimum coëuntium pignus, quem divisum gladio
uterque libabat. Credo eos, qui gentis mores condiderunt, 28
parco et parabili victu ostendere voluisse iungentibus opes,
quantulo contenti esse deberent. Hoc modo rex Asiae et 29
Europae introductam inter convivales ludos matrimonio
sibi adiunxit, e captiva geniturus, qui victoribus imperaret.
Pudebat amicos, super vinum et epulas socerum ex deditis 30
esse delectum: sed post Cliti caedem libertate sublata, vultu,
qui maxime servit, assentiebantur.

17 Ceterum Indiam et inde Oceanum petiturus, ne quid V.
a tergo, quod destinata impedire posset, moveretur, ex
omnibus provinciis xxx milia iuniorum legi iussit et ad se
armata perduci, obsides simul habiturus et milites. Crate- 2
rum autem ad persequendos Haustanem et Catenem, qui

Acidalio, cuius coniectura ut *rite* scribatur non equidem displicet, sed praestat, opinor, abundantiam agnoscere qua *ita* in apodosi ponatur pro ea ratione, eam ob rem, quod in plena oratione est *itaque*. Attigit eam rem Handius in Tursellino vol. III, p. 480, sed unum tantum exemplum posuit Ovidii Trist. I, 2, 105 *si fuit hic animus nobis, ita parcite, divi: sin minus, alta cadens obruat unda caput.*

§. 27. *excipit: et rex in medio — iussit*] Praesens tempus *excipit* dedimus, quamquam sequitur praeteritum *iussit*: ars haec est variandae orationis, cuius multa exempla cum alii scriptores tum Curtius praebet. Nec quicquam h. l. in re improvisa describenda aptius. Secuti autem sumus non unum et alterum librum ms. sed praeter Leid. Voss. 1 omnes fere nostros, quoniam *excepit* quod Aldinus editor dedit non inventum est nisi in Flor. DFI. Cf. similem emendandi rationem ad VI, 16, 12. Tum *in medio cupiditatis ardore* scribendum fuit, nam praepositionem omnes libri nostri et Snak. uno Flor. I excepto exhibent, habent etiam Iunius in margine et Modius in textu.

§. 30. *esse delectum*] Sic omnes mss. sed ediderat unus Modius, reliqui *electum*

Cap. 17, §. 2. *Craterum autem*] Abest *autem* ab edit. pr. et codicibus plerisque, additur ab Aldo, Iunio, Modio, secundum Flor. DFGI (quibuscum Pal. 1 facit). Itaque in priore edit. non sine ratione sustuleram, nunc tamen restituo, quod defectum coniunctionis aegre fero, nec emendatio Curtiana illorum codicum auctoritate carere potest. Suspicor etiam quod in compluribus scriptum est *ceterum* in causa fuisse cur *autem* circumscriberetur.

Haustanem et Catenem] Snakenb. ex more suo *Haustanen* et *Catenen* graeca terminatione, et sic est in Bern. A, item *Haustanen* Flor. DFGI, *Catenen* Flor. ABCFGI, sed supra ubi illud nomen legebatur VII, 22 et 28 *Catenem* in plerisque erat, imprimis in Flor. AB. Neque constantiam in talibus rebus praestabis nisi vim huic aut illi parti afferas. Arrianus IV, 22 *Κρατερὸν — ἐπὶ Κατάνην τε καὶ Ἀὐτάνην ἐκπέμπει, οἳ δὴ μόνοι ἔτι ὑπελείποντο ἐν τῇ Παραταξηνῶν χώρᾳ ἀφεστηκότες.* Sed *Catenes* tamen apud Curtium semper est per *e* vocalem, in aliquot autem libris

ab ipso defecerant, misit: quorum Haustanes captus est, Catenes in proelio occisus. Polypercon quoque regionem, quae Bubacene appellatur, in dicionem redegit. Itaque, omnibus compositis, cogitationes in bellum Indicum vertit. Dives regio habebatur, non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque, ad luxum magis quam ad magnificentiam exculta. Periti militares auro et ebore fulgere dicebant: itaque, necubi vinceretur, cum ceteris praestaret, scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornavit. CXX milia armatorum erant, quae regem ad id bellum sequebantur. Iamque omnibus praeparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc esse maturum [ratus], quonam modo coelestes honores usurparet, coepit agitare. Iovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare

Flor. EFH Bern. B Voss. 2 per *th*. Tum *Bubacene* in uno Flor. B est, *bubacen* Flor. CG, *bulacon* Flor. EH Bern. B, *bullacen* Voss. 2, *bubacen* Flor. G, *Bubaces* Pal. 1, *bubacenen* reliqui. Quae sit nemodum certo constituit.

§. 4. *Periti militares — fulgere dicebant*] Edd. principes et codices deteriores *periti militares — dicebantur*, correctum est posthac ab Hadr. Iunio *clypei militares*, cuius lectionis a reliquis editoribus receptae in mss. nec vola nec vestigium extat. Recepi ego e codd. optimis Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. AB sed etiam aliis *dicebant*, eaque sententia prorsus contentus sum. *Periti* sunt qui terram adierant, res Indicas noverant, sicut supra v, 38 est fons monstratus *a peritis* scil. regionis. Illi igitur *militares* homines auro fulgere dicebant. Et *militares* dixit, non milites, quia in India certum genus erat hominum militiam perpetuo exercentium, quam significationem esse vocis, ubi cum viris aut hominibus componitur, annotarunt interpretes ad Sallust. Cat. 45 et Taciti Agric. 41. Et sic simpliciter Quintil. Instit. XI, 1, 33 *simpliciora militares decent*.

CXX *mil. arm. erant quae*] Flor. DEFI Pal. 1 *qui*, quod et ipsum defendi potest. Cf. gramm. nostr. §. 368 et paulo post hoc cap. §. 8.

§. 5. *Iamque omnibus praeparatis*] In hac periodo excidisse participium aliquod, quod opinionis significationem habeat, editores consensu existimant. Et Acidalius quidem *ratus* post *maturum* inserendum censuit, Freinshemius post *praeparatis*. Ac ne dubitatio quidem esset ulla, si verum esset, quod Snakenburgius notavit, in Flor. codice ab Heinsio inventum esse *maturum ratus*, sed ego nihil in meis variantibus inveni, nec alioquin credo in uno illo codice inveniri, cuius ne vestigium quidem in ceteris eiusdem familiae libris sit. Eandem lectionem Schmiederus ex cod. Theocreniano laudavit, sed ille exiguae fidei est et vix antiquae auctoritatis. Itaque uncis certe illa vox liberari nequit, addenda tamen videtur eorum causa qui in legendo nolint interrumpi. Ceterum Flor. G *Itaque*, Flor. DFI Pal. 1 *Iam omnibus praeparatis*, Flor. EH Bern. B Voss. 2 *Namque omnibus quae prava mente conceperat tunc esse matura*, unde videtur princeps editor suum *maturat* traxisse. Ineptius etiam Flor. C *Iamque omnibus quae olim prava mente conceperat, tunc esse naturam*. Vides unius vocis defectu quae turbae excitatae sint.

posset ac linguis, itaque more Persarum Macedonas vene- 6
rabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non
deerat talia concupiscenti perniciosa adulatio, perpetuum
malum regum, quorum opes saepius assentatio, quam hostis
evertit. Nec Macedonum haec erat culpa, nemo enim 7
illorum quicquam ex patrio more labare sustinuit, sed
Graecorum, qui professionem honestarum artium malis cor-
ruperant moribus. Agis quidam Argivus, pessimorum car- 8
minum post Choerilum conditor, et ex Sicilia Cleo, hic
quidem non ingenii solum, sed etiam nationis vitio adulator,
et cetera urbium suarum purgamenta, quae propinquis etiam
maximorumque exercituum ducibus a rege praeferebantur.
Hi tum coelum illi aperiebant, Herculemque et Patrem
Liberum et cum Polluce Castorem novo numini cessuros
esse iactabant.

§. 6. *itaque more Persarum*] Pithoei liber (Paris. C) in fine huius commatis addit *iubet*, nec deerunt qui verbum desiderent. Sed praestat e prioribus huc revocare *volebat*, nam illud rex certe non iussit.

§. 7. *quicquam — labare sustinuit*] Habet haec verborum constructio aliquid offensionis, nam *sustinere* et ab aliis scriptoribus et a Curtio non solet coniungi nisi cum infinitivo activo: sustineo facere, aut non sustineo facere aliquid, non fieri aliquid sustineo. Est autem quod h. l. legimus *labare* idem fere ac si esset, corrumpi, infirmari, abrogari. Haec causa fuit cur Palmerius mallet *libare*, quam coniecturam Modius et amicitiae causa erga illum et quod in paucis codicibus *libere* esset (Pal. 1 et Flor. DI) in textum recepit. Temere factum esse nemo negabit. Dicemus potius, *sustinere* h. l. non eam, quam vulgo, significationem audendi, sed patiendi habere, ut sit: nemo eorum non graviter ferebat, nemo aequo animo ferebat quicquam ex patrio more infirmari. Deest verbum dubium in Flor. G.

§. 8. *Agis quidam Argivus*] Libri Curtiani omnes *Hages*, et infra c. 20 *Hagen* accus. casu: sed Ἄγιν Ἀργεῖον ἑπτοιὸν appellat Arrianus lib. IV, 9 et Plutarchus de discrim. adul. et amici c. 26. Cf. tamen eundem eod. lib. c. 36 ubi *Agesias* quosdam inter adulatores nominat. Pro Siculo Cleone Arrianus Anaxarchum quendam tradit auctorem convivio fuisse divinis honoribus Alexandrum colendi. Ceterum pro *pessimorum* codices Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABEGH *piissimorum*, mendose. De *Choerilo*, non Samio, sed Iasensi, Horatii maxime reprehensione Epist. II, 1, 233 et Art. poet. 357 noto, cui si quid forte successisset, miraculi instar erat, vide *Naekii* librum de Choerilo Samio cap. 5 et 10.

purgamenta, quae — praeferebantur] Correctoris videtur esse quod in Pal. 1 et Flor. DFI legitur *qui — praeferebantur*. Nam quamvis interdum nomina haec, quae per metaphoram homines significant, genere naturali non grammatico construuntur, non videtur tamen hoc constitui debere, nisi ubi eximia librorum auctoritas postulat. Tum pro *praeferebantur* in codd. Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABG *ferebantur*, in Flor. C *ducibus ante ferebantur*.

cessuros esse] *cessurum esse* Pal. 1 Flor. DFGI de qua varietate non aliud iudicari potest quam modo de *militibus* et *purgamentis qui*.

9 Igitur festo die omni opulentia convivium exornari 18
iubet, cui non Macedones modo et Graeci, principes amico-
rum, sed etiam nobiles adhiberentur. Cum quibus cum
discubuisset rex, paulisper epulatus convivio egreditur.
0 Cleo, sicut praeparatum erat, sermonem cum admiratione
laudum eius instituit. Merita deinde percensuit, quibus
uno modo referri gratiam posse, si, quem intelligerent deum
esse, confiterentur, exigua turis impensa tanta beneficia
1 pensaturi. Persas quidem non pie solum, sed etiam pru-
denter reges suos inter deos colere: maiestatem enim im-
perii salutis esse tutelam. Ne Herculem quidem et Patrem
Liberum prius dicatos deos, quam vicissent secum viven-
tium invidiam: tantundem quoque posteros credere, quan-
2 tum praesens aetas spopondisset. Quodsi ceteri dubitent,
semetipsum, cum rex inisset convivium, prostraturum humi
corpus. Debere idem facere ceteros, et inprimis sapientia
praeditos: ab illis enim cultus in regem exemplum esse
18 prodendum. Haud perplexe in Callisthenen dirigebatur

Cap. 18, §. 9. *sed etiam nobiles*] Deesse vocem *barbari* facile credo Freinshemio et Heinsio, sed in codicibus nihil opis est ac fortasse *Persae* fuerunt. Mox *rex* abest a Flor. DFI.

§. 10. *sicut praeparatum erat*] Sic est in codd. Leid. Bern. A Flor. ABC Sigeberg. Modii, margine edit. Iun. et recte, nam Alexandri in ea re aliquas partes fuisse tenor rei ostendit. Vulgo legitur *sicut praeparaverat*. Quod Modius edidit *sicut praeparatus erat* et ipsum aliquot codicum auctoritate nititur. Flor. E Bern. B, item Voss. 2 et Flor. H in quibus est *sic praeparatus erat;* verum latinitate convincitur, nam *praeparari* non dicuntur latine homines cum instituuntur ac docentur quid ipsis dicendum sit, sed cum victu idoneo medice curantur.

referri gratiam posse] Edd. *referri gratia posset* secundum regulam vulgarem. Sed alia est paulo exquisitior quae, ubi continuetur oratio, etiam accusativos cum infinitivis post relativa poni posse docet. Vide Gr. lat. §. 603. Nam quod vulgo editur in nullo est ms. certe in nullo meorum. Nam hi omnes *referri gratiam* exhibent (praeter unum Flor. I in quo est *referre gratiam posset*) sed in eo variant, quod *posset* Flor. I, *possent* Flor. DF habent, plerique autem cum Leid. Voss. 1. 2 prorsus sic ut edidimus. Idem ediderat etiam Modius qui in eo inepte gloriatur, quod *si quem* restituerit, cum antea circumlatum fuerit *siquidem*. Nam ego quidem *si quem* in Vind. Merul. Ald. Iun. invenio.

§. 11. *Ne Herculem quidem*] Et olim vulgo et nunc plerique edunt *Nec Herc. quidem* contra ms. Leid. Voss. 1 nostrosque praeter Flor. F omnes. Quodsi opus esset copula, qua non opus est in oratione incisa, dixisset potius *Ac ne Herc. quidem*. Vide ad VI, 37. VII, 4. Item de loco vocabuli *quoque* cf. ad VI, 20, 4.

§. 12. *exemplum esse prodendum*] Hoc ordine verba collocantur in Snakenb. meisque omnibus. Vulgo *prodendum esse exemplum*.

§. 13. *in Callisthenen dirigebatur*] Vulgo *Callisthenem*, sed *Callisthenen* Snak. ut ait ex mss. et h. l. sic Bern. A

oratio. Gravitas viri et prompta libertas invisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur.

19 Is tum silentio facto, unum illum intuentibus ceteris, 14
Si rex, inquit, sermoni tuo adfuisset, nullius profecto vox responsuri tibi desideraretur: ipse enim peteret, ne in peregrinos externosque ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissime gestis invidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniam ab- 15
est, ego tibi pro illo respondeo, nullum esse eundem et diuturnum et praecoquem fructum, caelestesque honores non dare te regi, sed auferre. Intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego 16
autem seram immortalitatem precor regi, ut et vita diuturna sit, et aeterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur divinitas. Herculem modo et Patrem Liberum 17
consecratae immortalitatis exempla referebas. Credisne illos unius convivii decreto deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in caelum fama perveheret. Scilicet 18
ego et tu, Cleo, deos facimus! a nobis divinitatis suae auctori-

Flor. A, post autem c. 20 et 25 complures praeter illos alii de nostris. *Destinabatur* Flor. DI, eodemque pertinet *detinebatur* in G, non indoctum scholion.

Cap. 19, §. 14. *peregrinos externosque ritus*] Modius addiderat *externosque*, quem pauci secuti sunt, cum dubitarent, ut opinor, quam vere ille sic in codicibus suis legi tradidisset. Verum idem illud inventum est in Leid. Voss. et Flor. ACDFGI item in Voss. 2, nisi quod is *exterosque* habet. Satis igitur testium lectio alioquin bona habet. Nam interest aliquid inter *peregrina* et *externa*, et opponuntur propriis et domesticis, coniungitque item Quintil. VIII, 1, 2 *Verba sint quam minime peregrina et externa*. Similiter Curtius V, 30 extr. *externus et alienigena*.

§. 15. *praecoquem fructum*] Scribere sic coepit Modius sicut IV, 56, 11 iam a principibus edebatur. Recte, nam sic etiam nostri omnes. Mox *gratiam retulerunt* libri pessimae fidei ubi soli sunt Flor. EH Bern. B Voss. 2, alioquin non improbarem, sed tamen et *gratiam reddere* non insolitum est.

§. 16. *ut et vita diuturna sit*] Codd. omnes et Snak. et mei *et ut*, vulgo *ut* tantum, sed secutus sum Modium in translocandis voculis. Idem Modius edidit *diutina*, quod est in Flor. FG. Non placet propter codicum illorum exiguam auctoritatem et quod minus est *diutinus* quam *diuturnus*, itaque minus aptum ad vota facienda: *diutinus* enim nostrum est lang, *diuturnus* langewährend, langedauernd. Cf. Doederlin. synon. Tom. IV, pag. 269 sq.

§. 17. *amolita natura est*] Verum est quod Modius dicit *abolita* in libris esse, verum pauci isti sunt nec magnopere fide digni Pal. 1 Flor. DFGI, item legitur *amota est* in Voss. 2 Flor. CEH Bern. B. Haec videtur esse interpretatio verae lectionis, sed falsa. Nam *amolita est* non habet passivam significationem, ut sit pro *remota est*, sed natura ipse illos homines prius amoliri, i. e. ab hominum conspectu morte re-

tem accepturus est rex! potentiam tuam experiri libet: fac iquem regem, si deum potes facere. Facilius est coelum dare, iam imperium. Dii propitii sine invidia, quae Cleo dixit, idierint, eodemque cursu, quo fluxere adhuc res, ire patiantur. ostris moribus velint nos esse contentos. Non pudet patriae, c desidero, ad quem modum rex mihi colendus sit, discere. uos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, quis viva- us, accipimus.

Aequis auribus Callisthenes veluti vindex publicae liber-20 tis audiebatur. Expresserat non assensionem modo, sed iam vocem, seniorum praecipue, quibus gravis erat inveterati ioris externa mutatio. Nec quicquam eorum, quae invicem ctata erant, rex ignorabat, cum post aulaea, quae lectis bduxerat, staret. Igitur ad Agin et Cleonem misit, ut ermone finito barbaros tantum, cum intrasset, procumbere io more paterentur: et paulo post, quasi potiora quaedam gisset, convivium repetit. Quem venerantibus Persis, Poly- ercon, qui cubabat super regem, unum ex his mento con-

overe dicitur, quam fama eosdem in elestium concilio collocet.

§. 18. *Facilius est coelum dare quam perium*] Revocaverat hanc mss. omnium ctionem Modius. Nam principes edi- res non *εἰρωνικῶς* haec accipienda ti, mutatis locis *imperium dare quam elum* propagarunt. Iam nemo erit i omnem fidem veterum librorum ernere velit. Subintellige igitur *sci- et*, sicut aptissime Snakenb. animad- rtit. Paulo post addidi, item auctore odio, *adhuc*, est enim ea vox in no- ris et Snakenb. libris omnibus.

§. 19. *Quos equidem victores*] Non pressum est nomen quo referatur *quos*, eque tamen opus existimo, ut eam ob usam cum Acidalio *a Persis discere*, l cum Freinshemio *a victis discere* ribamus. Nam hominum significatio quibus disci possit inest in eo quod accedit, *ad quem modum*, quod idem t atque quorum ad exemplum.

Cap. 20, §. 21. *post aulaea, quae ob- uxerat*] Sic restituerat Modius quem teri editores non debebant deserere edere vellent quod intelligeretur. Vulgo enim scribitur *post aulaeam quae lectos obduxerat*. Primum *aulaea* fem. gen. latinis scriptoribus non est in usu, nec h. l. *aulaeam* legitur nisi in deterioribus libris Flor. DFI et a pr. m. in G; *obducere* autem aliquid tertium casum adsciscit, cui rei obductum sit. Miror autem e codd. Flor. nihil varietatis ad vocem *lectos* enotatum esse, sed acquiesco in auctoritate optimorum librorum Leid. Voss. 1 Bern. A in quibus *lectis* inventum est (in Bern. A quidem cum correct. alterius manus *lectos*). Cf. IX, 28 *lectis circumdederat aulaea purpura auroque fulgentia.*

§. 22. *cubabat super regem*] Modius *supra* edidit, secutus opinor non tam codices (nam nostrorum unus G *supra* habet) quam Ciceronianum dicendi usum. Ille enim epist. IX, 26 *accubueram hora nona et quidem supra me Atticus, infra Verrius.* Verum etiam *super* hoc sensu dicitur: Horat. lib. II, Serm. 8, 23 *Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra.* Mox *ex his* pro vulg. *ex iis* omnes codd., unus Flor. B *hiis.*

tingentem humum per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram, elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque rex, *Tu autem*, inquit, *non veneraberis me? An tibi uni digni videmur esse ludibrio?* Ille, nec regem ludibrio, nec se contemptu dignum esse, respondit. Tum detractum eum lecto rex praecipitat in terram. Et cum is pronus corruisset, *Videsne*, inquit, *idem te fecisse, quod in alio paulo ante ridebas?* Et tradi eo in custodiam iusso, convivium solvit. Polyperconti quidem postea, castigato diu, ignovit: in Callisthenen olim contumaciae suspectum pervicacioris irae fuit. Cuius explendae matura obvenit occasio.

21 Mos erat, ut supra dictum est, principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere, ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus eius aedis, in qua rex acquiescebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obsidebant. Iidem acceptos ab agasonibus equos, cum rex ascensurus esset, admovebant, comitabanturque et venantem, et in proeliis, omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Praecipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum rege. Castigandi eos verberibus nullius potestas praeter ipsum erat. Haec cohors

§. 24. *castigato diu*] Non videtur hic locus esse corruptus. Diu hominem castigavit rex, i. e. in carcere tenuit, postea vero ignovit atque iniuriae oblitus est. Quod Acidalius voluit *castigato prius* non dignum est Curtio, Heumannus quoque frustra gloriatur quasi reperta vera lectione *postero castigato die* quique illum iure reprehendit Snakenb. infelicius etiam *castigato sat diu* emendavit. Non animadvertit *sat* vocem non esse historicorum. Verum non opus est emendatione.

Cap. 21, §. 3. *foribus eius aedis*] Poterat abesse *eius*, sed propter auctoritatem Flor. AB Bern. A Mod. (quibus accedunt Flor. I Bern. B) recipiendum fuit. Etiam Snakenb. in Leid. Voss. 1 videtur invenisse, sed insuper habuisse. Sic infra c. 22, 13 *ad fores aedis eius in qua rex vescebatur*, qui locus simul probat usum vocis *aedes* pro cubiculo sive conclavi.

§. 4. *acceptos*] *actos* Flor. DFGI et edit. Modiana, omittunt verbum Flor. H Bern. B.

§. 5. *castigandi eos verberibus*] Hoc verba ordine collocantur in Snakenbergii nostrisque omnibus. Vulgo *eos verberibus*. Quod sequitur *nullius potestas erat* Scheffero videbatur emendandum esse *nulli potestas erat*, Heinsio *nulli ius erat*, deleto quasi ex interpretatione nato vocabulo *potestas*. Neutro opus est, nam cum dicamus *mea potestas est hoc vel illud faciendi*, quod est apud Ciceronem epist. ad Att. lib. IV, 2 ad finem, licebit etiam dicere *alicuius potestas est*.

velut seminarium ducum praefectorumque apud Macedonas fuit: hinc habuere posteri reges, quorum stirpibus post multas aetates Romani opes ademerunt.

7 Igitur Hermolaus, puer nobilis ex regia cohorte, cum aprum telo occupasset, quem rex ferire destinaverat, iussu eius verberibus affectus est. Quam ignominiam aegre ferens 8 deflere apud Sostratum coepit. Ex eadem cohorte erat Sostratus, amore eius ardens. Qui cum laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur, forsitan olim ob aliam quoque causam regi infestus, iuvenem sua sponte iam motum, data fide acceptaque perpulit, ut occidendi regem consilium se- 9 cum iniret. Nec puerili impetu rem executi sunt: quippe sollerter legerunt, quos in societatem sceleris asciscerent. Nicostratum, Antipatrum Asclepiodorumque et Philotam placuit assumi: per hos adiecti sunt Anticles, Elaptonius et Epi- 10 menes. Ceterum agendae rei haud sane facilis patebat via. Opus erat eadem omnes coniuratos nocte excubare, ne ab expertibus consilii impedirentur; forte autem alius alia nocte 11 excubabat. Itaque in permutandis stationum vicibus ceteroque apparatu exequendae rei triginta et duo dies absumpti sunt.

§. 6. *quorum stirpibus post multas aetates*] Edd. principes Vindelini et Merulae *stirpibus multas*, sicut legitur in codd. optimis Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, ad quod accedit Flor. C Voss. 2 scriptura *stipitibus multas*. Aldus edidit *stirpi per multas*, quod est in Flor. FI Pal. 1, nec prorsus abit Flor. D qui *stirpes per* habet. Modius primus edidit ceteris sequentibus *stirpi post*, sed hoc non est nisi in Flor. G. Propius ad librorum veterum scripturam accedit quod nos edidimus *stirpibus post*, estque etiam hoc in paucis libris Flor. EH Bern. B. Ceterorum corruptela videtur inde profecta, quod terminatio nominis praepositionem hauserit. Pluralis certe numerus longe praestat, cum regum familiae minimum tres fuerint, Posteri Antigoni, Seleuci, Ptolemaei.

§. 8. *in quo deperibat*] Singulare hoc, nam accusativum alii scriptores adiungunt; itaque fuerunt qui emendare voluerint *quod deperibat*. Verum cum in aliquo *ardere* et *uri* frequenter a poetis dicatur pro amare aliquem, quid impedit quominus et *deperire*?

§. 9. *Sollerter legerunt*] Verbum hoc accessit per Modium sed e mss. omnibus. Mirum veteres editores tamdiu pati potuisse quod abesset.

Asclepiodorumque] Arrianus IV, 13 Antipatrum appellat, filium Asclepiodori eius, qui praefuerat Syriae, quem item Curt. VII, 40 appellat. Itaque Aldus h. l. *Antipatrum, Asclepiodori filium*, edidit. De ceteris non novit ille inter coniuratos Nicostratum et Elaptonium. Sed *Epimenes* recte legitur. Edd. principes hoc nomen omittunt, dum apud Aldum *Elaptonius* desideratur, in codd. plerisque *Ephimanes* est.

§. 11. *in permutandis*] Mendose codd. Leid. Voss. 2 Bern. AB Flor. ABCEH *intermutandis*, itidem sic edd. principes. Recte correxit Aldus. Nam quamvis concedamus *intermutare* verbum esse non omnino condemnandum, necessaria tamen est praepositio *in*.

22 Aderat nox, qua coniurati excubare debebant, mutua 12
fide laeti, cuius documentum tot dies fuerant. Neminem
metus spesve mutaverat: tanta omnibus vel in regem ira,
vel fides inter ipsos fuit. Stabant igitur ad fores aedis 13
eius, in qua rex vescebatur, ut convivio egressum in cubi-
culum deducerent. Sed fortuna ipsius simulque epulantium 14
comitas provexit omnes ad largius vinum; ludi etiam con-
vivales extraxere tempus, nunc laetantibus coniuratis, quod
sopitum aggressuri essent, nunc sollicitis, ne in lucem con-
vivium extraheret. Quippe alios in stationem oportebat 15
prima luce succedere, ipsorum post septimum diem reditura
vice: nec sperare poterant, in illud tempus omnibus dura-
turam fidem. Ceterum cum iam lux appeteret, et convi- 16
vium solvitur, et coniurati exceperunt regem, laeti occasio-
nem exequendi sceleris admotam; cum mulier attonitae, ut
creditum est, mentis, conversari in regia solita, quia instin-
ctu videbatur futura praedicere, non occurrit modo abeunti,
sed etiam semet obiecit, vultuque et oculis motum prae-
ferens animi, ut rediret in convivium monuit: et ille per 17
ludum, bene deos suadere, respondit, revocatisque amicis
in horam diei ferme secundam convivii tempus extraxit.
Iam alii ex cohorte in stationem successerant, ante cubi- 18
culi fores excubituri, adhuc tamen coniurati stabant vice
officii sui expleta; adeo pertinax spes est, quam humanae
mentes devoraverunt. Rex benignius quam alias allocutus, 19

Cap. 22, §. 12. *mutua fide laeti*] Mss. omnes cum edit. principibus *multa fide*, *mutua* recte emendavit Aldus. Tum additur ad *tot dies silentio acti* in Flor. EH Bern. B, in quo scholion agnoscas.

§. 14. *laetantibus coniuratis*] Vulgo *laetis;* nos sequimur Leid. Voss. 1, 2 Bern. AB Flor. ABCEH. Item paulo post omnes nostri codices et Leid. Voss. 1 *extraheret* pro vulg. *extraheretur* exhibent.

§. 15. *post septimum diem*] Sic videbatur codicum fides postulare ut scriberetur, cum vulgo esset *post* VII *dies:* plerique enim et optimi *post* VII *diem* Leid. Voss. 1 Flor. ABC, alii *post septima die*, Pal. 1 Flor. DFI, *post septimum diem* denique expressis literis Flor. EGH Voss. 2. Ex Bernensibus nihil enotatur.

§. 18. *quam hum. mentes devoraverunt*] Edd. *quam humanae mentes, quam ingentes concupiscentiae devoverunt*, in qua lectione multa displicent et olim interpretibus displicuerunt; genus loquendi *spem devovere*, ipsum verbum *concupiscentiae*, ecclesiae patribus non Romanis auctoribus usitatum; sed quod maximum est violata fides codicibus mss. debita. Inciderant principes editores in libros corruptos, nec tamen in ullo quos adhuc cognovimus, illa lectio integra ex-

cedere eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte pertissent, iubet. Data singulis quinquaginta sestertia, colidatis, quod etiam aliis tradita vice, tamen excubare perverassent.

Illi tanta spe destituti domos abeunt. Et ceteri qui-23
m expectabant stationis suae noctem: Epimenes, sive
nitate regis, qua ipsum inter coniuratos exceperat, repente
itatus, sive quia coeptis deos obstare credebat, fratri suo
rylocho, quem antea expertem esse consilii voluerat,
id pararetur, aperit. Omnibus Philotae supplicium in
ulis erat. Itaque protinus iniicit fratri manum, et in
iam pervenit, excitatisque custodibus corporis, ad salun regis pertinere, quae afferret, affirmat. Et tempus,
o venerant, et vultus haud sane securi animi index, et
estitia e duobus alterius, Ptolemaeum ac Leonnatum
cubantes ad cubiculi limen excitaverunt. Itaque apertis
ibus, et lumine illato, sopitum mero ac somno excitant
gem. Ille paulatim mente collecta, quid afferrent, interogat. Nec cunctatus Eurylochus, non ex toto domum
am aversari deos dixit, quia frater ipsius, quamquam
ipium facinum ausus foret, tamen et poenitentiam eius
eret, et per se potissimum profiteretur indicium. In eam

. Proxime accedit Flor. C in quo
nen est *devoraverunt*, GH Bern. B
a longe discedunt, sed et ipsi *devo-*
erunt et praeterea *mentis* (non *men-*
) exhibent. In pluribus praeter has
ietates etiam *quam* desideratur, Pal.
Voss. 2 Flor. EF. Sed breviores etiam
ad ipsam veritatem propius accedenSigeberg. Leid. Voss. 1 Flor. AB
m humanae mentis devoraverunt. E
a scriptura ubi mendo sublato *mentes*
rexeris existet illud quod Curtius
etur voluisse, quodque olim Modius
notis et Acidalius probarunt, quamam ille quidem ediderat *quam humae mentis concupiscentiae devoraverunt.*
c desunt libri in quibus illud ipsum
hibetur Flor. DI, item Colonienses
mbranae Modii, tantum quod in his
votaverunt esse traditur. Nec puto
tioni nostrae obstare quod Freinsh. obiecit dici quidem aliquam rem *spe devorare*, non *ipsam spem devorare.* Nam translatio etiam castior ac simplicior fit hac ratione.

§. 19. *Data singulis — collaudatis, quod*] Omisi *sunt* quod vulgo legitur *data sunt singulis*, iussu codd. nostrorum Bern. A Flor. ABDGI et auctore Modio, non sine mss. sic edituro. Sed sine libris correxi *collaudatis* quod vulgo erat *collaudatisque*, quoniam hoc quidem ferri nullo pacto potest et verisimile est *que* ex eo quod sequitur *quod* praegresso vocabulo adhaesisse. Et omittitur *quod* in Bern. B. Aliam rationem inierat Modius cum ederet *collaudatique*, minus concinne. Pauci mss. *collaudansque* habent Flor. FG Pal. 1. Ceterum *quinquaginta sestertia* sive 500 aurei Romani minas Graecas efficiunt 125 sive duo talenta cum quinque minis.

ipsam noctem, quae decederet, insidias comparatas fuisse, auctores scelesti consilii esse, quos minime crederet rex. Tum Epimenes cuncta ordine, consciorumque nomina ex- 24
ponit. Callisthenen non ut participem facinoris nominatum esse constabat, sed solitum puerorum sermonibus vituperantium criminantiumque regem faciles aures praebere. Quidam adiiciunt, cum Hermolaus apud eum quoque ver- 25
beratum se a rege quereretur, dixisse Callisthenen, meminisse debere eos iam viros esse: idque ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandum iuvenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse.

Rex, animi corporisque sopore discusso, cum tanti 26
periculi, quo evaserat, imago oculis oberraret, Eurylochum L talentis et cuiusdam Tyridatis opulentis bonis protinus donat, fratremque, antequam pro salute eius precaretur,

Cap. 23, §. 23. *noctem, quae decederet*] Sic vulgo, at Modius e Colon. *quae detegeret* elegantius ut ipsi videbatur edidit. Videtur voluisse *qua detegeret*, quod Elz. edidit et Snakenb. in Leid. Voss. 1 invenisse se dicit. Equidem non possum ea de re constituere propterea quod e nostris codd. nihil prorsus a vulg. lectione diversum enotatum est, nisi in Flor. C esse *qua detegeret*, in G *quae deciderat*. Vulgata satis placet.

§. 25. *idque ad consolandam — an ad incitandum*] Vulgo legebatur *idque an ad consolandam — an ad incitandum*. Nos prius illud *an* delevimus codicum optimorum auctoritate nisi, Leid. Voss. 1 nostrorum Flor. ABCDGI, in E legitur *idque iam ad*. (Ex Bernensibus nihil notatum est.) De duplici *an* pro *utrum — an* posito nolo longus esse, cum abunde dixerit post Cellarium et Heusingerum in Obss. antibarb. Handius in Tursellino vol. I, p. 307 sqq. Quod ubi invenitur oppositionis forma omittitur, repetitio cum aliqua argutia infertur, sicut laudatur Cels. III, 6 a med. *Videndum an adstrictum corpus sit, an profluat*, aut Senecae Suasor. VII *ita dubium an satius sit cum illis iacere, an cum his vivere*. Verumtamen inprimis convenit quaerere quid in libris veteribus sit, tum illud etiam utrum oppositio sit an non sit, sicut non est loco Curtiano VI, 27, 28 quem una cum hoc contra rem adhibet Handius.

Dictum esse olim edebatur a Vind. Mer. Alt. Ob grammaticam rationem iure correctum est ab Iunio, legitur tamen in Bern. A et Flor. DGI.

§. 26. *periculi, quo evaserat, imago*] Restituimus veterem lectionem *quo evaserat*, pro eo quod hodie obtinet *quod evaserat*, eam ob causam quod sic legitur in bono codice Voss. 1 nec multum abeunt Leid. Bern. A Flor. ABCE in quibus est *quo evaserit*. *Quod* in ceteris Flor. et Bern. B est, sed illi libri auctoritate plus valent. Sermonis quidem ratio utrumque patitur, nam *periculo evadere* bis apud Livium legitur lib. VIII, 26 et XXI, 33, 5. Vide Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 163. Totum hoc comma omisit Modius causa non addita.

Tyridatis opulentis bonis protinus donat] Revocavi librorum et mss. et olim editorum lectionem *opulentis*, pro qua Modius, quod sibi ita scribendum visum fuerit, edidit *opulenti*. Temere factum ac debebat certe *opulenti cuiusdam*. Sed longe rectius *opulenta bona* coniungas. *Protinus donat*, hoc ordine, omnes libri nostri, vulgo *don. protinus*.

it. Sceleris autem auctores, interque eos Callisthenen, asservari iubet: quibus in regiam adductis, toto die ce proxima, mero ac vigiliis gravis, acquievit.
ostero autem frequens consilium adhibuit, cui patres24 quique eorum, de quibus agebatur, intererant, ne de idem salute securi: quippe Macedonum more perire nt, omnium devotis capitibus, qui sanguine contigis- os. Rex introduci coniuratos praeter Callisthenen atque quae agitaverant, sine cunctatione confessi Increpantibus deinde universis eos, ipse rex, quo erito tantum in semet cogitassent facinus? interrogat. itibus ceteris, Hermolaus, *Nos vero*, inquit, *quoniam, nescias, quaeris, occidendi te consilium inivimus, quia ingenuis imperare coepisti, sed quasi in mancipia do- s.* Primus ex omnibus pater ipsius Sopolis, parrici- tiam parentis sui clamitans esse, consurgit, et ad os obiecta, scelere et malis insanientem ultra negat ndum. Rex inhibito patre dicere Hermolaum iubet, ex magistro didicisset Callisthene. Et Hermolaus, inquit, *beneficio tuo, et dico, quae nostris malis didici. pars Macedonum saevitiae tuae superest? quotus quidem vilissimo sanguine? Attalus et Philotas et Parmenio et stes Alexander et Clitus, quantum ad hostes pertinet, stant in acie, te clipeis suis protegunt, et pro gloria ro victoria vulnera excipiunt: quibus tu egregiam gratiam is. Alius mensam tuam sanguine suo aspersit, alius ne*

, §. 28. *frequens consilium*] od. et Flor. B *concilium*, C *con-* Sed post cap. 29 *consilium* sine etate mss. quamquam Modius rem *concilium* dedit. Mox pro est *contigissent eos*, non male Heinsius *reos*.
quotus quidem non e vilissimo] quit quod in plurimis codd. est id. *sanguine*, sed est *e* tamen, ius primus correxerat, in Flor. il ut hoc bene, ita temere idem od omnium mss. lectione *quotus* utata edidit *quotusquisque*. Ad- sententiam nonnihil illa particula, haec non item, nam ubi praecessit *quota pars Macedonum* significat *quotus* idem fere quod solet *quotusquisque* dici. *Quidem* autem ita sententiam quasi restringit ut sit: ex illis quidem qui aliquam generis nobilitatem habeant, nam plebeiis parcere soles. Tum *stantes in acie* Flor. DFGI atque sic Modium existimo scribere voluisse, cuius editio ineptissime *sta* exhibet. Denique *excipiunt* pro vulg. *accipiunt* nunc dedi codicum nostrorum et edit. Mod. consensum secutus, a quo tamen abest Flor. A et Leidensis liber.

simplici quidem morte defunctus est. Duces exercituum tuorum in equuleum impositi, Persis, quos vicerant, fuere spectaculo. Parmenio indicta causa trucidatus est, per quem Attalum occideras. Invicem enim miserorum uteris manibus ad 6
expetenda supplicia, et quos paulo ante ministros caedis habuisti, subito ab aliis iubes trucidari. Obstrepunt subinde cuncti 7
Hermolao, pater supremum strinxerat ferrum, percussurus haud dubie, ni inhibitus esset a rege: quippe Hermolaum dicere iussit, petiitque, ut causas supplicii augentem patienter audirent.

Aegre ergo coërcitis, rursus Hermolaus: *Quam liberaliter*, 8
inquit, *pueris rudibus ad dicendum agere permittis! at Callisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confessi audiuntur?* 9
nempe quia liberam vocem innocentis audire metuis, ac ne vultum quidem pateris. Atqui nihil eum fecisse contendo. Sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitaverunt: nemo 10
est, qui conscium fuisse nobis Callisthenen dicat, cum morti olim destinatus sit a iustissimo et patientissimo rege. Haec 11
ergo sunt Macedonum praemia, quorum ut supervacuo et sordido abuteris sanguine! At tibi XXX *milia mulorum captivum aurum vehunt, cum milites nihil domum praeter gratuitas cica-*

§. 7. *supremum strinxerat ferrum*] Recte Snak. *supremum* h. l. adverbium esse monuit, ut *ultimum illum visurus* V, 33, 8 et *postremum* apud Terent. Andr. II, 1, 22. Verum et *supremum* sic est apud Ovidium Met. XII, 526 *Quae mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum*, item apud Plinium, Tacitum alios, quos locos vide apud Forcell. *petiitque* retinui, quamvis mss. omnes cum veteribus editionibus habeant *petitque*. Neque enim praesens tempus esse puto, quoniam praecedit perf. *iussit*, sed a librariis, duplex *i* reformidantibus, ita scriptum. Eadem ratione Drakenborchius ad Livium V, 51, 3 defendit *repetiimus* sequente *eripuimus*, cum in libris mss. legeretur *repetimus*. De perfectis verborum cum *ire* compositorum, mendose *it* pro *iit* scriptorum, vide eundem ad lib. XXXVI, 20, 3.

Cap. 25, §. 8. *aegre ergo coërcitis*, nimirum illis qui prohibituri essent. Nam mss. quidem *coërcitus* mendose.

at Callisthenis] Mss. partim *et* exhibent, partim coniunctionem prorsus omittunt. Sunt tamen e nostris qui *at* servent Flor. DFGI.

§. 10. *cum morti olim* cet.] Hoc se negat intelligere Schefferus. At potest hoc facile aliquem e pueris movere, ut regi indicio gratificaretur et hominis dudum invisi culpa suam allevaret.

§. 11. *cum milites — relaturi sint*] Libri mss. plerique et olim ante Lipsium editi *sunt* habent, *sint* est in Flor. DFGI, non primae auctoritatis, fateor, sed tamen alicuius, atque etiam sine his sic erat corrigendum. Nam cum h. l. non potest esse temporale, quod dicitur, sed cogitando oppositio facta.

es relaturi sint. Quae tamen omnia tolerare potuimus, equam nos barbaris dederes, et novo more victores sub iugum teres. Persarum te vestis et disciplina delectat, patrios res exosus es. Persarum ergo, non Macedonum, regem ocere voluimus, et te transfugam belli iure persequimur. Tu acedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te ut deum: Philippum patrem aversaris, et si quis deorum ante Iovem eretur, fastidires etiam Iovem. Miraris, si liberi homines erbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te, bus aut insontibus moriendum est, aut, quod tristius morte , in servitute vivendum? Tu quidem, si emendari potes, ltum mihi debes. Ex me enim scire coepisti, quid ingenui nines ferre non possint. De cetero parce, quorum orbam ectutem suppliciis ne oneraveris: nos iube duci, ut, quod ex morte petieramus, consequamur ex nostra. Haec Hermolaus.

At rex: *Quam falsa sint*, inquit, *quae iste tradita a* 26
gistro suo dixit, patientia mea ostendit. Confessum enim imum facinus, tamen non solum [audivi, sed ut] ipsi audis, expressi, non imprudens, cum permisissem latroni huic

5. 15. *quid — ferre non possint*] ccat adversus grammaticorum regulas od vulgo editur *quod — possunt*, nam n quidem rem, quam Macedones ferre n poterant. i. e. peregrinos mores ac erbiam, noluit Hermolaus discere exandrum. *Quid* est in plerisque ris nostris, *possint* invenisse se scri- Snak. in Leid. Voss. 1 et est in rnensi A, reliqui nostri *possunt* ha- nt, solito errore, quo inseq. capite am *falsa sunt* non solum Bern. B et or. EFGHI sed etiam Flor. A et Leid. bent.

parce, quorum] Modius *his* addidit od item in Flor. G ab enarratore perscriptum extat. Eo quidem admiculo non egemus, quippe quod facile bintelligamus ipsi. Sed offendit parula *ne*, pro qua si *non* esset, locus peditus esset: parce nostris parenti- s, quippe quorum miseriem supplicio gere non possis. Sed videtur tamen rtius *ne oneraveris* pro imperativo suisse, quoniam longe frequentius est c linguae aetate *ne oneraveris* quam *ne onera*, construxisse autem pronomen relativum sic, uti cum ipso coniunctivo solet. Clericus in Iud. de Curt. c. 10 pro *parce quorum* scribi voluit *parentum*, Schefferus *per te horum*. Sed his epulis non utor.

Cap. 26, §. 2. *ut ipsi audiretis, expressi*] Locum manifesto corruptum aut mutilum correxi, ut intelligi possit. Mss. omnes et princ. edd. sic exhibent: *tamen non solum ipsi audiretis* (nonnulli mendose *audieritis*), Aldus supplevit et emendavit *tamen ut vos quoque, non solum ipse, audiretis*, eaque lectio iam vulgaris facta est, etsi inest aliquid durum et contortum, ut ex altera persona pluralis prima sing. ad pronomen *ipse* subintelligatur. Sed praeterea lectio ista Aldin. librorum auctoritate destituitur, neque facile intelligas, qui factum sit, ut tot vocabula intellectu facilia extrusa sint. Modius autem, omissis quae in mss. sunt, ea quae Aldus excogitaverat retinuit, ediditque *tamen ut vos quoque audiretis expressi*. Itaque veniam facilius impetraturum confido, si cui

dicere, usurum eum rabie, qua compulsus est, ut me, quem parentis loco colere deberet, vellet occidere. Nuper cum pro- 3
cacius se in venatione gessisset, more patrio, et ab antiquissimis Macedoniae regum usurpato, castigari eum iussi. Hoc et oportet fieri, et ut a tutoribus pupilli, a maritis uxores, servis quoque pueros huius aetatis verberare concedimus. Haec est 4
saevitia in ipsum mea, quam impia caede voluit ulcisci. Nam in ceteros, qui mihi permittunt uti ingenio meo, quam mitis sim, non ignoratis, et commemorare supervacuum est. Hermolao 5
parricidarum supplicia non probari, cum eadem ipse meruerit minime hercule admiror. Nam cum Parmenionem et Philotam laudat, suae servit causae. Lyncesten vero Alexandrum bis 6
insidiatum capiti meo a duobus indicibus liberavi, rursus convictum per biennium tamen distuli; donec vos postularetis, ut tandem debito supplicio scelus lueret. Attalum, antequam rex 7
essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clitus utinam non

et ipse errasse videbor, quoniam aliquanto minus a librorum scriptura discessi. Sed edebatur praeterea *ostendet*, pro quo recepi *ostendit* e Bern. A pr. m. et Flor. DFGI. Nam futurum certe ferri nequit, quoniam addit quae fecerit, non quae facturus sit. *Impudens* pro *imprudens*, quod in multis bonisque libris legitur, e vulgari genere errorum est. Tum *latroni huic* omnes mss., editi *huic latroni*.

quem — colere deberet] Sic et ratio postulat et librorum fere omnium auctoritas. Vulgo scribitur *debet*, sed post Aldum demum, nam edd. principes *deberent* habent. Quae corrigendi causa fuerit Aldo, vix intelligas, quamquam si omnes libri indicativum praeberent, ferre posses.

§. 3. *ab antiquissimis Macedoniae regum*] *Regibus* recentiores editiones habent secundum codd. non paucos sed deterioris ordinis, Voss. 2 Pal. 1 Flor. DFGI, ceteri cum editionibus antiquis *regum*. Est haec quidem poetarum dicendi ratio, sed a Livio et Curtio non raro usurpata. Sic IV, 17, 2 *delecti militum;* VIII, 2, 18 *sine delectis principum;* IV, 63, 29 *perculsi hostium;* V, 37, 18 *Pauci equitum*; VI, 22 *a finitimis satraparum;* VII, 38 *cum ferocissimis gentium;* X, 24 *equitatus ex nobilissimis iuvenum constabat. Castigari eum* pro vulg. *eum castigari* omnes mss.

et ut a tutoribus pupilli] Paulo durius suppletur ex infinitivo *verberare* finitum verbum *verberantur*, neque tamen hoc tantum est, ut necesse sit de corrigendo loco cogitare. Tamen quod Acidalius pro *et ut* scribendum censuit *et ferunt*, magnopere placet. Sed hoc non silendum in mss. Flor. quidem omnibus et Bern. A Leid. Vos s. 2 editionibusque vetustis ante Iun. *oportere* legi pro *oportet*, nec scio an Voss. 1 et Bern. B auctoritas, qui silentur, parum certa sit.

§. 4. *et commemorare*] *Et* abest ab olim editis et mss. meis quidem omnibus, praeter Bern. A, sed Snakenb. de suis tacet, nec ego libenter omiserim. Modius certe temere videtur fecisse, qui totum hoc *commemorare supervacuum est* sustulerit. Unus Flor. C *supervacaneum*, sed optimi quique fere rem *supervacaneam* esse dicunt, sed *supervacuum est* impersonaliter ponunt. Vide Sallust. bell. Cat. 50 et 61 et quae illic annotantur.

§. 7. *utinam non coëgisset*] Ratio postulat *utinam ne* sed etiam illud Cicero, vide Gramm. §. 571.

coëgisset me sibi irasci. Cuius temerariam linguam probra dicentis mihi et vobis diutius tuli, quam ille eadem me dicen-
8 *tem tulisset. Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia: ubi vero reverentia excessit animis, et summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus.*
9 *Sed quid ego mirer, istum crudelitatem mihi obiecisse,*27 *qui avaritiam exprobrare ausus sit? Nolo singulos vestrum excitare, ne invisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro gravem fecero. Totum exercitum aspicite: qui paulo ante nihil praeter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis; mensas auro onerant, servorum greges ducunt, spolia de hostibus sustinere non*
10 *possunt. At enim Persae, quos vicimus, in magno honore sunt apud me! Equidem moderationis meae certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbe impero. Veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidia parte terrarum solitudinem facerem, sed ut illos, quos bello subegissem,*

probra dicentis] Sic omnes mss. nostri et Snakenburgii cum edit. Modiana: vulgo *dicentem* minus apte.

§. 8. *non in ipsorum*] *In* abesse a Snakenb. libris omnibus traditur et abest a Bern. A, sed legitur in Florentinis praeter FG, in I est *non mihi ipsorum*.

mitigantur imperia] *Ingenia* contra rem Sigeberg. Modii Pal. 1 Flor. DFGI. Aliter peccant mox Flor. EH Bern. B *ubi vero reverentiam excussit animus*.

Cap. 27, §. 9. *nolo singulos*] *Nolo in singulos* Bern. A Flor. BCEH Bern. B Voss. 2, tum *invisam mihi liberalitatem meam* omnes libri et Snak. et mei praeter Flor. B. Videtur olim ab enarratore adiectum esse, cum tamen *vobis* potius debuerit. Post *servorum greges* mss. omnes, editi praeter Mod. *greges servorum*, sed *ornant* duo soli Flor. C et Bern. B.

§. 10. *Equidem moderationis* cet.] *Equidem* h. l. se tueri potest auctoritate codicis Flor. A, sed magis etiam ea re defenditur, quod ceterorum codicum et editionum vett. lectio *quidem* ferri nequit. Nam sive coniungis *in magno honore sunt apud me quidem*, sive *apud me quidem moderationis meae certissimum indicium est*, aeque erit absona sententia. Altera enim ratione *quidem* abundabit, altera totum istud *apud me quidem* ne Latinum quidem est. Quid sit quod in Modiana editione haec verba *apud me quidem* punctis utrimque coërcita quasi singulare colon a cetera oratione separantur, fateor me non intelligere. *Equidem* supra V, 35, 3 sine varietate lectionis pro *quidem* positum legitur, hoc loco asseverantis est et respondentis, quo fere sensu *vero* poni solet, ut sit pro *hoc vero certissimum indicium est* cet. Locus simillimus est Livii lib. V, 51, 4, ubi Camillus de civium suorum perversitate questus, Capitolium deosque prodentium, iam quid sibi contra ea videatur, sic exponit: *Equidem, si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones nullae essent, tamen tam evidens numen hac tempestate rebus adfuit Romanis, ut omnem neglegentiam divini cultus exemptam hominibus putem*, quo loco nulla est scripturae varietas.

ne victis quidem] Flor. CDFI *nec victis quidem*, Flor. EH Voss. 2 *nonne victis quidem*.

ut dimidia parte terrarum solitudinem

victoriae meae non poeniteret. Itaque militant vobiscum, pro 11
imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbe habiti rebellas-
sent. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur:
beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non 12
transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia;
horum fides stabile et aeternum faciet imperium. Et sane plus
habemus, quam capimus. Insatiabilis autem avaritiae est, adhuc
impleri velle quod iam circumfluit. Verumtamen eorum mores 13
in Macedonas transfundo! In multis enim gentibus esse video,
quae non erubescamus imitari; nec aliter tantum imperium
apte regi potest, quam ut quaedam et tradamus illis, et ab
iisdem discamus.

28 *Illud paene risu dignum fuit, quod Hermolaus postulabat* 14
a me, ut aversarer Iovem, cuius oraculo agnoscor. An etiam 15
quid dii respondeant, in mea potestate est? Obtulit mihi filii
nomen, recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit.

facerem] Vulgo editur *dimidiam partem*, nec displicet. Sed cum non minus rectum sit *dimidia parte*, constantiae causa hoc recepimus. Legitur enim in codd. Flor. ABCEH Bern. utroque et Snak. tribus. Item post *quoque* delevimus, quod in vulgatis codd. legitur post *illos*, Leid. Voss. 1 et 2 Bern. utrumque et Flor. ABCEH secuti. Superest in Flor. DFGI qui cum Pal. 1 propriam sectam constituunt.

§. 12. *plus habemus quam capimus*] Mss. omnes et edd. vett. *cupimus*. Illa est Acidali emendatio, quam non potui non cum Freinshemio veram existimare. Conqueritur enim hoc ipso loco de quorundam avaritia plus aequo habere cupientium eodemque ducit verbum *implere*, quod sequitur. Sed haec ipsa vox corrigenda est, si suas potestates verba obtinere volumus. Nam quod vulgo legitur *avaritiae est*, (sic recte editi, scripti *avaritia* praeter paucos eosdemque optimos, Flor. A Leid. Bern. A) *adhuc implere velle quod iam circumfluit*, intelligi nequit nisi *circumfluere* dici volueris vasa propterea quod nimis repleta sunt redundantia. At circumfluit non poculum sed humor qui illis continetur, contra non impletur aqua, sed poculum. Itaque eo deducimur ut videatur corrigendum esse *impleri*: avari volunt impleri iis rebus, quae iam circumfluunt, i. e. quorum iam copia laborant. Sic igitur nunc scripsimus.

§. 13. *eorum mores in Mac. transfundo*] Codd. et edd. principes mendose *eorum in Mac. transeundo*. Vulgata lectio Aldo debetur. Vox *mores* quae necessaria videtur legitur tamen in Flor. D, *transfundo*, si fides est silentio, in Leidensi.

Cap. 28, §. 14. *paene risu dignum*] Non tuli diutius quod adhuc editum fuit *paene dignum risu*, sed ex Flor. DFGI et deteriore secta Flor. EH Bern. B *risu dignum*, eo ordine verborum quo h. l. convenit, scripsi. Deinde in priorem edit. meam ex repetita edit. Bipontina, quam typographis describendam dederam, irrepserat mendum *adversor Iovem*; oportet esse *aversarer* sicut in libris est mss. omnibus praeter Flor. G Bern. B Voss. 2, et supra fuit, quo respicit oratio cap. 25, 13.

§. 15. *obtulit mihi fil. nomen*] Neque h. l. potui non recipere meliorem verborum ordinem ex Flor. DFGI. Nam vulg. *obtulit nomen filii mihi* ab omni parte languidus et vitiosus est.

nam Indi quoque deum esse me credant! Fama enim a constant, et saepe etiam quod falso creditum est veri m obtinuit. An me luxuriae indulgentem putatis arma ra auro argentoque adornasse? Assuetis nihil vilius hac eri materia volui ostendere, Macedonas invictos ceteris ne o quidem vinci. Oculos ergo primum eorum sordida omnia humilia spectantium capiam, et docebo, nos non auri aut enti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venire. Quam iam tu, parricida, intercipere voluisti, et Macedonas, rege mpto, devictis gentibus dedere. At nunc mones me, ut ve- s parentibus parcam! Non oportebat quidem vos scire, d de his statuissem, quo tristiores periretis, si qua vobis entum memoria et cura est: sed olim istum morem occidendi n scelestis insontes propinquos parentesque solvi, et profiteor, eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Nam m Callisthenen, cui uni vir videris, quia latro es, scio, cur duci velis: ut coram his probra, quae in me modo iecisti, do audisti, illius quoque ore referantur. Quem, si Macedo et, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum: nc Olynthio non idem iuris est.

Post haec consilium dimisit, tradique damnatos homi-29 ous, qui ex eadem cohorte erant, iussit. Illi, ut fidem am saevitia regi approbarent, excruciatos necaverunt.

.16. *nihil vilius hac videri materia*] od in recentioribus editionibus legitur re, ab Acidalio est, repertum illud dem in aliquot codd. Flor. DFI, sed rorum librorum scripturae non praeendum. Cetera recte explicuit idem idalius. Indi mirabuntur, si, quod in rum tantum terra putant abundare, id nos quoque parvi aestimari et sorum esse viderint. Tum *ne — quia* scripsi quod vulgo est *nec — quia* ex duobus libris Flor. BF, propterea od h. l. particula copulativa nulla orsus ratione explicari potest. Cf. ad , 4.

§. 17. *sordida omnia*] Flor. DFGI nia *sordida*. Hoc merito neglexi. d mox *venire* recipiendum fuit mss. nium iussu: editi *venisse*.

§. 19. *quae in me modo iecisti*] Sic omnes codd. Snak. et nostri praeter Flor. F, a quo prius *modo* abest: editi praeter Iun. et Mod. *quae modo in me iecisti*. Quod ex adverso ponitur *modo audisti* explica „modo ab aliis, nimirum a Callisthene et consciis, in conventibus vestris in me iacta audisti." Nam si simplici oppositione probra iacere et audire intelligas, quasi accusare et accusari, eo devenias quo Modius venit, ut alterum colon *modo audisti* male adiectum putes, quoniam Callisthenes quidem probra in Hermolaum vice versa a rege coniecta non esset repetiturus. Et abest quidem illud a Voss. 2 sed mendum putamus, cuius causa aperta est.

Cap. 29, §. 20. *hominibus qui ex eadem cohorte erant.*] Freinsh. *omnibus*, Heinsius *commilitonibus* vel *comitibus* coniecerunt, frustra opinor.

Callisthenes quoque tortus interiit, initi consilii in caput 21
regis innoxius, sed haudquaquam aulae et assentantium
accommodatus ingenio. Itaque nullius caedes maiorem apud 22
Graecos Alexandro excitavit invidiam, quod praeditum optimis moribus artibusque, a quo revocatus ad vitam erat, cum interfecto Clito mori perseveraret, non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidem causa. Quam crude- 23
litatem sera poenitentia consecuta est.

30 Sed ne otium serendis rumoribus natum aleret, in II.
Indiam movit, semper bello quam post victoriam clarior. 1
India tota ferme spectat Orientem, minus in latitudinem, 2
quam recta regione spatiosa. Quae Austrum accipiunt, in 3
altius terrae fastigium excedunt; plana sunt cetera, multisque inclitis amnibus Caucaso monte ortis placidum per campos iter praebent. Indus gelidior est, quam ceteri: 4
aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes. Gan- 5
ges omnium ab Oriente fluvius eximius ad meridianam re-

§. 21. *aulae et assentantium.*] Bern. AB Flor. ABCEH Leid. Voss. 1 *male assentantium.* Vulgata quam Aldus primus constituit auctoritate sectae alterius (Flor. DFGI) nititur.

§. 22. *nullius caedes.*] *Caedis* plerique omnes mss. praeter Flor. DGI. Post *quam quod* edd. vett. (ante Modium) et codd. Pal. 1 Flor. DEGH, nimirum nota bis expressa. Ceterum a caedis crimine Alexander absolvitur, si Aristobulus et Chares veriora tradiderunt Ptolemaeo: illi enim in vinculis aliquanto post mortuum rettulerunt: vide Arrianum IV, 14, Plutarchum in Alex. 55.

a *quo revocatus ad vitam erat.*] „Rem ipsam Curtius supra c. 7 (2, §. 12) sine nomine tradit: Arrianus Anaxarcho adulatori primas partes tribuit. Plutarchus (c. 52) addit Callisthenem, qui idem, sed sine adulatione regi facundia sua persuaserit, ut a perniciosiore consilio abstineret.“ Cell.

Cap. 30, §. 2. *spectat Orientem*, i. e. orientem versus extenditur, eam vocat *rectam regionem*, cf. VI, 6, 13. Pro eo quod est *tota ferme* in Flor. DFGI est *ferme tota*, pro *spectat* Bern. A pr. m. Leid. Voss. 1 *exspectat* vitiose.

§. 3. *Quae austrum accipiunt.*] Meridionalem terrae partem, paeninsulam, hodie Decan intelligit, montanam sane et altam. Septentrionales montes, quos hodie uno nomine Himalaya comprehendimus, Macedones Caucasi montis nomine appellarunt, vide Strab. lib. XV, pap. 689. Quae latissima regio in medio est, India est proprie.

§. 5. *Ganges omnium ab oriente fluvius eximius.*] Expressimus scripturam codd. optimorum Leid. Voss. 1 Bern. A. Flor. A, aliorum, qui per se minus auctoritatis habent, Voss. 2. Bern B. Flor. EGH, item editionum principum, nec multum abit Flor. C in quo *ad Orientem*, cetera eadem leguntur. Ceteri mss. *Ganges amnis ab Oriente eius exiens*, Flor. DFI Pal. 1. Aldus edere coepit *Omnium ab ortu fluvius eximius*, Modius *Ganges omnium ab ortu maximus*, Freinshenius denique *Ganges amnis ab ortu eximius*, ut statim a fonte magnus diceretur. Sed illud *ab ortu* unde Aldus acceperit dubium est. Quid igitur restat nisi ut nomen *eximius* tanquam superlativum cum genitivo con-

gionem decurrit, et magnorum montium iuga recto alveo stringit; inde eum obiectae rupes inclinant ad Orientem. Uterque Rubro mari accipitur, findens ripas, multasque arbores cum magna soli parte exsorbet, saxis quoque impeditus, quis crebro reverberatur: ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines Indum auget: decursurum in mare intercipit, magnoque motu amnis uterque colliditur: quippe asperum os influenti obiicit, nec repercussae aquae cedunt. Dyardenes minus celeber auditu est, quia per ultima Indiae currit: ceterum non crocodilos modo, uti Nilus, sed etiam delphinos ignotasque aliis gentibus beluas alit. Ethimantus, crebris flexibus subinde curvatus,

iunctum et *ab oriente* pro in terris orientalibus positum esse dicamus? Nec ego quicquam huic rationi puto magnopere obstare, sicut et alibi et IX, 12, 13 *regio a meridie minus vasta* est pro regione, meridiana. Quod sequitur *ad* meridianam regionem, non sic est in mss. quorum plerique *a meridiana regione*, alii *a media regione*, alii denique *et meridiana regione* exhibent. Verum necesse est sic ut vulgo (post Freinsh.) legitur emendari, nec id difficile est.

Inde eum] Mss. et edd. vett. *in eum*, sed recte emendatum est. *Inde* explica cum Freinshemio postquam e montibus se expedivit et in planitiem devenit.

§. 6. *Uterque Rubro mari accipitur*] Veterum Codicum concordantem fere scripturam secuti sumus, nisi, quod *quis crebro reverberatur* dedimus pro eo quod in mss. est *quia crebro reverb.* unde iam principes editores fecerant *quibus*, cum Modius prorsus tolleret. Edebatur adhuc vulgo secundum Aldi coniecturam *Utque rubro mari accipitur — multas arbores — exsorbet, saxis quoque impeditus crebro reverberatur*, nimirum quod haec omnia ad unum Gangen pertinere videbantur qui in §. 8. bis apellatur vulgo. Hoc cum manifesto falsum sit, et a nobis correctum, sextam septimamque paragraphum de utroque fluvio, et Gange et Indo, communiter intelligimus.

§. 8. *Acesines Indum auget*] Mss. *Acesin* aut diducto nomine *Aces in eum auget*, unde Aldus facile effecit *Acesines eum auget*, sicut vulgo editur. Nam *Arces* in Flor. CEH Bern. B Voss. 2 eodem pertinet. Sed h. l. audendum aliquid fuit, si veritati consulere vellemus, nec difficilis emendatio est. *Indum* feci ex eo quod fuit *eum*. Tum quod proxime bis *Gangis* nomen legitur in libris, *Ganges decursurum in mare intercipit*, et *quippe Ganges asperum os influenti obiicit*, utroque loco nomen illud tollendum est, tamquam a correctore adiectum, qui omnia ad Gangem referri putaverit. Acesinen constat ex Arriano VI, 14 primum Hysdaspen, deinde Hydraoten, postremo Hyphasin in se nomenque suum recipere omniumque coniunctas aquas suo nomine in Indum emittere. Itaque quod auctor IX, 15 similiter de confluentibus Acesinis et Hydaspis narrat, poterat iure quodam suo ad Indi confluentes cum Acesine tantopere aucto transferre.

§. 9. *Dyardenes*] Flor. (Heinsii) Leid. Voss. 1 *Deardenes;* e nostris Flor. nihil aliud enotatum est, nisi *diardines* esse in DI, *diardens* in E, *dirdines* in F, *diardes* in H; *Diardenes* in Bern. A, *Diardens* in Bern. B scribitur. Ignotum ceteris scriptoribus nomen est. In eo amne esse tradit *delphinos*. Nam sic nostri omnes, non *delphines*, et graeca forma utique relinquenda est poetis.

§. 10. *Ethimantus*] Vulgo *Erymanthus*, sed cum amnis, sive hoc sive illo nomine appellatur, aeque ignotus sit, praestare censuimus scribere quod in omnibus mss. nostris est. In Leid. et

ab accolis rigantibus carpitur: ea causa est, cur tenues reliquias iam sine nomine in mare emittat. Multis praeter 11
hos amnibus tota regio dividitur, sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt. Ceterum quae propiora sunt mari aqui- 12
loni maxime decurrunt: is cohibitus iugis montium ad interiora non penetrat, ita alendis frugibus mitis. Sed adeo 13
in illa plaga mundus statas temporum vices mutat, ut, cum alia fervore solis exaestuant, Indiam nives obruant, rursusque, ubi cetera rigent, illic intolerandus aestus existat. Nec aperuit se naturae causa. Mare certe, quo alluitur, 14
ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege

Voss. 1 *Ethymanthus* dicitur exhiberi. Arrianus lib. IV, 6, 13 mentionem facit fluminis *Etymandri*, Ἐτύμανδρος, ὃς δι' Εὐεργετῶν ῥέει, sed locorum intervallum nimis magnum est.

§. 11. *quia non adeo interfluunt.*] Hoc videtur dicere, non longe fluunt, priusquam cum ceteris maioribus amnibus misceantur, ut *inter* ad spatium pertineat, quod est inter ortum et finem eorum amnium.

§. 12. *aquiloni maxime decurrunt, is cohibitus iugis.*] Propius accessimus ad codd. scripturam quam Aldus, cuius emendatio a ceteris editoribus in textum recepta est. Sic ille: *aquilonis max. deurunt, ii cohibiti iugis montium ad interiora non penetrant, ita — mites*, (sed *mitia* Freinsh. de coniectura Acidalii) qua in scriptura *deurendi* verbum de nimio frigore videtur intellexisse, id quod a natura coeli longissime abest. Si vero de nimio calore intellexit, ne hoc quidem cum veritate convenit, cum ventus ille quem significat afferat ille quidem tempestates et imbrium maximam vim, non autem intolerabilem aestum. Iam vide codices magno consensu sic exhibentes: *aquiloni max. decurrunt, his cohibitus — penetrat — mitis.* Hoc igitur nunc restitui sic ut pro *his* darem *is*, (quod ipsum legitur in Voss. 2) ac puto sic explicari posse, ut *aquiloni decurrere* dicatur regio, quae declivitate sua aquiloni maxime exposita sit. *Aquilonem* autem cum Schmiedero existimo appellatum esse etesias Indicos (Süd-west Monsoon) eam ob causam quod ἐτησίαι Graeci a septentrionibus flant. Venti autem illi postquam trans montes desaevierunt, ad interiora lenes veniunt, itaque alendis frugibus aptiores.

§. 13. *statas temporum vices*] *statutas* Flor. CDFGI Voss. 1 Pal. 1, item edd. veteres ante Modium.

Nec aperuit se naturae causa] Locus corruptus in plerisque codicibus legitur sic: *nec cur ubi se natura causa.* Flor. tamen B pro *ubi* habet *nisi*, D *ibi*, EH Bern. B *tibi*, tres etiam codd. Flor. FGI cum Pal. 1 *naturae causa.* Quod vulgo editur *nec cur, ulli se naturae causa ingessit* ab Aldo est, qui sic emendaverat quia in editionibus principibus invenerat *nec cur ubi se naturae causa mare quod alluitur ingessit nec colore quidem abhorret a caeteris.* Ac sunt mss. qui cum illis editionibus congruant, sed ex deteriorum ordine, nec habent *ingessit*, sed *ingrescit* Flor. CE, *nigrescit* GH Bern. B, quod quin ortum sit ex vocula *certe* dubium esse nequit. Ceteri codices omnes illud verbum non exhibent, sed sic continuant: *mare certe, quod alluitur, ne colore quidem* cet. Pro *quod alluitur* Aldus recte videtur scripsisse *quo allicitur*, nam Flor. DI *coalluitur* exhibent; potuisset quidem et *quod alluit.* Verum quod caput rei est, correctione Aldina reiecta, locus sine ope destitutus est, sed ni fallor aliud latet melius. Equidem olim legendum existimavi *nec aperuit natura causam*, nunc malo *nec aperuit se naturae causa*, alii fortasse alia invenient quae propius accedant ad codicum scripturam.

§. 14. *Erythro rege*] Mei quidem

litum est nomen: propter quod ignari rubere aquas
dunt.

Terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes. Libri31
orum teneri haud secus quam chartae, litterarum notas
iunt. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles
it. Animalia inusitata ceteris gentibus, nisi invecta.
dem terra rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum
ior est vis, quam quos in Africa domitant; et viribus
gnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni
dicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margari-
que mare litoribus infundit. Neque alia illis maior opu-
tiae causa est, utique postquam vitiorum commercium
gavere in exteras gentes: quippe aestimantur purgamenta
aestuantis freti pretio, quod libido constituit. Ingenia
minum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs
mat. Corpora usque pedes carbaso velant, soleis pedes,
ita linteis vinciunt; lapilli ex auribus pendent; brachia
oque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut
bilitas aut opes eminent. Capillum pectunt saepius, quam
ident; mentum semper intonsum est; reliquam oris cutem
speciem levitatis exaequant.

Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appel-32
it, super omnium gentium vitia. Cum rex se in publico

ices omnes et h. l. et infra lib. x c. *rithro*, pauci *Erythro*: quod nunc go editur *Erythra*, Salmasius Exerc. . p. 341, ed. Ultr. commendavit, ptera quod *Erythras* appellatur ille d Strabonem XVI p. 779 et Plinio hist. VI, 23 et Mlea III, 8.

ap. 31, §. 15. *quam chartae.*] Codd. *rtae* aut *cartae*, edd. princ. *carthae*, us, Iunius, Modius *cerae* qua corre- ne opus non est, quia in frequentissimo originis oblivisci mur, chartamque sus sicut hodie Papier, pro mate- in qua scribitur, ponimus.

rra rhinocerotas.] Vulgo *et rhin.* sed iunctionem inutilem omittunt libri . sed multi *rinocerontas*, *n* male addito.

. 19. *vitiorum commercium.*] *Vicino-* Voss. 2 Flor. G. Sed paulo post *exaestuantis freti* elegantius pro vulg. *aestuantis* Leid. Voss. 1 Flor. BDG Bern. A. Cf. ad VII, 16, 11.

§. 20. *locorum quoque situs.*] Praeter insitam naturam etiam coeli locorumque condicionem multum valere dicit ad hominum mores formandos, ne *quoque* male collocatum putes pro eo quod esse debeat *sicut ubique apud illos quoque*, id quod admodum languide dictum esset.

§. 21. *usque pedes.*] Nota simplicem accusativum, nec novi antiquius in prosario scriptore huius usus exemplum. Unus Flor. G *usque ad pedes.*

Cap. 32, §. 23. *super omnium gentium vitia.*] *Super* edd. vett. et codd. Florentini quidem omnes et Leidensis, vulgo nunc *supra*. Constat eas particu-

conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea 24
lectica, margaritis circumpendentibus, recubat: distincta sunt auro et purpura carbasa, quae indutus est: lecticam sequuntur armati corporisque custodes, inter quos ramis aves 25
pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet: totas eas vitis auro caelata 26
percurrit, aviumque, quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet, cum 27
capillum pectit atque ornat: tunc responsa legationibus, tunc iura popularibus reddit. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. Venatus maximus labor est inclusa vivario ani- 28
malia inter vota cantusque pellicum figere. Binum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt maiore nisu quam effectu. Quippe telum, cuius in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit; longior ubi 29
expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pellicum longus ordo sequitur: separatum a reginae ordine agmen est, aequatque luxuriam. Feminae epulas parant. Ab iisdem vinum ministratur, cuius 30

las non solum a librariis sed ab ipsis scriptoribus solere permutari. Itaque si malueris, possis *supra* retinere auctoritate Bern. A et Voss. 1.

Cum rex se] Vulgo *cum rex sane* editur: sed hoc quidem idoneum sensum non habere facile patet, codd. autem aliquot *se ne* (diductis syllabis) exhibent, Flor. DFGI Pal. 1, Modius edidit *se*. Schefferus *sese* coniecit, idque in prior. edit. receperam, quod propius a codicum scriptura abest. Nunc me deterret quod Curtius ea forma rarissime utitur (legitur autem VIII. 44, 2) quamquam apud Ciceronem frequentissima est. Ipse forma *semet* delectatur, etiam ubi simplex *se* sufficeret.

§. 27. *responsa legationibus*] Plerique omnes mss. *legationis*, Flor. G *legatis*, soli Flor. EH Bern. B *legationibus*, quod nihilominus verum existimo.

illinuntur pedes] Sic codd. meliores (nostri Bern. A Flor. AB) deteriores *illiniuntur*. Edd. veteres usque ad Modium *illinunt*. De duplici forma *linere* et *linire* vide Burmann ad Quintil decl. XIII. 5 Gesner. in Lex. rust. s. v. *allinio*.

§. 28. *binum cubitorum*.] *Binorum* codd. Flor. DFI et edd. veteres ante Modium, contra usum numeralium distributivorum. Sed Flor. G etiam *binum cubitum*, quod non spernendum. Sed Conr. Schneiderus ex Plinii nat. hist. XXI. 17, 68 *duum cubitorum* laudat. Tum *maiore nisu* et optimi et plurimi mss. ita ut e nostris solus Flor. D nixu exhibeat. Hoc Aldus edere coepit et adhuc servatum est. Cf. ad VII. 36, 7.

§. 29. *aequatque luxuriam*.] Hoc nihilo deterius est quam quod Aldus correxit *aequatque luxuria*, sed infinito praestat auctoritate. Certe de meis et Snakenburgii codicibus nullus ablativum habet.

omnibus Indis largus est usus. Regem mero somnoque sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes deos.

31 Quis credat inter haec vitia curam esse sapientiae? 33 Unum agreste et horridum genus est, quod sapientes vo-
32 cant. Apud hos occupare fati diem pulchrum, et vivos se cremari iubent, quibus aut segnis aetas aut incommoda valetudo est: expectatam mortem pro dedecore vitae habent. Nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur:
33 inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur et futura praedicere. Nec quemquam admovere leti diem credunt, cui expectare interrito liceat.
34 Deos putant quicquid colere coeperunt, arbores maxime,
35 quas violare capital est. Menses in quinos denos descri-
36 pserunt dies, anni plena spatia servantur. Lunae cursu notant tempora, non, ut plerique, cum orbem sidus implevit, sed cum se curvare coepit in cornua, et idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunae modum
37 dirigunt. Multa et alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud sane operae videbatur.

Cap. 33, §. 31. *et horridum genus est, quod*] Omnes et Snak. et nostri codd. *quod*, praeter unum Flor. I. Primus *quos* edidit Aldus. Sed *est* in optimis libris omittitur. Duplex utique scriptura codicum est, aut enim *horridum genus quod*, aut *sordidum genus est quod* exhibent, hoc alterum Flor. DFGI. Nec tamen verbo illo facile velis carere.

§. 33. *Illi qui in urbibus*] Alterum genus sapientum dicit, oppositum illis qui in silvis separati a reliquis vivunt.

§. 34. *capital est.*] Sic Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, ceteri ut vulgo post Aldum editur *capitale est.* Cf. ad VIII, 15, 17.

§. 35. *anni plena spatia servantur.*] Revocavi veterem lectionem *servantur*, quia omnium librorum antiquorum est. Primus Modius correxit *servant*, aequalitatis causa, sed iuvabit etiam variatio. *Plena* abest non solum a deterrima secta librorum Flor. CEH Bern. B Voss. 2, sed etiam a Bern. A et Flor. B, et posse abesse quis neget, cum illud ipsum, quod iustos annos solares distinguunt, sicut occidentales populi, insit in verbo servare.

§. 37. *haud sane operae videbatur*] Mss. omnes *haud sine opere*, quae commodi sui ratio cum dedecere recte visa esset editoribus, Aldus edidit *haud sane operae pretium videbatur.* Atque hoc ceteri secuti sunt, donec Modius *pretium* deleri iussit, servatis reliquis. Recte. Nam *operae est* pro opera dignum est, tanti est, aut vacat, non raro veteres dixerunt, atque id genus loquendi Livio prae ceteris placuit: lege quae ad locum lib. IV, 8 *neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operae erat id negotium agere*, collegerunt Gebhardus et Drakenborchius.

34 Igitur Alexandro fines Indiae ingresso gentium suarum x
reguli occurrerunt, imperata facturi, illum tertium Iove genitum ad ipsos pervenisse memorantes: Patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse, ipsum coram adesse cernique. Rex benigne exceptos sequi iussit, iisdem itine- 2
rum ducibus usurus. Ceterum cum amplius nemo occurreret, Hephaestionem et Perdicam cum copiarum parte praemisit ad subigendos, qui aversarentur imperium: iussitque ad flumen Indum procedere, et navigia facere, quis in ulteriora transportari posset exercitus. Illi, quia plura flu- 3
mina superanda erant, sic iunxere naves, ut solutae plautris vehi possent, rursusque coniungi. Post se Cratero 4
cum phalange iusso sequi, equitatum ac levem armaturam eduxit, eosque, qui occurrerant, levi proelio in urbem proximam compulit. Iam supervenerat Craterus. Itaque ut 5
principio terrorem incuteret genti nondum arma Macedonum expertae, praecipit, ne cui parceretur, munimentis urbis, quam obsidebat, incensis. Ceterum dum obequitat moeni- 6
bus, sagitta ictus est. Cepit tamen oppidum, et, omnibus incolis eius trucidatis, etiam in tecta saevitum est.

35 Inde domita ignobili gente, ad Nysam urbem pervenit. 7
Forte castris ante ipsa moenia in silvestri loco positis, nocturnum frigus vehementius quam alias horrore corpora affecit, opportunumque remedium ignis ablatum est. Caesis 8
quippe silvis flammam excitaverunt, quae, igni alita, oppi-

Cap. 34, §. 1. *fines Indiae*] Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 *finis*.

§. 2. *aversarentur imperium*] *Adversarentur* Flor. BDEFGHI Bern. B Voss. 2 perpetua confusione, *quia versarentur* Bern. A pr. m. unde explicatur Flor. A *qui versarentur*. Cf. ad VII, 4, 29.

§. 4. *eosque qui occurrerant*] *Occurrent* Flor. A Leid. Voss. 1 Bern A pr. m., *recurrerent* Flor. D *occurrerunt* FG, *recurrerunt* I. Sed praestat reliquorum scripturam exprimere, nam *occurrerent*, quod malles fortasse ex optimis illis corrigere, quoniam de uno conflictu dictum est, sermonis leges non ferunt.

§. 6. *dum obequitat — ictus est*] Fefellit editores latinitas, nam cum in omnibus mss. tempus praesens sit, correxerunt illi quidem *obequitabat*. Cf. ad IV, 32, 30. Sed *est* abest a plurimis et optimis libris, videtur tamen excidisse potius quam supplendum esse, et extat in Flor. CEH Bern. B.

Cap. 35, §. 7. *ante ipsa moenia*] Hoc verba ordine collocantur in codd. nostris omnibus; item aliquanto post iidem *erant facta*, pro vulg. *facta erant*, denique *ad urbem ipsos*, quod vulgo est *ipsos ad urbem*.

§. 8. *quae igni alita*] *Flamma igni alita* non iniuria Fabrum offendit, itaque *lignis alita* emendavit. Posses etiam *igni alito*, atque sic ipse edideram olim. Sed videtur alia explicatio in eo esse,

danorum sepulcra comprehendit. Vetusta cedro erant facta, conceptumque ignem late fudere, donec omnia solo aequata
9 sunt. Et ex urbe primum canum latratus, deinde etiam hominum fremitus auditus est. Tum et oppidani hostem,
10 et Macedones ad urbem ipsos venisse cognoscunt. Iamque rex eduxerat copias, et moenia obsidebat, cum hostium qui discrimen temptaverant obruti telis sunt. Aliis ergo deditionem, aliis pugnam experiri placebat: quorum dubitatione comperta, circumsideri tantum eos, et abstineri caedibus iussit. Tandemque obsidionis malis fatigati dedidere
11 se. A Libero Patre conditos se esse dicebant; et vera
12 haec origo erat. Sita est sub radicibus montis, quem Meron incolae appellant. Inde Graeci mentiendi traxere licentiam, Iovis femine Liberum Patrem esse celatum.
13 Rex, situ montis cognito ex incolis, cum toto exer-36
citu, praemissis commeatibus, verticem eius ascendit. Multa hedera vitisque toto gignitur monte; multae perennes aquae
14 manant. Pomorum quoque varii salubresque suci sunt, sua sponte fortuitorum seminum fruges humo nutriente. Lauri
15 baccarisque multa in illis rupibus agrestis est silva. Credo equidem, non divino instinctu, sed lascivia esse provectos, ut passim hederae ac vitium folia decerperent, redimitique
16 fronde toto nemore similes bacchantibus vagarentur. Vo-

quod cum ignis congestis lignis augetur, flamma excitatur maior, itaque ipso igni etiam alitur.

§. 10. *dedidere se*] *dedere se* Leid. Voss. 1 Bern. A pr. m. Flor. ADFGI.

§. 12. *Meron incolae*] *Memoron* Leid. Voss. 1 Bern. A pr. m. Flor. ADFGI Pal. 1.

Cap. 36, §. 14. *salubresque suci sunt*] *Suci* simplici c et h. l. codices msti, et alibi quoque hanc esse probabiliorem scripturam constat. Vide Schneideri Elementarl. p. 402. Quod ignorans Modius *loci* edidit, nam sic in mss. illius fuisse non adducor ut credam.

fortuitorum seminum] Olim variam scripturam in illo libro fuisse, ex quo exemplaria quae nunc sunt, ducta videntur, indicio sunt h. l. codd. haud pauci, in quibus legitur *fortuitorum seu germinum*, Leid. Flor. ABCEH Voss. 2 Bern. B cum editionibus principibus, Bern. A a pr. m. exhibet *segeminum*, sed suprascriptis u et r *seu germinum*. Itaque Heinsius h. l. *germinum* scribi voluit. Videtur tamen *seminum* (quod altera secta codd. mss. habet) non esse reprobandum.

lauri baccarisque multa] Ausus sum aliquid auctore Heinsio, nam quod vulgo legitur *lauri baccaeque et multa in illis rupibus agrestis est silva*, intelligi nequit, quandoquidem *bacca* non est herbae species sicut laurus, sed fructus, nec silvae baccarum dici possunt. *Baccar* huc pertinet, quippe illarum regionum frutex, radicis odoratae, quod nardum rusticum a quibusdam appellari tradit Plinius nat. hist. XXI, 6, 16.

cibus ergo tot milium, praesidem nemoris eius deum adorantium, iuga montis collesque resonabant, cum orta licentia a paucis, ut fere fit, in omnes se repente vulgasset. Quippe 17
velut in media pace, per herbas aggestamque frondem prostravere corpora. Et rex fortuitam laetitiam non aversatus, large ad epulas omnibus praebitis, per decem dies Libero Patri operatum habuit exercitum. Quis neget, exi- 18
miam quoque gloriam saepius fortunae, quam virtutis, esse beneficium? quippe ne epulantes quidem et sopitos mero aggredi ausus est hostis, haud secus bacchantium ululantiumque fremitu perterritus, quam si proeliantium clamor esset auditus. Eadem felicitas ab Oceano revertentes temulentos comissantesque inter ora hostium texit.

37 Hinc ad regionem, quae Daedala vocatur, perventum 19
est. Deseruerant incolae sedes, et in avios silvestresque montes confugerant. Ergo Acadira transit, aeque usta et

§. 16. *in omnes se repente*] Codd. plerique *in homines serpente*, Flor. A *in homines serpentes*, Flor. DI scilicet ut intelligi posset *in homines paene*, unus tantum Flor. G *in homines repente*. Edd. principes Vindelini et Merulae *in homines serpente*. Lucem affudit Aldus ita emendans, ut vulgo nunc omnes. Non miror criticos olim summo honore habitos esse, cum tam foedis vulneribus veterum exemplaria scaterent.

§. 17. *aggestamque frondem*] Sic mss., editi fere *congestamque*. Item codices omnes et edd. principes *postravere* pro vulg. *prostraverant*, quae in Aldina editione primum comparet.

fortuitam laetitiam] Editi *licentiam*, quae vox et praecessit paulo propius et alioquin minus placet quam illa lectio codd. optimorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABGI.

§. 18. *bacchantium ululantiumque*] Vett. edit. usque ad Modium *eiulantiumque*, codd. Bern. B Flor. BEH, Bern. A et Voss. 1 *huiulantiumque*, Leid. et Flor. C *heiulantiumque*. Ad Bacchicam festivitatem unice aptum est *ululandi* verbum, Catull. 62, 28 *Thiasus repente linguis trepidantibus ululat*. Ovid. Metam. III, 528 *Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri*.

inter ora hostium] Haec verba Modius omisit scripsitque *protexit*, membranas, ut ait, secutus. De nostris in uno Flor. G *protexit* legitur, et *commessantesque protexit*, omissis reliquis, in Flor. DI. Sed mihi tamen quae omittuntur maxime ad rem videntur pertinere.

Cap. 37, §. 19. *quae Daedala vocatur*] Flor. B *dedalia*, C *dadala*, EH et uterque Bern. *dedala*. Sed quod sequitur *Acadira*, sic codices melioris fidei eodemque pertinet quod in reliquis est *ad cadira*: edd. princ. et Mod. item *Acadira*, Aldus *Adaca*, Iunius quod ex eo vulgo editur *Acadera*. „*Daedala* Stephano urbs Indiae, Ptolemaeo Indiae trans Indum est. Iustinus XII, 7 *montes Daedalos* dixit. Arrianus nomen prorsus reticuit. Eadem vero regio quae Curtio Daedala, Arriano appellatur gentis Aspasiorum, vide eum IV, 23 sq. Pro *Acadiris* Arigaeum apud Arrianum IV, 24, 10 est, quam urbem Alexander exustam ab incolis ac desertam invenit." Schmieder.

aeque usta] Codd. et edd. vett. *atque usta*. *Eaque* correctum est in Flor. G et editum ab Iunio, sed verius Modius et reliqui *aeque*. Tum *vasta* coniecit scribendum Acidalius idque olim ipse edidi. Nunc codicum lectionem

destituta incolentium fuga. Itaque rationem belli necessitas mutavit. Divisis enim copiis, pluribus simul locis arma ostendit, oppressique ubi non expectaverant hostem, omni clade perdomiti sunt. Ptolemaeus plurimas urbes, Alexander maximas cepit: rursusque, quas distribuerat, copias iunxit. Superato deinde Choaspe amne, Coenon in obsidione urbis opulentae, (Beiram incolae vocant) reliquit: ipse ad Mazagas venit. Nuper Assacano, cuius regnum fuerat, demortuo, regioni urbique praeerat mater eius Cleophis. XXXVIII milia peditum tuebantur urbem, non situ solum, sed etiam opere munitam. Nam qua spectat Orientem, cingitur amne torrenti, qui praeruptis utrimque ripis aditum ad urbem impedit. Ad Occidentem et a Meridie velut de industria rupes praealtas admolita natura est, infra quas cavernae et voragines longa vetustate in altum cavatae iacent, quaque desinunt, fossa ingentis operis obiecta est. XXXV stadium murus urbem complectitur, cuius infe-

tueor propter Arriani locum modo citatum.

§. 20. *oppressique ubi non expect. hostem*] Codd. *urbi non*, Flor. DFGI *urbe non*, sicut est in edd. principibus. Aldus edidit quod in Pal. 1 extare traditur et ex corr. in Flor. G legitur *urbe qui exp.* Modius *et qui non expectaverant*, abiecta voce *urbe*. Quae omnia cum sensu destituantur, et a codicum scriptura longius recedant, unice probo Bongarsii emendationem, in quam et ipse statim incideram, *ubi non exp. Oppressisque* in Flor. CE Voss. 2 et *oppressis* in Flor. H Bern. B mendum existimo. Intellige igitur: oppressi sive deprehensi, ubi hostem fore non existimarant, ubi tuta omnia putabant, omni clade perdomiti sunt. Paulo post ubi legitur *regioni urbique* cod. Flor. B et edd. princ. simili modo peccantes *ubique* exhibent.

§. 22. *Choaspe amne*] Nominat etiam Strabo *τὸν Χοάσπην ὃς εἰς τὸν Κώφην ἐμβάλλει ποταμὸν* lib. XV, p. 697. Idem videtur esse, qui apud Arrianum appellatur *Χόης*, apud Ptolemaeum *Κώας*, quem putat Car. Ritterus in diss. acad. de exp. Alex. Berol. 1830. eum esse qui hodie Kameh dicatur.

Beiram incolae vocant] Sic Bern. A Flor. AB Voss. 1 et edd. vett. praeter Aldinam in qua est *Bazdram*. Recentiores propius ad Arriani *Bazira* apud Curtium scribunt *Beziram*, sed in his tenebris codices probatiores sequi aequum est. Ceteri enim Flor. DGI *Ebeiri*, F *eberti*, EH *bĕram* (quod in Bern. B est *Benram*), C *Eberra*, alter altero corruptius. Tum *Mazagas* plerique codices, sed *amaragas* Flor. DFI, *magazas* Flor. EH Bern. B Voss. 2, *amazegas* Flor. G. Arriano sunt *τὰ Μάσσαγα*.

mater eius Cleophis] *Cleophes* libri msti et editi, sed cum Reineccio Regn. Ind. e Iustino XII, 7 scripsi *Cleophis*, quoniam nominum propriorum non est terminatio feminea *es*.

§. 23. XXXVIII *milia peditum*] Sic scripti editique omnes, Iunius primus edere coepit *triginta milia*, numero imminuto, secundum Arrianum. Meorum librorum unus Flor. C litteris utitur *triginta octo*, Pithoei libri XXX et VIII traditur exhibere.

§. 25. XXXV *stadium murus*] Vulgo legitur XXXV *stadia murus urbem am-*

riora saxo, superiora crudo latere sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere, ut duriori materiae fragilis incumberet, simulque terra humore diluta. Ne 26
tamen universa consideret, impositae erant trabes validae, quibus iniecta tabulata muros et tegebant, et pervios fecerant. Haec munimenta contemplantem Alexandrum, con- 27
siliique incertum, quia nec cavernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admovere, quidam e muro sagitta percussit. Tum forte in suram incidit telum: 28
cuius spiculo evolso, admoveri equum iussit; quo vectus, ne obligato quidem vulnere, haud segnius destinata exequebatur. Ceterum cum crus saucium penderet, et cruore 29
siccato frigescens vulnus aggravaret dolorem, dixisse fertur, se quidem Iovis filium dici, sed corporis aegri vitia sentire. Non tamen ante se recepit in castra, quam cuncta per- 30
spexit, et quae fieri vellet edixit.

38 Ergo, sicut imperatum erat, alii extra urbem tecta moliebantur, ingentemque vim materiae faciendo aggeri de-

plectitur, quod ferri nequit. Itaque Freinsh. *urbis* coniecit, quod inveniri in cod. Flor. postea notavit Heinsius. Verum est, sed invenitur non in optimis, sed in codice G, quem docti hominis manu emendatum esse multis vestigiis deprehendimus. Nec tamen hoc impediret quominus vetere illa correctione sententiae subveniremus, ni praestare videretur *stadium* scribi. Nam cum eadem littera sequatur, facile verbum, alioquin librariis non usitatum, corrumpi potuit. *Stadium* autem pro *stadiorum* fere ex regula dicitur et exempla sunt apud Forcellinum in Lex. Sic *talentum* pro *talenta* de certissima coniectura Acidalii dedimus v, 20.

terra humore diluta] Multi codices *terram — dilutam*, sed nulla fides in eiusmodi rebus codicum est, ubi sententia aliud postulat. Dicit Curtius limum, quem pro calce ad lateres coniungendos Indi adhibuerant. *Universa* quod sequitur, refertur ad *materiam*, quae antecessit, et duriorem et fragiliorem.

§. 26. *pervios fecerant*, quod tabulato tecti in muro commeare poterant.

§. 28. *Tum forte*] *Forte tum* Flor. EH Bern. B, sed quo sensu non intelligas. Alii sive *tum* sive *cum* scribatur, eam particulam ineptam vocant delentque. Etiam hi habent qua se tueantur codicis Flor. G auctoritatem. Sed videtur tamen *tum* defendi posse, quandoquidem saepe Alexander telo percussus est. Sequitur *evolso*, quod ex Bern. A Flor. AB Voss. 1 dedi pro vulg. *evulso*.

§. 30. *quam cuncta perspexit*] Revocavi principis edit. lectionem hanc, quia optimorum codicum auctoritate firmatur, Leid. Bern. A Flor. AB multorumque aliorum. Aldus ediderat *prospexit*, quod quamvis ferri possit, minus tamen est quam alterum.

Cap. 38. *tecta moliebantur*] Quod vulgo, item auctore Aldo, editur *demoliebantur*, non est in libris mutis qui aut *amoliebantur* (Flor. AB Bern. A Voss. 1) aut *moliebantur* habent. Hoc recepi cum Modio, quia prima vocalis ex praegresso vocabulo videtur adhaesisse. *Moliebantur* et *detrahebant* si coniunxeris idem fere sensus existit, qui ex uno illo *demoliebantur*.

trahebant: alii magnarum arborum stipites cum ramis ac
31 moles saxorum in cavernas deiiciebant. Iamque agger aequaverat summae fastigium terrae: itaque turres erigebant, quae opera ingenti militum ardore intra nonum diem absoluta sunt. Ad ea visenda rex, nondum obducta vulneri cicatrice, processit, laudatisque militibus, admoveri machinas iussit, e quibus ingens vis telorum in propugna-
32 tores effusa est. Praecipue rudes talium operum terrebant mobiles turres, tantasque moles nulla ope quae cerneretur adductas, deorum numine agi credebant: pila quoque muralia et excussas tormentis praegraves hastas negabant
33 convenire mortalibus. Itaque desperata urbis tutela concessere in arcem. Inde, quia nihil obsessis praeter deditionem placebat, legati ad regem descenderunt veniam
34 petituri. Qua impetrata, regina venit cum magno nobilium
35 feminarum grege aureis pateris vina libantium. Ipsa genibus regis parvo filio admoto, non veniam modo, sed etiam pristinae fortunae impetravit decus. Quippe appellata regina est; et credidere quidam, plus formae, quam miserationi
36 datum. Puero quoque certe postea ex ea utcunque genito Alexandro fuit nomen.

stipites cum ramis] Hoc dedi de coniectura Freinshemii, sicut IV, 13, 9 legitur *totas arbores cum ingentibus ramis in altum iaciebant*. Mss. quidem plerique *cumulis*, pauci et mendosi (Flor. FH Bern. B Pal. 1 Voss. 2) *tumulis*.

§. 31. *turres erigebant*] Aldus cum reliquis *erigebantur*, sed nos mss. meliores sequimur, Voss. 1 Bern. A Flor. AB alios, Flor. CE Bern. B.

§. 32. *adductas* idem Aldus primus edidit, sed bene et firmantibus libris manuscriptis, Flor. EFH Bern. B et Flor. DI, in quibus *aductas*. Olim edebatur *adiutas*, quod est in Voss. 1 Flor. BG, et a prima manu cum corr. *auditas* in Leid. Flor. A, ceteri Flor. *auditas* et sic Bern. A pr. m. cum corr. *adiutas*. Sed ea omnia vulgari corruptionis genere depravata sunt.

§. 34. *regina venit cum*] Libri adhuc editi omisso verbo *venit* in fine addunt elegantius scilicet *processit*. Sed parendum est mss. in quibus aut prorsus sic est ut nos edidimus, qui sunt Leid. Voss. 1 Flor. ADFGI, aut utrumque verbum deest. Unus Flor. B quod miror cum vulg. consentit, Bern. A omittentibus verbum accedit, sed *processit* habet in margine manu recentiore adiectum.

§. 35. *credidere quidam, plus*] Modius *credidere amplius* dum edit, dicit se membranis parere. Sane sic habent Flor. DI, et *credidere amplius* Leid. et Flor. C, *cred. quidem amplius* Flor. G, *credere quidam amplius* Flor. F. Etiam Voss. 2 *quid amplius fortunae*. Itaque res eo decidit ut constituas utrum *plus* an *amplius* legi velis. Ceterum Iustinus XII, 7: „Inde montes Daedalos regnaque Cleofidis reginae petit. Quae cum se dedisset ei, concubitu redemptum regnum ab Alexandro recepit, illecebris consecuta, quod virtute non potuerat: filiumque ab eo genitum Alexandrum nominavit, qui postea regnum Indorum potitus est."

39 Hinc Polypercon ad urbem Noram cum exercitu mis- XI.
sus, inconditos oppidanos proelio vicit: intra munimenta
compulsos secutus, urbem in dicionem redegit. Multa 2
ignobilia oppida deserta a suis venere in regis potestatem.
Quorum incolae armati petram Aornin nomine occupaverunt.
Hanc ab Hercule frustra obsessam esse, terraeque motu
coactum absistere, fama vulgaverat. Inopem consilii Ale- 3
xandrum, quia undique praeceps et abrupta rupes erat,
senior quidam peritus locorum cum duobus filiis adit, si
pretium operae esset, aditum se monstraturum esse pro-
mittens. LXXX talenta constituit daturum Alexander; et 4
altero ex iuvenibus obside retento, ipsum ad exequenda,
quae obtulerat, dimisit. Leviter armatis dux datus est 5
Mullinus, scriba regis. Hos enim circuitu qui fallerent ho-
stem, in summum iugum placebat evadere. Petra non, ut 6
pleraeque, modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium
crescit, sed in metae maxime modum erecta est, cuius ima
spatiosiora sunt, altiora in artius coëunt, summa in acutum

Cap. 39, §. 1. *ad urbem Noram*] Mss. nostri omnes *Noram*, Leid. *Moram* traditur exhibere. Aldus ediderat *Oram;* debebat *Ora* si cum Arriano Curtium consentire volebat. Nam apud illum IV, 27 *τὰ Ὦρα* sunt, eadem, ut videtur, urbs. Sed videtur tantum. Diodorus nihil de hac vel similis nominis urbe habet.

§. 2. *petram Aornin nomine*] Sic scripsi nomen, quod Aldus secundum Arrianum fecit *Aornon*, Curtius *Aornin* voluit secundum etymon et aliorum scriptorum Graecorum exempla. Nam sic legitur apud Dionysium Perieg. 1151, et apud Diodor. cap. 85 et 96 in bonis codicibus. Quibus parere debuisset Wesselingius, si textum Curtii ad codices mstos exactum habuisset. Cf. quae ad cap. 85 annotavit. Hoc autem loco codices *aorni*, *aorni in*, *aorini*, *aormin*, *aormi*, *aorinim*, *aorim*, editiones principes *dorinim*, quae ludibria quo pertineant neminem potest fugere.

§. 3. *si pretium operae*] Adhuc editi *operi*, quod legitur in Flor. DFGI, cum *operis* in uno Flor. B sit, et *pretium esset* omisso medio verbo in Flor. CEH Bern. B Voss. 2. Sed optimi olim fuisse *operae* per notas scriptum significant: Bern. A *ob prae*, Leid. *obpesset*, Flor. A *pretium vel operis esset obpesset*. Nimirum *vel operis* explicandi causa adiectum loco non suo. Etiam Voss. 1 cum exhibet *ut operis* nihil aliud voluit quam *vel operis*. Neque illud quod promittebat senex opus erat, immo opera.

§. 5. *Mullinus, scriba regis*] Flor. BCEF Bern. B Voss. 2 *mulinus*, sed ne sic quidem nomen Graecum censeo. Latet aliud.

circuitu qui fallerent hostem] Facile est *quo* corrigere, sed possunt ista verba coniungi, ut *qui* pro *ut* dicatur. Ceterum e Curtiana narratione non patet, quid hi leviter armati egerint; quod ut intelligatur Arriano duce opus est, quem Schmiederus recte adhibuit. Nimirum unum petrae cacumen ab altero alta voragine seiunctum praemissi illi cum duce Indo ceperunt; eo capto iam res in eo versabatur, ut voraginem explerent et ad alterum petrae cacumen enitterentur Macedones.

7 cacumen exsurgunt. Radices eius Indus amnis subit, praealtus, utrimque asperis ripis: ab altera parte voragines eluviesque praeruptae sunt. Nec alia expugnandi patebat
8 via, quam ut replerentur. Ad manum silva erat, quam rex ita caedi iussit, ut nudi stipites iacerentur: quippe rami fronde vestiti impedissent ferentes. Ipse primus truncam arborem iecit; clamorque exercitus, index alacritatis, secutus est, nullo detrectante munus, quod rex occupavisset.

9 Intra septimum diem cavernas expleverant, cum rex sagittarios et Agrianos iubet per arduą niti. Iuvenesque
10 promptissimos ex sua cohorte xxx delegit. Duces his dati sunt Charus et Alexander, quem rex nominis, quod sibi cum eo commune esset, admonuit. Ac primo, quia tam manifestum periculum erat, ipsum regem discrimen subire
11 non placuit: sed ut signum tuba datum est, vir audaciae promptae conversus ad corporis custodes sequi se iubet, primusque invadit in rupem. Nec deinde quisquam Macedonum substitit, relictis stationibus sua sponte regem seque-
12 bantur. Multorum miserabilis fuit casus, quos ex praerupta rupe lapsos amnis praeterfluens hausit, triste spectaculum etiam non periclitantibus; cum vero alieno exitio, quid ipsis timendum foret, admonerentur, in metum misericordia
13 versa, non extinctos, sed semetipsos deflebant. Et iam eo perventum erat, unde sine pernicie nisi victores redire non possent, ingentia saxa in subeuntes provolventibus barbaris, quis perculsi instabili et lubrico gradu praecipites recide-
14 bant. Evaserant tamen Alexander et Charus, quos cum

§. 8. *clamorque exercitus, index alacritatis*] Nescio quid sit quod codd. fere omnes inter voces *exercitus* et *index* interponunt *se*, Flor. tamen C *clamorque index* omissis quae in medio sunt exhibet, codd. EH Bern. B *clamorque se index*.

quod rex occupavisset] Vulgo *occupasset*, sed illud antiquissimi Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A.

Cap. 40, §. 9. *delegit*] *elegit* Flor. DFGI Pal. 1, *legit* edit. Mod.

§. 10. *Charus*] *Clarus* Flor. B, *Carus* Flor. DFGI. Videtur re vera *Chares* fuisse.

§. 12. *multorum miserabilis fuit casus*] Deest vox *miserabilis* in plerisque libris, sed habent e nostris Flor. DFGI (quorum sectae solet adiungi Pal. 1); iidem libri in mendo *causa* pro eo quod est *casus* conspirant.

§. 13. *quis perculsi*] Sic recte coniecerat scribendum Freinsh. pro vulg. *qui*, quod ancipitem relationem habet. *Percussi* in Flor. CEH Bern. B Voss. 2 est, falso quod facile intelligitur.

xxx delectis praemiserat rex, et iam pugnare comminus coeperant; sed cum superne tela barbari ingererent, saepius ipsi feriebantur, quam vulnerabant. Ergo Alexander, et 15
nominis sui et promissi memor, dum acrius quam cautius dimicat, confossus undique obruitur. Quem ut Charus 16
iacentem conspexit, ruere in hostem, omnium praeter ultionem immemor, coepit, multosque hasta, quosdam gladio interemit; sed cum tot unum incesserent manus, super amici corpus procubuit exanimis. Haud secus, quam par 17
erat, promptissimorum iuvenum ceterorumque militum interitu commotus rex signum receptui dedit. Saluti fuit, 18
quod sensim et intrepidi se receperunt; et barbari, hostem depulisse contenti, non institere cedentibus.

41 Ceterum Alexander cum statuisset desistere incepto, 19
(quippe nulla spes potiundae petrae offerebatur,) tamen speciem ostendit in obsidione perseverantis. Nam et itinera obsideri iussit, et turres admoveri, et fatigatis alios succedere. Cuius pertinacia cognita, Indi per biduum quidem 20
ac duas noctes, cum ostentatione non fiduciae modo, sed etiam victoriae, epulati sunt, tympana suo more pulsantes. Tertia vero nocte tympanorum quidem strepitus desierat 21
audiri; ceterum ex tota petra faces refulgebant, quas accenderant barbari, ut tutior esset ipsis fuga, obscura nocte per invia saxa cursuris. Rex, Balacro, qui specularetur, 22
praemisso, cognoscit petram fuga Indorum esse desertam. Tum dato signo, ut universi conclamarent, incomposite fugientibus metum incussit. Multique, tamquam adesset 23
hostis, per lubrica saxa, perque invias cotes praecipitati occiderunt; plures aliqua membrorum parte mulcati, ab in-

§. 14. *et iam pugnare*] Omittitur *iam* in Flor. EH Bern. B, ordo verborum mutatur ut sit *cominus pugnare* in Flor. DGI, verba *quam vulnerabant* omittuntur in Flor. C: ediditque item Modius *com. pugnare* et omisit *quam vuln.* Sigebergenses membranas, ut ait, secutus.

§. 16. *cum tot unum incess.*] Flor. DFGI *cum unum tot incesserent*, et sic edit. Mod.

Cap. 41, §. 23. *aliqua membrorum parte mulcati*] Plerique libri mss. *mulctati*, Voss. 2 et Flor. G cum vett. edd. *mutilati*, sed optimi quique Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1 *mulcati*. Diximus supra ad VII, 42 de vera scribendi eius verbi ratione.

24 tegris deserti sunt. Rex locorum magis quam hostium victor, tamen magnam victoriam sacrificiis et cultu deum fecit. Arae in petra locatae sunt Minervae Victoriaeque. 25 Ducibus itineris, quo subire iusserat leviter armatos, etsi promissis minora praestiterant, pretium cum fide redditum est. Petrae regionisque ei adiunctae Sisocosto tutela permissa.

XII. Inde processit Ecbolima: et cum angustias itineris obsideri xx milibus armatorum ab Erice quodam comperisset, gravius agmen exercitus Coeno ducendum modicis itineribus 2 tradidit. Ipse praegressus, funditore ac sagittario deturba-

§. 24. *magnam victoriam sacrificiis et cultu deum fecit*] Locum emendavimus ut nobis quidem videmur, satis probabiliter, aliis fortasse paulo audacius, sed in aperta corruptione aliquid esse audendum videbatur. Legitur in edd. principibus et integerrimis codd. (Modianis, Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB) sic: *magnae victoriae sacrificiis et cultu deum fecit*, Aldus ceterorum codicum scriptura recepta (a qua non abeunt nisi Flor. H Bern. B *diis fecit*) vulgatae auctor factus est: *magnae victoriae sacrificiis et cultu diis satisfecit*. Contenti esse hac lectione possemus, si nihil aliud quaereremus quam quod aliqua ratione posset intelligi. Verum offendunt sane *magnae victoriae sacrificia*, et omnino in hoc discrimine codicum diversa alterorum scriptura non potest nisi pro periculo emendationis haberi. Modius igitur membranis nescio quibus Brugensibus usus edidit quod vereor ut quisquam intelligat: *tamen magnis victoriae sacrificiis et cultu deum fecit*. Quid multa? ego scripsi *magnam victoriam fecit*, i. e. effecit ut magna videretur, magnificam ei speciem dedit.

§. 25. *quo subire iusserat*] Editur adhuc *quos subire* nec varia scriptura codicum affertur. Explicat Schmiederus *subire* idem esse quod sequi: verum *subire aliquem* significat potius furtim aggredi: neutraliter dicitur *subire* succedere, imprimis ex loco inferiore ad superiorem sive editum. Quocirca mihi necessarium visum est corrigere *quo*, i. e. qua via eniti in cacumen montis iusserat armatos. Corruptionis ratio cum sequatur eadem littera et *s* quidem, quae facillime duplicatur, patet. Cf. ad IX, 36, 21.

Sisocosto] Arriano vocatur *Sisicottus* lib. IV, 30. Diodorus hominem nomine non appellat. Codices Curtiani non mutant, tantum Flor. C *Sisocoste*.

§. 1. *Ecbolima*] Libri Curtiani non variant, nisi deteriores ita, ut intelligas, quid voluerint, (nam *ectolima* Flor. E, *et cholima* F, *et colima* Pal. 1, *et bolima* Flor. I, *ebolima* Flor. H, *edolima* Bern. B). Sed Arrianus IV, 28 urbem propinquam Aorno appellat *Embolima*, item Ptolemaeus inter urbes ad ipsum Indum sitas. Neuter ad cuius amnis in Indum ἐκβολὴν sive ἐμβολὴν sita fuerit, definit, certe ad Cophenis et Indi confluentes, quod fere putant, probari nequit et a Curtii mente videtur alienum esse, secundum quem Ecbolima longius multo ad septentriones videntur fuisse. Dux autem Indorum apud Diodorum est Ἀφρίκης, apud Curtium in vulgaribus exemplaribus *Eryx*. Sed nos e melioribus libris Bern. A Flor. AB eum *Ericen* fecimus, quod paulo propius ad Diodorum accedit. Mons Eryx librariis obversabatur, quapropter *y* constantius quam alibi servarunt.

§. 2. *praegressus, funditore ac sagittario*] Locum in mss. corruptum restituit Hadr. Iunius. Nam illi quidem sic habent: *praegressus funditores ac sagittarios deturbat. Iis (his* alii) *qui obsiderant (obsiderent* alii). Idem Vindelinus edens *obsiderent* scripsit, Aldus, cum reliqua servaret, *obsederant* bene, sed male *quae*, pro eo quod est *qui*, correxit. Tum Iunius sic prorsus uti supra descriptum vides constituit. Modius vocem *cum* de coniectura adiecit, eaque vulgata lectio facta est. Nos nunc revertimus ad Iunianam scripturam. Ne-

tis qui obsederant saltum, sequentibus se copiis viam fecit. Indi, sive odio ducis, sive gratiam victoris inituri, Ericen 3
fugientem adorti interemerunt, caputque eius atque arma ad Alexandrum detulerunt. Ille facto impunitatem dedit, honorem denegavit exemplo.

42 Hinc ad flumen Indum sextisdecimis castris pervenit, 4
omniaque, ut praeceperat, ad traiiciendum praeparata ab Hephaestione repperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat auctor dedendi regnum Alexandro. Et post mortem parentis legatos miserat, qui consulerent 5
eum, regnare se interim vellet, an privatum opperiri eius adventum. Permissusque ut regnaret, non tamen ius datum 6

que enim ablativus cum verbo *praegressus* coniungendus videtur, quamquam aliquatenus etiam hoc licet (vide Gramm. §. 473) sed instrumentalis casus habendus est, cuius rei causam rationemque accipio eam, quam Kritzius ad Sallust. Cat. 21, 4 attigit, quod milites quasi manus imperatoris sint. Caesar bell. Gall. I, 8 *Caesar ea legione, quam secum habebat, militibusque qui ex provincia convenerant — murum fossamque perducit.* Id. eod. libro 15 *quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant.* Sallust. Iug. 94 *hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere.* Tacit. Ann. III, 41 *Turonii legionario milite oppressi.*

§. 3. *sive gratiam victoris inituri*] Editi *victoris regis*, sed alteram vocem manuscripti damnant, nec iniuria. Sed *Indi* verum est, pro quo codd. aut *inde* aut *in die.*

honorem denegavit exemplo] Extremum verbum Modius abesse a membranis suis tradidit; errasse eum puto et quod de vocabulo *regis* paulo ante dicturus fuerit, male ad hoc transtulisse. In nostris certe omnibus legitur.

Cap. 42, §. 4. *Sextisdecimis*] *Sextisdecumis* Freinsh. dedit, recte si vetus scribendi ratio ubi eius vestigia supersunt, revocabitur. Sed praeter Bern. A Flor. AB reliqui nostri et edd. veteres *sextisdecimis* habent.

Omphis] Vocatur is *Μῶφις* a Diodoro XVII, 86, recens patre mortuo ad successionem vocatus: posthac ab Alexandro *Taxiles* appellatur, patris, i. e. regiae potestatis nomine. Eum patre etiamtum vivo ad Alexandrum in Sogdianam legatos misisse de foedere et amicitia narrat Diodorus.

§. 6. *permissusque ut regnaret*] Non ausus sum correctione tollere hanc quandam soloecismi speciem, nam quamvis in aliquot libris mstis illud inveniatur, quod vulgo hodie editur, *permissoque ut regnaret*, eam tamen ipsam non tam veterem lectionem quam correctionem esse puto. Sunt autem illi mss. Flor. CG, quibus accedunt DI, in quibus est *permisso ut regnaret.* Ceteri autem omnes, et integerrimi quique cum editionibus veteribus ante Modium, sic exhibent, ut supra posuimus. Nam quod ex Voss. 1 notatur *permissique* et quod in Flor. EH Bern. B *permissus* sine copula legitur non multum refert. Neque hoc omni auctoritate caret, nam *permitto* aliquid facere non solum apud Ammianum Marcellinum frequens est, sed hic illic etiam apud antiquiores invenitur. Seneca certe lib. IV de benef. c. 12 dicit: *Latronibus circumventum defendi, ut tuto transire permittatur.* Et participium ipsum personaliter cum *ut* construi Forcell. in lexico ex vet. tabula aenea apud Mazochium p. 465 no. 85 docuit, ubi est *Qui permissus est, fuit, uti leges municipibus daret.* Est haec infirma auctoritas, fateor, sed tuebitur etiam ipse se Curtius, quandoquidem illud loquendi genus a Graeco certe

usurpare sustinuit. Is benigne quidem exceperat Hephaestionem, gratuitum frumentum copiis eius admensus, non tamen ei occurrerat, ne fidem ullius nisi regis experiretur. 7 Itaque venienti obviam cum armato exercitu egressus est; elephanti quoque per modica intervalla militum agmini im- 8 mixti, procul castellorum fecerant speciem. Ac primo Alexander non socium, sed hostem adventare credebat. Iamque et ipse arma milites capere, et equites discedere in cornua iusserat, paratus ad pugnam. At Indus, cognito Macedonum errore, iussis subsistere ceteris, ipse concitat equum, quo vehebatur: idem Alexander quoque fecit, sive hostis, sive amicus occurreret, vel sua virtute, vel illius 9 fide tutus. Coivere, quod ex utriusque vultu posset intelligi, amicis animis: ceterum sine interprete non poterat conseri sermo. Itaque adhibito eo, barbarus occurrisse se dixit cum exercitu, totas imperii vires protinus traditurum, nec 10 expectasse, dum per nuntios daretur fides. Corpus suum et regnum permittere illi, quem sciret gloriae militantem, nihil magis quam famam timere perfidiae.

Laetus simplicitate barbari rex et dexteram fidei suae43
11 pignus dedit, et regnum restituit. LVI elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaque pecora eximiae magnitudinis, tauros ad III milia, pretiosum in ea regione acceptumque 12 animis regnantium armentum. Quaerenti Alexandro, plures agricultores haberet an milites? cum duobus regibus bellanti

sermone non abhorret, quo ἐπιτρέπεσθαι eadem ratione dicitur. (Etiam Germanice dicere possis: Zu regieren verstattet.)

§. 8. *equites discedere in cornua*] Libri mss. et olim editi *descendere*, correxerat *discedere* Iunius, recte, nam *descendere* h. l. probabilem explicationem non habet. Maior etiam confusio in codd. Flor. DFI (et Pal. 1) est, in quibus pro eo quod est *arma milites capere* rel. sic legitur: *armatos milites, equites descendere*, unde Flor. G utraque lectione coniuncta: *arma milites capere et armatos milites equitesque descendere*. Paulo post *paratus* ex omnibus libris mstis dedi pro vulg. *paratos*. Neque dubium quin id melius referatur ad regem, quam ad solos equites.

§. 9. *coivere* correxerat Iunius, nam olim editi et mss. omnes *coiret*. Modius edidit *coire*, equidem malim *coiere*.

imperii vires] Sic editi recte, codicesque Flor. DFGI, reliqui integriores *imperium res*, deteriores Flor. CEH Bern. B sed tamen etiam Leid. (si verum tradit Snak.) *imperii res*. Omittit *imper*. Flor. B.

Cap. 43, §. 10. *dexteram*] Sic omnes nostri praeter Flor. I, qui cum vulg. *dextram* habet. *Suae* abest a Flor. CEH Bern. B Voss. 2.

sibi maiore militum quam agrestium manu opus esse respondit. Abisares et Porus erant, sed in Poro eminebat 13
auctoritas. Uterque ultra Hydaspen amnem regnabat, et belli fortunam, quisquis arma inferret, experiri decreverat. Omphis, permittente Alexandro, et regium insigne sumpsit, 14
et more gentis suae nomen, quod patris fuerat. Taxilen appellavere populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret. Igitur cum per triduum hospitaliter 15
Aexandrum accepisset, quarto die et quantum frumenti copiis, quas Hephaestion duxerat, praebitum a se esset, ostendit, et aureas coronas ipsi amicisque omnibus, praeter haec signati argenti LXXX talenta dono dedit. Qua beni- 16
gnitate eius Alexander mire laetus, et quae is dederat remisit, et mille talenta ex praeda, quam vehebat, adiecit, multaque convivalia ex auro et argento vasa, plurimum Persicae vestis, XXX equos ex suis, cum iisdem insignibus, quis assueverant, cum ipsum vehérent. Quae liberalitas si- 17
cut barbarum obstrinxerat, ita amicos ipsius vehementer offendit. E quibus Meleager, super coenam largiore vino usus, gratulari se Alexandro dixit, quod saltem in India repperisset dignum talentis mille. Rex, haud oblitus quam 18
aegre tulisset, quod Clitum ob linguae temeritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed dixit, invidos homines nihil aliud, quam ipsorum esse tormenta.

44 Postero die legati Abisarae adiere regem. Omnia di- XIII.
cioni eius, ita ut mandatum erat, permittebant; firmataque

§. 13. *Abisares*] *Abiasares* secundum Bern. A et Flor. B scribebatur in edd. vett. usque ad Modianam. *Abiaseres* Flor. C, *Abizares* Flor. G, *Abiassares* Flor. EH Bern. B Voss. 2. Postea *Abisarae* genitivus constat, tantum quod Flor. C *Abisere*, G *Abizare*. Sed infra Cap. 47 et IX, 1 *Abissares* duplici *s* in omnibus primae classis libris scribitur. Itaque pari fere auctoritate simplici ac duplici *s* scribere potes. Vide Schmied. ad Arrian. IV, 27.

ultra Hydaspen] *Hidaspem* Bern. A Flor. AEH, *hydaspem* Leid. Voss. 1. Postea maior consensus in term. *en*.

§. 15. *Igitur cum*] Sic omnes nostri et collati a Snak. Vulgo *ergo cum*. Praeponitur autem *igitur* apud Curtium locis quam plurimis. Cf. nos ad Cic. in Verr. III, 65 pr. Mox *praebitum a se esse* pro *esset* mendose omnes nostri.

§. 16. *quae is dederat*] Notandus usus pronominis *is*, nam verum non est, quod in uno Bern. B legitur, *his*. Mox autem regium donum mille talentum imminuitur Flor. DFGI Pal. 1, cum *C.* sive *centum* substituunt, sed post §. 17 unus F *talentis centum*, reliqui *talentis mille*.

2 invicem fide, remittuntur ad regem. Porum quoque nominis sui fama ratus ad deditionem posse compelli, misit ad eum Cleocharen, qui denuntiaret ei, ut stipendium penderet, et in primo suorum finium aditu occurreret regi. Porus alterum ex his facturum sese respondit, ut intranti
3 regnum suum praesto esset, sed armatus. Iam Hydaspen Alexander superare decreverat, cum Barzaentes, defectionis Arachosiis auctor, vinctus trigintaque elephanti simul capti perducuntur, opportunum adversus Indos auxilium, quippe plus in beluis, quam in exercitu spei ac virium
4 illis erat. Samaxusque, rex exiguae partis Indorum, qui
5 Barzaenti se coniunxerat, vinctus adductus est. Igitur transfuga et regulo in custodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaspen pervenit, in cuius ulteriore
6 ripa Porus consederat, transitu prohibiturus hostem. LXXX et V elephantos obiecerat eximio corporum robore, ultraque eos currus CCC, et peditum XXX fere milia, in quis erant sagittarii, sicuti ante dictum est, gravioribus telis,
7 quam ut apte excuti possent. Ipsum vehebat elephantus super ceteras beluas eminens, armaque auro et argento distincta corpus rarae magnitudinis honestabant. Par animus robori corporis, et quanta inter rudes poterat esse sapientia.

8 Macedonas non conspectus hostium solum, sed etiam45 fluminis, quod transeundum erat, magnitudo terrebat. Quattuor in latitudinem stadia diffusus profundo alveo, et nus-

Cap. 44, §. 2. *Cleocharen*] Sic (Graeca terminatione) in suis mss. esse tradit Snakenb. et ego ex Bern. A Flor. AF notatum inveni, Flor. B tamen cum ceteris *Cleocharem*. Post *suorum finium* ordine mutato cum vulgo sit *fin. suor.* omnes mss.

§. 3. *Barzaentes*] Vide VI, 24, 36. Nomen addita vocali *a* scribendum ex codd. meliorum auctoritate, sed omnes tamen cum editis ante Iunium terminant syllaba *tis*. Tum inseq. §. *Samaxus* scribendum, si in nomine ceterum ignoto codicum consensum sequi velis: editi *Gamaxus*. Flor. FG *Samaxus quoque*.

§. 6. LXXX *et* V *elephantos*] Sic et optimi et plurimi mss. Vulgo LXXXV. Sed *elephantes* Flor. FGH, item postea ubi est *elephantus*, Flor. EHI Bern. B Voss. 2 *elephas*, Flor. DFG *elephans*.

Cap. 45, §. 8. *diffusus*] Vulgo *diffusum* ac servaram in priore editione, quia ex Florentinis *diffusus* non est nisi in deterioribus CEH. Nunc autem cum ad Snakenburgii tres etiam accedat Bern. A, non dubito quin iam hinc scriptor a genere fluminis ad genus proprium Hydaspis transierit, quod secundum vulgatam insequenti demum periodo fit. Sic cap. 51 princ. cum *belua* praecessis-

quam vada aperiente, speciem vasti maris fecerat. Nec 9
pro spatio aquarum late stagnantium impetum coercebat;
sed quasi in artum coëuntibus ripis, torrens et elisus fere-
batur: occultaque saxa inesse ostendebant pluribus locis
undae repercussae. Terribilior erat facies ripae, quam equi 10
virique compleverant. Stabant ingentes vastorum corporum
moles, et de industria irritatae horrendo stridore aures fa-
tigabant. Hinc amnis, hinc hostis capacia quidem bonae 11
spei pectora et saepe se experta improviso tamen pavore
percusserant. Quippe instabiles rates nec dirigi ad ripam,
nec tuto applicari posse credebant. Erant in medio amne 12
insulae crebrae, in quas et Indi et Macedones nantes, leva-
tis super capita armis, transibant. Ibi levia proelia conse-
rebantur, et uterque rex parvae rei discrimine summae
experiebatur eventum. Ceterum in Macedonum exercitu 13
temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus et Ni-
canor, nobiles iuvenes, et perpetua partium felicitate ad
spernendum omne periculum accensi. Quis ducibus prom- 14
ptissimi invenum lanceis modo armati transnavere in insu-
lam, quam frequens hostis tenebat; multosque Indorum,
nulla re melius quam audacia armati, interemerunt. Abire 15
cum gloria poterant, si unquam temeritas felix inveniret

set, sermo ad masculinum genus elephanti declinat. Sed *nusquam* quod sequitur nititur Flor. DFGI, reliqui enim omnes mendose *nunquam*, Flor B *unquam*.

§. 9. *et elisus ferebatur*] Infra IX, 8 *flumina angustis ripis coërcita et in angustiorem alveum elisa torrentes aquas invehunt*, est igitur compressus, mole aquarum concitata fluens. Ex hac Hydaspis natura nomen fluminis sanscritum derivatum tradit Ritterus geogr. Vol. VII p. 31.

§. 10. *vastorum corporum moles*] Elephantos significat, quorum clamor *stridor* vocatur etiam a scriptore belli Afric. c. 72 et 84, et a Curtio infra cap. 49. Sed *aures fatigabant* pro vulg. *auras* quod Aldo debetur, scribendum est cum propter codicum omnium consensum, tum contentiae causa. Nam Macedonum aures continuo barritu fatigatas et turbatas dicit, non aërem exercitatum, quod nimis poëticum et in historico ineptum esset. Deinde *hinc amnis, hinc hostis* mutatis sedibus legendum librorum mss. causa: editi (praeter Mod.) *hinc hostis, hinc amnis*.

§. 12. *levia proelia conserebantur*] Vulgo *conserebant*, sed nostri omnes praeter Flor. DFI *conserebantur*. Silet Snakenburgius de terminatione verbi, et quod annotat esse *conserebant* in edd. vett. falsum est, nam quas equidem contuli habent *conserebant* usque ad Mod. qui *conserebantur* scripsit, sicut iam margo Iun. exhibuerat.

§. 14. *nulla re melius quam audacia armati*] Mss. omnes sic exhibent, editi *magis quam* quod probarem si in tanto consensu codicum optio relicta esset.

§. 15. *temeritas felix*] Plerique mss.

modum; sed dum supervenientes contemptim et superbe quoque expectant, circumventi ab his, qui occulti enave-
16 rant, eminus obruti telis sunt. Qui effugerant hostem aut impetu amnis ablati sunt, aut verticibus impliciti.

Eaque pugna multum Pori fiduciam erexit, cuncta cer-46
17 nentis e ripa. Alexander, inops consilii, tandem ad fallendum hostem talem dolum intendit. Erat insula in flumine amplior ceteris, silvestris eadem et tegendis insidiis apta. Fossa quoque praealta haud procul ripa, quam tenebat ipse, non pedites modo, sed etiam cum equis viros poterat abs-
18 condere. Igitur ut a custodia huius opportunitatis oculos hostium averteret, Ptolemaeum omnibus turmis obequitare iussit procul insula, et subinde Indos clamore terrere, quasi
19 flumen transnaturus foret. Per complures dies Ptolemaeus id fecit, eoque consilio Porum quoque agmen suum ei parti,

et editiones veteres *temeritas infelix*. Sed Raderum laudo, quod ex emendatiore codice, ut ipse dicit, restituit *felix*. Nam infelici temeritati modus non opus est, neque potest infelix illa tamquam perpetuo epitheto vocari. Sed qui libri *felix* habent, Flor. DFI, iidem etiam *invenisset*, quod non accipio.

ab his — qui occulti enaverant] Vulgo *ab iis* et *enataverant*, sed sequimur in illo quidem codices nostros et Snak. omnes praeter Flor. H, in hoc primam et tertiam sectam librorum, quoniam *enataverant* non est nisi in Flor. DFGI. *Enare properant* ipse Curt. IX, 36 pr. cf. ad VII, 21, 18. Iidem fere libri Flor. DEFHI *occulte* exhibent pro eo quod vulgo et recte editur *occulti*.

§. 16. *aut verticibus impliciti*] Leid. Voss. 1 Bern. B Modiana editio *verticibus*, vulgo, ut Aldus instituerat, *vorticibus*. E Flor. nihil enotatum est quod testatur pro forma *vortex*, ni hominis laboriosi mentem exigua varietas fefellit. Animus inclinat ut secundum expressa testimonia litem diiudicem: nam inter *vorticem* et *verticem* non fuisse perpetuum discrimen, satis hodie constat. Vide Schneideri Elem. p. 12 et Drakenborchium ad Silium III, 475 et Livium XXVIII, 30, 9, et Forcell. in lex. s. v. *vortex*. Eadem res est IX, 15, 11 ubi in eodem silentio Florentinorum librorum accedit pro forma *vertex* Bern. A auctoritas.

Cap. 46. *Pori fiduciam*] Vulgo *fid. Pori*, nos consensum librorum mss. sequimur, a quo temere abierant editores.

§. 18. *omnibus turmis obequitare*] Corruperunt editores sermonis proprietatem quod praepositionem *cum* adiecerunt: *cum omnibus turmis*. Simplex enim ablativus frequenter ab historicis adhibetur, imitantibus opinor castrensem dicendi rationem, ubi ex communi regula praepositiones ponendae sunt, aut *cum* si motus describitur (qua de re dudum diximus in gramm. §. 473) aut *per* si quid militaribus copiis perficitur, quod supra attigimus ad cap. 41, 2. Cf. etiam accuratissimum Schneiderum ad Caesaris bell. Gall. II, 7, 3, ne quis putet, quod de peculiari usu observavimus, quasi ita esse debeat, nec iam aliter fieri possit, promiscue ad omnia esse transferendum. Hoc autem loco *cum* in nullo codice ms. legitur, quapropter magis mirere adhuc indubitate in possessione mansisse. Item scribendum *procul insula*, quod vulgo est *procul ab insula*. Quamvis enim multum aberrent librarii, ut *procul in salo insula* in Flor. AFG, *procul in silva* in Flor. C, *procul in insula* in Flor. B legatur, in nullo tamen cod. *ab insula* legitur. Cf. ad IV, 51.

quam se petere simulabat, coëgit advertere. Iam extra 20
conspectum hostis insula erat. Alexander in diversa parte
ripae statui suum tabernaculum iussit, assuetamque comi-
tari ipsum cohortem ante id tabernaculum stare, et omnem
apparatum regiae magnificentiae hostium oculis de industria
ostendi; Attalum etiam, aequalem sibi, et haud disparem 21
habitu oris et corporis, utique cum procul viseretur, veste
regia exornat, praebiturum speciem ipsum regem illi ripae
praesidere, nec agitare de transitu. Huius consilii effectum 22
primo morata tempestas est, mox adiuvit, incommoda quo-
que ad bonos eventus vertente fortuna. Traiicere amnem 23
cum ceteris copiis in regionem insulae, de qua ante dictum
est, parabat, averso hoste in eos, qui cum Ptolemaeo in-
feriorem obsederant ripam; cum procella imbrem vix sub
tectis tolerabilem effundit. Obrutique milites nimbo in ter-
ram refugerunt, navigiis ratibusque desertis. Sed tumultu-
antium fremitus, obstrepentibus ventis, ab hoste non pote-
rat audiri. Deinde momento temporis repressus est imber, 24
ceterum adeo spissae intendere se nubes, ut conderent lu-
cem, vixque colloquentium inter ipsos facies noscitarentur.
Terruisset alium obducta nox coelo, cum ignoto amne na- 25
vigandum esset forsitan hoste eam ipsam ripam, quam caeci
atque improvidi et ex periculo gloriam accersentes petebant,

§. 20. *ante id tabern.*] Abest *id* a Flor. DFGI et edit. Mod. et potest abesse.

§. 21. *Attalum etiam*] Vulgo secundum Flor. BD *Attalum et aequalem sibi, et haud disparem* cet. quasi magnopere intersit eas similitudinis rationes discerni. Contra desideres coniunctionem. Eis incommodis medetur reliquorum mss. lectio *etiam* pro priore *et*.

§. 23. *averso hoste in eos*] Sic verum est, sed Pal. 1 Flor. DFGI et EH Bern. B Voss. 2 *adverso*. Mox *obsiderant* Flor. EFG. *effundit* optimi iidemque plurimi mss. Vulgo legitur *effudit*, quod est in Flor. EG Bern. B.

obstrepentibus ventis] Mireris cur Aldus ab hac bona lectione principum editt. recesserit, edideritque *obstrepentibus ripis*, ni factum est quod suum sibi codicem sequendum putavit. Hic autem ex deteriore familia erat, nam quod nos restituimus cum Modio in antiquissimis est. *Ripis* e nostris non exhibent nisi Flor. DFI (ex olim collatis verisimiliter Pal. 1.)

§. 24. *facies noscitarentur*] Pluralem numerum cum res postularet, restitui scriptori ex Flor. EFH Bern B Voss. 2 edit. principe. Nec meliores testes expectandi videntur in re manifesta.

§. 25. *gloriam accersentes petebant occupante. Obscuritatem*] Utcunque potuit fieri, absolvit constructionem Aldus, nam mss. *petebant* quidem omnes omittunt, *occupante* non praebent nisi ii qui alioquin deterioribus iure adnume-

occupante. Obscuritatem, quae ceteros terrebat, suam oc-
26 casionem ratus, dato signo, ut omnes silentio ascenderent,
27 ratem eam, qua ipse vehebatur, primam iussit expelli. Vacua erat ab hostibus ripa, quae petebatur; quippe adhuc Porus Ptolemaeum tantum intuebatur. Una ergo navi, quam petrae fluctus illiserat, haerente, ceterae evadunt; armaque capere milites, et ire in ordines iussit.

XIV. Iamque agmen in cornua divisum ipse ducebat, cum47
Poro nuntiatur, armis virisque ripam obtineri, et rerum adesse discrimen. Ac primo humani ingenii vitio spei suae indulgens, Abisaren belli socium (et ita convenerat) adven-
2 tare credebat. Mox liquidiore luce aperiente hostem, c quadrigas et IIII milia equitum venienti agmini obiecit. Dux erat copiarum, quas praemisit, Hages frater ipsius,
3 summa virium in curribus. Senos viros singuli vehebant, duos clipeatos, duos sagittarios, ab utroque latere dispositos; aurigae erant ceteri, haud sane inermes, quippe iacula complura, ubi comminus proeliandum erat, omissis ha-
4 benis, in hostem ingerebant. Ceterum vix ullus usus huius auxilii eo die fuit. Namque, ut supra dictum est, imber violentius quam alias fusus campos lubricos et inequitabiles

rantur, Flor. DFGI et CEH Bern. B. Porro in nullo est *accersentes*, sed partim *accerserent*, partim *accersirent*, in uno Flor. D *arcesserent*. Edd. principes *accerserent occupandam obscuritatem* coniungunt inepte. Equidem Aldum desererе nolui, quia dedit quod intelligi posset, sed indicavi ne quis in hac particula operis Curtium se legere opinetur. Alioquin miraremur dicendi genus *gloriam accersentes* pro quaerentes, excidisse etiam, quod paene necesse videretur, *At Alexander*.

§. 26. *ascenderent, ratem eam*] Edd. vett. *in ratem, eam*, ab Hadr. Iunio correctum est *in rates, eam*. Nos cum singularis numerus in omnibus mss. inveniatur praepositionem *in* delevimus, interpunctione mutata, ea re certe orationis concinnitatem adiuvantes. Et habemus etiam auctores libros Flor. HI, si attinet iis uti.

§. 27. *ire in ordines*] Mss. *ordinem*. Illud est ex Acidali emendatione, vera ni fallor. Nam sic IV, 49, 19 *nec miles iniussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire*.

Cap. 47, §. 2. *aperiente hostem*] Additur in omnibus nostris *διττογράφως hostium*: idem Snak. de Leid. suo annotat, quasi non verisimile sit etiam in Vossianis fuisse.

venienti agmini obiecit] In editis praeter Modianum inepte additur *Porus obiecit*, nititurque id supplementum auctoritate Flor. DFGI: nos reliquorum consensu eiecimus. Tum *quattuor milia* omnes nostri codd. nota IIII significant, non *tria*, ut vulgo.

§. 3. *aurigae erant ceteri*] Hoc ordine verba exhibent Snakenburgiani nostrique omnes sed interpunctione variant et peccant. Etiam *dispositus* Flor. A, *dispositi* Flor. CEGH Bern. B. Vulgo *cet. aur. erant*.

fecerat; gravesque et propemodum immobiles currus illuvie ac voraginibus haerebant. Contra Alexander expedito ac 5
levi agmine strenue invectus est. Scythae et Dahae primi omnium invasere Indos: Perdiccam deinde cum equitibus in dextrum cornu hostium emisit. Iam undique pugna se 6
moverat; cum hi, qui currus agebant, illud ultimum auxilium suorum rati, effusis habenis in medium discrimen ruere coeperunt. Anceps id malum utrisque erat: nam et 7
Macedonum pedites primo impetu obterebantur, et per lubrica atque invia immissi currus excutiebant eos, a quibus regebantur; aliorum turbati equi non in voragines modo 8
lacunasque, sed etiam in amnem praecipitavere curricula; pauci telis hostium exacti penetravere ad Porum acerrime 9
pugnam cientem.

48 Is, ut dissipatos tota acie currus vagari sine rectoribus vidit, proximis amicorum distribuit elephantos. Post 10
eos posuerat peditem ac sagittarios et tympana pulsare solitos. Id pro cantu tubarum Indis erat, nec strepitu eorum movebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. Her- 11
culis simulacrum agmini peditum praeferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum, et deseruisse gestantes militare flagitium habebatur. Capitis etiam sanxerant poe- 12

§. 4. *ac voraginibus*] Sic mss. praeter Flor. FG, qui cum vulg. *et* habent. *Voraminibus* mendose Flor. DGI Pal 1, *voragine* edit. pr. Ald. Iun. (in textu.)

§. 6. *cum hi qui*] Sic Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AG, *hii* Flor. B. Sed Flor. CEH Bern. B Voss. 2 *cum qui currus agebant hi.* Iidem *auxiliorum* vitiose.

§. 9. *pauci telis hostium exacti*] *Mss. pauci tenus hostium exacti*, quod Modius edidit. Sed non invenio *tenus* a Curtio cum genitivo constructum et singulare utique iudico, genitivum praeponi praepositioni. Edd. veteres igitur secundum unum de nostris Flor. B *pauci tamen hostium exacti*, quod non intelligo, recentiores *pauci tamen hostium tenus exacti*. Nos correximus *telis*. Dicit aurigarum diversam sortem, alii excussi sunt, alii in amnem praecipitati, pauci cum ad Macedones pervenissent, telis eorum in fugam versi tamen ad Porum redierunt. Diodor. cap. 88 ἅπαντα σχεδὸν τὰ ἅρματα τῶν Ἰνδῶν διεφθάρη.

Cap. 48, §. 10. *peditem ac sagittarios*] Vulgo *pedites*, sed numerum collectivum exhibent Snakenburgii tres et nostri omnes praeter Flor. DFGI. Post *sagittarios* non potui non cum Bern. B Voss. 2 Flor. E auctore Scheffero inserere *et*. Nam sagittarii certe simul non poterant tympana pulsare, quibus tota acies ad virtutem incitabatur. Ad *movebantur* autem ex praegressis supple elephantos.

§. 12. *capitis etiam — his qui*] Vulgo *iis qui*, nos *his* ex Leid. Voss. 1. 2 utroque Bern. Flor. A aliis dedimus. Sed pro *etiam* Flor. EH Voss. 2 *esse* nota falso intellecta habent, et omittit vocabulum Bern. B.

nam his, qui ex acie non rettulissent, metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem veneratio-
nemque converso. Macedonas non beluarum modo, sed
13 etiam ipsius regis aspectus parumper inhibuit. Beluae dispositae inter armatos speciem turrium procul fecerant. Ipse Porus humanae magnitudinis propemodum excesserat formam. Magnitudini Pori adiicere videbatur belua, qua vehebatur, tantum inter ceteras eminens, quanto aliis ipse
14 praestabat. Itaque Alexander, contemplatus et regem et agmen Indorum, *Tandem*, inquit, *par animo meo periculum*
15 *video. Cum bestiis simul et cum egregiis viris res est.* Intuensque Coenon, *Cum ego*, inquit, *Ptolemaeo Perdiccaque et Hephaestione comitatus in laevum hostium cornu impetum fecero, viderisque me in medio ardore certaminis, ipse dextrum move, et turbatis signa infer. Tu Antigene, et tu Leonnate, et Tauron, invehemini*
16 *in mediam aciem, et urgebitis frontem. Hastae nostrae praelongae et validae non alias magis quam adversus beluas rectoresque earum usui esse poterunt: deturbate eos, qui vehuntur, et ipsas confodite. Anceps genus auxilii est, et in suos acrius*
17 *furit. In hostem enim imperio, in suos pavore agitur.* Haec elocutus concitat equum primus; iamque, ut destinatum erat, invaserat ordines hostium, cum Coenus ingenti vi in laevum

§. 13. *magnitudini Pori adiicere*] Supple *aliquid*, ut omisso eo *adiicere* cum dativo significet augere aliquam rem. Hoc perturbasse videtur librarios codd. Flor. DI qui *magnitudinem* scripserunt. Item pro eo quod est *quanto* edd. Ald. Iun. Mod. *quantum* praetulerunt, quod et legitur in codicum classe deterrima Flor. EH Bern. B. Nihil interest, sed *quanto* usitatius.

§. 15. *Tu Antigene*] Vulgo *Antigenes*, mss. *Antigone*. At Antigonus praetor Lydiae praeerat, lib. IV, 6 et *Antigenes* ab Arriano in huius ipsius proelii descriptione cum Seleuco et Taurone peditum dux appellatur, lib. V, 16. Scribe igitur *Antigene*, eadem declinatione, qua apud Ciceronem in vocativo legimus *Damocle*, *Cleanthe*. Vide Schneid. Gramm. p. 44. Post non tuli *invehimini et urgebitis*, cum in promptu fuerit *invehimini et urgete*. Correxi igitur *invehemini*, et inveni idem fecisse Modium. Verbo indico in deterioribus aliquot codd. Flor. FGI Pal. 1 esse *non invehimini in mediam aciem, sed urgebitis frontem*. Vides scribarum sollertiam: nimirum Flor. D *sed urgebitis*, (quod et in Mod. edit. est) quod cum scriptum inventum esset, accessit etiam in praegressis negandi particula.

§. 16. *et ipsas confodite*] Sic omnes mss. nostri et Vindelinus et Modius. Merula *confidite*, Aldus *confondite*, uterque mendose, reliqui *confundite*. Non potest esse dubium quid probemus, sed miror nec Snakenburgium nec alium de codicibus meminisse.

§. 17. *in laevum cornu*] Oportet esse *in dextrum*, nam ipse Alexander laevum hostium cornu aggressus est, et supra iusserat Coenon dextrum hostium

cornu invehitur. Phalanx quoque mediam Indorum aciem 18
uno impetu perrupit.

49 At Porus, qua equitem invehi senserat, beluas agi iussit: sed tardum et paene immobile animal equorum velocitatem aequare non poterat. Ne sagittarum quidem ullus erat barbaris usus. Quippe longas et praegraves, nisi prius 19
in terra statuerent arcum, haud satis apte et commode imponunt: tum humo lubrica, et ob id impediente conatum, molientes ictus, celeritate hostium occupantur. Ergo spreto 20
regis imperio, (quod fere fit, ubi turbatis acrius metus quam dux imperare coepit,) totidem erant imperatores, quot agmina errabant. Alius iungere aciem, alius dividere, stare 21
quidam, et nonnulli circumvehi terga hostium iubebant. Nihil in medium consulebatur. Porus tamen cum paucis, 22
quibus metu potior fuerat pudor, colligere dispersos, obvius hosti ire pergit, elephantosque ante agmen suorum agi iubet. Magnum beluae iniecere terrorem, insolitusque stridor non 23
equos modo, tam pavidum ad omnia animal, sed viros quoque ordinesque turbaverat. Iam fugae circumspiciebant 24
locum paulo ante victores; cum Alexander Agrianos et Thracas leviter armatos, meliorem concursatione quam com-

movere i. e. in fugam coniicere. Res patet et Arriani descriptione confirmatur, sed codices nihil mutant. Videtur ipse scriptor quod supra scripsit *dextrum move* male intellexisse, deque admovendo dextro Macedonum cornu cepisse.

§. 18. *mediam Indorum aciem — perrupit*] Vulgo *in mediam — prorupit*. Sententia utriusque lectionis probabilis est, sed vulgatae tamen parum fortis. Nam phalangem uno impetu prorupisse quid mirum? perrupisse hostium aciem et verisimile est et ad rem pertinet. Omissa est praepositio in Flor. ABDF GI Leid. Voss. 1: *perrupit* a *prorupit* lineola discernitur, estque *perr.* in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. FGI, in aliis Flor. CE Bern. B *praerupit*. (Mod. *in mediam — perrupit*, inepte.)

Cap. 49. *Ne sagittarum quidem*] Nescio quis primus *ne* ediderit, nam edd. principes, Aldus, Iunius, Modius *nec* habent, sed recte edidit et libris mss. consentientibus, quandoquidem de nostris non habent *nec* nisi Flor. DI.

§. 19. *Quippe longas — imponunt*] Sic Iunius emendavit Modiusque secutus est, cum in codd. mss. et edd. antiquioribus esset *longae*. Et reliqui quidem editores tulerunt, quod ferri nequit, quodque librarii codicum Flor. EH Bern. B Voss. 2 non videntur tulisse cum istud vocabulum omiserunt. Ipse in priore editione Iunianae correctioni praetuleram Voss. 1 et duorum Bongarsianorum codicum lectionem *imponuntur*. Nunc de Bongars. dubitare me cogit silentium Bernensium, nec alioquin veteri correctioni postponenda videtur recentioris alicuius emendatio, qua orationis concinnitas magnopere adiuvatur. Sed mox idem Iunius etiam *occupabantur* correxit pro codicum omnium scriptura *occupantur*, quae videtur ferri posse.

§. 24. *meliorem concursatione*] Libri mss. fere *meliore*, omissa nimirum line-

minus militem, emisit in beluas. Ingentem hi vim telorum iniecere et elephantis et regentibus eos. Phalanx quoque instare constanter territis coepit. Sed quidam avidius persecuti beluas in semet irritavere vulneribus. Obtriti ergo pedibus earum ceteris, ut parcius instarent, fuere documentum. Praecipue terribilis illa facies erat, cum manu arma virosque corriperent, et super se regentibus traderent. Anceps ergo pugna nunc sequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei varium certamen extraxit; donec securibus (id namque genus auxilii praeparatum erat) pedes amputare coeperunt. Copidas vocabant gladios leviter curvatos falcibus similes, quis appetebant beluarum manus. Nec quicquam inexpertum non mortis modo, sed etiam in ipsa morte novi supplicii, timor omittebat.

Ergo elephanti vulneribus tandem fatigati suos impetu sternunt, et qui rexerant eos, praecipitati in terram, ab ipsis obterebantur. Itaque pecorum modo magis pavidi, quam infesti, ultra aciem exigebantur; cum Porus, destitutus a pluribus, tela multo ante praeparata in circumfusos ex elephanto suo coepit ingerere, multisque eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus undique petebatur. Novem iam vulnera hinc tergo, illinc pectore exceperat, multoque sanguine profuso languidis manibus magis elapsa, quam excussa tela mittebat. Nec segnius belua, instincta rabie, nondum saucia invehebatur ordinibus; donec rector beluae

ola superinducenda. *Concursationem* recte in lex. explicat Forcellinus pugnam instabilem, quae opponatur stationariae, quoniam qui frequenter procurrit, aeque frequenter recurrit.

§. 25. *Ingentem hi*] Vulgo *ii*, sed quod saepissime repetendum, sequimur nos codicum nostrorum omnium scripturam praeter Flor. B qui semper *hii*. *Elephantibus* Flor. EH Bern. B, mali auctores. Iidem mox cum Flor. C et Voss. 2 eiusdem sectae *irritaverunt*.

§. 29. *Copidas vocabant*] Imperfectum tempus pro vulg. *vocant* omnes Flor. praeter G exhibent, item Bernenses et Snakenburgiani. Sed quod in his libris traditur scriptum *copides* non inveni e nostris enotatum, nec editum a Modio. Amat enim Curtius in Graecis verbis Graecas terminationes casuum.

Nec quicquam inexpertum] *Timorem* intelligo militum Macedonum, ne ipsi elephantorum praeda fierent. Itaque omni ratione elephantos occidere conati nullum caedis genus non experiebantur, quo factum est ut elephanti cum occiderentur, etiam miserabilius perirent. Hoc ultimum membrum facile omittere poterat auctor, quandoquidem sine dubio id non curabant milites. Sed admonuit illum mentio proboscidum copidibus laceratarum, quali vulnere affectos necesse est perisse elephantos.

regem conspexit fluentibus membris omissisque armis vix compotem mentis. Tum beluam in fugam concitat, sequente 34
Alexandro: sed equus eius multis vulneribus confossus deficiensque procubuit, posito magis rege, quam effuso. Itaque dum equum mutat, tardius insecutus est. Interim fra- 35
ter Taxilis, regis Indorum, praemissus ab Alexandro, monere coepit Porum, ne ultima experiri perseveraret, dederetque se victori. At ille, quamquam exhaustae erant vires, 36
deficiebatque sanguis, tamen ad notam vocem excitatus *Agnosco*, inquit, *Taxilis fratrem, imperii regnique sui proditoris:* et telum, quod unum forte non effluxerat, contorsit in eum: quod per medium pectus penetravit ad tergum. Hoc ultimo virtutis opere edito, fugere acrius coepit: sed 37
elephantus quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. Itaque sistit fugam, peditemque sequenti hosti obiecit. Iam 38
Alexander consecutus erat, et pertinacia Pori cognita, vetabat resistentibus parci. Ergo undique et in pedites et in ipsum Porum tela congesta sunt: quis tandem gravatus labi ex belua coepit. Indus, qui elephantum regebat, de- 39
scendere eum ratus, more solito elephantum procumbere iussit in genua: qui ut se submisit, ceteri quoque, ita enim instituti erant, demisere corpora in terram. Ea res et Porum et ceteros victoribus tradidit.

51 Rex spoliari corpus Pori, interemptum esse credens, 40
iubet, et qui detraherent loricam vestemque, concurrere; cum belua dominum tueri et spoliantes coepit appetere, levatumque corpus eius rursus dorso suo imponere. Ergo

Cap. 50, §. 36. *regnique sui proditoris*] Legebatur vulgo *proditorem*, sed cum illud convicium in fratrem Taxilis minus conveniret, quam in ipsum Taxilem, Freinshemius secundis curis ex aliquot mss. recepit *proditoris*. Iam firmatur hoc auctoritate optimorum librorum Leid. Voss. 1 nostrorumque omnium praeter Flor. DFGI.

§. 37. *peditemque — hosti obiecit*] Flor. EH Bern. B *se obiecit* male, neque enim de ipso rege pedibus cum hostibus congrediente sermonem esse sequentia docent, sed opposuit ille quicquid peditum adhuc circa ipsum erat persequentibus.

§. 38. *quis tandem*] *Tantum* Flor. ADFGI Leid. Bern. A, alii Flor. CEH *tamen*, aeque mendose. Item §. 39. *dimisere*, quod est in Leid. Voss. Flor. AEGH Bern. B, iure spernitur.

Cap. 51, §. 40. *iubet*] Sic mss. nostri omnes et Leid. Voss. 1. Vulgo *iussit*.

telis undique obruitur, confossoque eo, in vehiculum Porus
41 imponitur. Quem rex ut vidit allevantem oculos, non odio, sed miseratione commotus, *Quae, malum*, inquit, *amentia te coëgit, rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri; cum Taxilis esset in deditos clementiae meae tam propinquum*
42 *tibi exemplum?* At ille, *Quoniam*, inquit, *percontaris, respondebo ea libertate, quam interrogando fecisti. Neminem me*
43 *fortiorem esse censebam. Meas enim noveram vires, nondum expertus tuas: fortiorem esse te, belli docuit eventus. Sed ne sic quidem parum felix sum, secundus tibi.* Rursus interrogatus, quid ipse victorem statuere debere censeret, *Quod hic*, inquit, *dies tibi suadet, quo expertus es, quam caduca*
44 *felicitas esset.* Plus monendo profecit, quam si precatus esset. Quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo, sed etiam
45 honore excipere dignatus est. Aegrum curavit haud secus, quam si pro ipso pugnasset; confirmatum contra spem omnium in amicorum numerum recepit; mox donavit am-
46 pliore regno, quam tenuit. Nec sane quicquam ingenium eius solidius aut constantius habuit, quam admirationem verae laudis et gloriae: simplicius tamen famam aestimabat in hoste, quam in cive. Quippe a suis credebat magnitudinem suam destrui posse, eandem clariorem fore, quo maiores fuissent, quos ipse vicisset.

confossoque eo] Sic emendaverat Aldus, nam mss. *composito* habent. De masculino genere cf. supra ad c. 45, 8.

§. 41. *Quae, malum, inquit, amentia*] Constituit recte Aldus, nam princeps *Quod malum inquit quae amentia*, sicut etiam Flor. BCGH Bern. B Pal. 1 Voss. 2, nec alio pertinent Flor. E *quod in alium inquit quae*, et Flor. F *quod maius inquit quae*. Tum *Taxilis* scripsi iubentibus libris mstis, nam editi *Taxiles* habent. Ac potest haud dubie genitivus apte et Latino sermoni convenienter explicari, si cum voce *exemplum* coniungas. Sed quod in Flor. ABC Voss. 1 Bern. A scribitur *tam propinquo tibi* documento esse potest, quam soleant scribae libenter similes casus parva terminationum mutatione efficere. Sic post §. 44 ubi *ne fortuna quidem infractam* verissime ab Aldo editum est, omnes mss. nostri et Leid. Voss. 1 cum edd. principibus *fortunam* habent.

§. 43. *quo expertus es*] Bern. A Flor. ABG Leid. Voss. 1 *quod*, mendose.

§. 46. *simplicius tamen famam aestimabat* cet.] Egregie hoc dictum ad Alexandri ingenium describendum, et verbis aptissimis. Simili sententia supra IV, 26 Alexandrum *virtutis etiam in hoste miratorem* dixerat.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

(1) Alexander *(Maio mense ineunte a. a. Chr. nat.* 326.) victoria de Poro in ulteriore ripa Hydaspis *(hodie Dschilum)* reportata, milites pro contione laudat donisque ornat, naves in Hydaspe construi iubet, duas urbes in utraque ripa (Nicaeam et Bucephalam) condit. (2) Tum Poro amne superato, *(sive Porus nomen fuit reguli, commune illud quidem cum altero Poro, et amnis Acesines, qui nunc Chinab vocatur)* per silvas ingentes ac deserta ad fluvium Hyarotim sive Hydraoten *(hodie Rawi)* penetrat, eoque traiecto, (3) ad urbem magnam et munitam (Sangala) venit, cuius incolae, cum fortiter adversus Macedones de vehiculis inter se iunctis pugnassent, inde depulsi intra moenia se recipiunt. Verum urbs quoque vi expugnatur. (4) Copiis divisis regio vastatur, Alexander ipse aliam urbem, ab incolis inter se dissidentibus proditam, capit, et obsidibus clementer tractatis, barbaros *(Cathaeos)* permovet, ut cetera oppida dedant. (5) Inde in regnum Sopithis *(Σωπείθην appellat Diodorus)* venit, cuius gentis sapientia excellentis instituta commemorantur. Regulus magnifice ornatus Alexandro occurrit, se gentemque suam dedens et dona offerens, (6) inter quae et canes fuerunt, quorum admirabilis virtus ad venandum describitur. Relicto Sopithe ad Hyphasin amnem, ultimum ex iis qui Indum augent, agmen procedit; *(hodie sive Beyah sive Setletsch vocatur, utriuscunque amnis nomen, coniunctis aquis, evincere volueris)* Phegeus regalus victoris fidei sese permittit. (7) Alexander cum et hunc amnem traiicere pararet, ex Phegeo et Poro cognoscit de ingentibus copiis Gangaridarum et Prasiorum, ad quos per solitudines undecim dierum itinere perventurus esset, deque rege illorum Agramme. Itaque perpensis rei difficultatibus, cùm dubitaret, num Macedones ipsum secuturi essent, (8) contione advocata, elevare studet, quae ab Indis iactata erant, falsam plerumque famam esse docens, (9) nec si vera illa forent, timenda, quoniam olim et elephantos et peditum equitumque maximas copias facile vicerint. (10) Orat denique, ut cum ad finem terrae et Oceanum pervenerint, hunc ultimum laborem ne omittant, neve se deserant. (11) Cum

milites duces suos intuentes pertinaciter silerent, rexque ira et dolore exardescens, solum igitur se iturum confirmasset, lacrimae omnibus fluere coeperunt, nec ipse rex oculis temperare potuit. (12) Tum Coenus pro exercitu dicit, se paratos quidem esse sequi quocunque voluerit, sed amplitudinem eius consiliorum non capere, exhaustos ipsis victoriis: posse regem ad Oceanum per terras ad Meridiem vergentes penetrare, si illum temptare cupiat. (13) Ceteri et duces et milites Coeno assensi regem precibus urgent, quibus victus de tribunali desiluit, et cum per biduum in regia inclusus dolori se dedisset, tertio die ut ille finis expeditionis Indicae haberetur, aris positis, concessit. Inde ad Acesinem *(eoque superato, si fidem historiae sequi volumus, etiam ad Hydaspen)* et classem in eo constructam revertitur. Supplementis militum domo missorum auctus, Poro et Taxile regibus inter se reconciliatis, urbibusque Nicaea et Bucephala absolutis, cum partem exercitus in naves imposuisset, et reliquum agmen in utraque ripa proficisci iussisset, secundo amne navigare coepit, *(secundum Strabonem exeunte fere mense Octobri a. a. Chr. nat.* 326).

(14) Circa confluentes Hydaspis et Acesinis in fines Siborum decucurrit, inde ad aliam gentem *(Agalassensium, Diodoro teste)* venit, cuius fugato exercitu urbem, caput regionis, obsedit. Eam ipsi incolae incendio delent, arci propter situm opportunum Alexander praesidium imponit. (15) In confluentibus trium fluminum, Indi et Hydaspis cum Acesine iam coniuncti, classis naufragium facit, et ipsius regis navis aegre vorticibus eripitur. *(Verum hoc naufragium Arrianus accidisse tradit in confluentibus Hydaspis et Acesinis, quod si verum est, uti sane videtur, Oxydracarum et Mallorum situs longe alius fit, definiturque amnibus Acesine et Hyaroti.)* (16) Inde in Oxydracarum Mallorumque regionem pervenit, quarum gentium coniunctae copiae ingentem exercitum effecerant. Itaque Macedonum animos perturbatos rex oratione habita confirmat. (17) Quo facto cum alacrem exercitum adversus Oxydracas duxisset, barbari non ausi proelium inire fuga disperguntur. (18) Eorum *(sive Mallorum potius)* oppidum, in quod plerique confugerant, Alexander, nequicquam deterritus a vate, adoritur, cumque primus in murum evasisset et insequentium militum impetu scalae fractae essent, (19) admirabili temeritate in urbem desilit, hostesque ingruentes, corpore ad arborem applicato, propellit. (20) Eminus telis petitus et convulneratus, in genua procumbens pugnam tamen non omittit. (21) Eo temporis momento pauci ex armigeris subsidio veniunt, sed aegre se regemque tuentur, donec exercitus fama regis occisi efferatus in urbem irrumpit, hostesque ad internecionem caedit. (22) Alexander cum magno et ipsius periculo et militum maerore curatur. (23) Nondum percurato vulnere lento cursu navigare pergit. (24) Craterus ad eum preces amicorum defert, ut saluti suae parcere neu vitam in pugnis ignobilibus prodere velit. (25. 26) Respondet ei rex longa et accurata oratione, se pietatem quidem illorum et agnoscere et laudare, sed suam vitam non diuturnitate sed gloria aestimare: pro ea nullum sibi laborem recusandum esse: illi praestarent modo, ut ab intestino scelere tutus esset. (27) Interim Graeci milites, in colonias circa Bactra deducti, duce Bicone quodam, defecerunt, et in patriam reverti coeperunt. (28) Oxydracae Mallique missis legatis sese dedunt, et imperata faciunt. Qua re laetus rex celebre convivium instituit, (29) in quo cum Dioxippus pugil Atheniensis ab Horrata Macedone *(alii Κόῤῥαγον vocant)* eluderetur, singulari certamine constituto vicit pugil, sed non multo post ab inimicis falso crimine petitus et infamia notatus semet ipse interemit. (30) Inde exercitus et navibus vectus et pedibus incedens per Mallos ad Sabarcas *(Diodorus Sambastas vocat)* venit, quae gens ingenti Macedonum apparatu perculsa sese dedidit. (31) Etiam ad quam deinceps venerunt gentem fidei victoris se permisit, in cuius finibus Alexandria condita est *(ad*

Acesinis et Indi confluentes, sec. Arrianum). Musicani *(sive gens, quae Musicano regulo parebat,)* in dicionem rediguntur, relicto in eorum urbe praesidio. Praestorum rex Porticanus, expugnata urbe, in qua se incluserat, occiditur. (32) Sambi regnum ingressus Alexander, multas urbes partim deditas in fidem accipit, partim expugnat, Musicanos, qui defecerant, per Pithonem subigit. Oppidi alicuius, quod ad regnum Sambi pertinebat, incolae, cum excursionem fecissent, facile quidem repelluntur, (33) sed quia gladios veneno tinxerant, Macedonum multi in pugna vulnerati moriuntur, quod idem cum metueretur ne Ptolemaeo, Lagi filio, regis familiarissimo, accideret, et ipse rex et Macedones, quantopere omnibus carus esset, luculenta dederunt argumenta, donec Alexander divinitus, ut ferebatur, remedium morbi repperit. (34) Inde ad gentem Pataliam et insulam medio amne sitam *(ubi nunc urbs Hydrabad?)* delatum agmen, diutius ibi substitit. Ducibus tandem repertis, per triduum iam Oceano appropinquantes strenue navigant, et ad aliam insulam prope os fluminis applicant. (35) Incidunt ibi in casum incognitum et improvisum, aestum maris, longe illum quidem vehementiorem in Oceano, quam in mari medio sive mediterraneo; (36) graviore etiam damno navigia afficiuntur, cum mare reciprocari coepit. (37) Sed et regis cura et iterato aestu omnia restituuntur, et Alexander, cognita maris natura, in ipsum Oceanum evehitur, tandem voti compos. (38) Reversus ad insulam (Patala) urbem et navalia condit, Leonnatum cum parte copiarum praemittit ad iter terrestre praeparandum, Nearchum et Onesicritum idoneo tempore classe litora circumvehi, et per os Euphratis ad se redire iubet.

(39) Ipse *(Iulio fere mense a. a. Chr. nat.* 325.) cum ceteris copiis profectus per regionem Arabitarum ad Horitas venit. Gentem diviso exercitu populatus urbem condidit, quam Arachosiis incolendam dedit. (40) Inde exercitus regionem Indorum maritimorum *(quos alii ichthyophagos appellant)* sive desertam Cedrosiae partem, loca omni cultu carentia, (60 *diebus*) peragrans, in summam omnium rerum inopiam incidit, tantamque cladem quantam nusquam alibi accipit. (41) Tandem in fines Cedrosiae cultioris perveniunt. Ibi litteras a Leonnato apud Horitas relicto, et a Cratero per Arachosiam et Drangianam cum parte exercitus proficiscente accipit. Ipse in Carmaniam processit, cuius gentis Satrapam Aspasten, dum audit delatores, in honore habuit. (42) Restitutis detrimentis, quae exercitus improspero per Cedrosiam itinere fecerat, Carmaniam peragrat luxurioso agmine, Bacchi triumphum victis Indiae gentibus imitans. Interim tamen Aspastes supplicio afficitur.

1 Alexander, tam memorabili victoria laetus, qua sibi I. Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis, milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli obirent, pro contione laudatos docuit, quicquid Indis virium

Lib. IX, Cap. 1, §. 1. *Orientis fines*] Bern. A Flor. AB *finis*.

milites quoque, quo promptioribus cet.] Modius *qui* pro vulg. *quo* edidit, consentientibus Flor. DFI. Equidem Latinum esse non puto si quis pro *quo* cum comparativo ponere velit *qui*, sive id pro ablativo sive pro nominativo plur. habeat.

reliqua belli obirent] Omisi *munia*, quod vulgo praeterquam in edit. Mod. additur, quia a nostris omnibus abest praetereaque a Voss. 1. 2 abesse traditur, et quod non de ceteris belli negotiis, sed de reliqua parte belli sermo est.

2 fuisset, illa dimicatione prostratum; cetera opimam praedam fore, celebratasque opes in ea regione eminere, quam peterent. Proinde iam vilia et obsoleta esse spolia de Persis: gemmis margaritisque et auro atque ebore Macedoniam 3 Graeciamque, non suas tantum domos, repletum ire. Avidi milites et pecuniae et gloriae, simul quia nunquam eos affirmatio eius fefellerat, pollicentur operam: dimissisque cum bona spe, navigia exaedificari iubet, ut, cum totam 4 Asiam percurrisset, finem terrarum mare inviseret. Multa materia navalis in proximis montibus erat: quam caedere 5 aggressi, magnitudinis inusitatae repperere serpentes. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. Ceterum hoc nomen beluis inditum a Graecis: ser- 6 monis eius ignari aliud lingua sua usurpant. Rex, duabus

§. 2. *cetera opimam praedam fore*] Vulgo *ceteram*, quod recte damnavit Snakenburgius, esset enim ceteram praedam opimam fore, quod non significat, sed cetera Indiae sive ceteram Indiam in praedam cessuram. Tuto igitur secuti sumus codicum consensum, a quo soli absunt Bern. A et Flor. C. Quod Freinsh. coniecit *ceterum — manere* (pro *eminere*) *repleturos* mihi quidem veri speciem non videtur habere. Sed in priore edit. nostra h. l. incuria aut typographorum aut nostra in describendis ectionibus versata est.

non suas tantum domos repletum ire] Vulgo *repleturum*, quod non expedio cum de militibus dici pateat. Scribemusne igitur *repleturos* ex Flor. G? Scriberemus, ni opportunum offerretur Voss. 1 remedium: *repletum ire*, i. e: *repleturos esse*, sicut X, 25 est *Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant*. Eodemque pertinet lectio Bern. B Flor. EH *repleturi*. Dixi ea de re in Gramm. Lat. §. 669.

§. 3. *eos affirm. eius fefellerat*] Hoc verba ordine collocantur in nostris omnibus praeter Flor. G et Bern. A, item in iis quos Snakenb. contulit. Post *exaedificari* item omnes mss. pro vulg. *aedificari*.

cum totam Asiam percurrisset] Quoniam sequitur *inviseret*, pro quo pluralis numerus non legitur nisi in Flor. C, necesse fuit recipere lectionem Flor. omnium praeter B *percurrisset*, ut omnia ad ipsum regem referantur. Quo probato tota verborum structura concinnior et facilior fit. Verum ut de numero singulari non dubito, ita Snakenburgianorum codicum Leid. Voss. 1 (in quibus ille *percucurrissent* esse tradit) et nostri Bern. A lectio *percucurrisset* de reduplicatione retinenda aut abiicienda dubitare cogit. Grammatice utrumque probari potest, vide Ruddimanni exemplorum collectionem tom. I, p. 208 sq. edit. Lips. sed apud Curtium alibi non inveniuntur nisi decurtatae formae *decurrerunt* VII, 25, 1, *decurrisse* VI, 27, 27, *discurrisse* IV, 56, 10, *incurrerunt* IX, 19, 8, *occurrerunt* IX, 3, 15, *percurrisset* IV, 17, 1, *percurrisse* V, 14, 10. Uno loco VI, 9, 16 *transcucurrimus* edere debuimus propter codicum auctoritatem.

§. 5. *Rhinocerotes quoque*] Iterum *rinocerontes* Flor. ABEG Leid. Voss. 1, 2 Bern. AB.

beluis inditum a Graecis] Vulgo addunt *beluis eis*, sed pronomen, quod facile subintelligatur, omittunt nostri et Snak. omnes. Ceterum in Flor. DFI Pal. 1 et Modianis mss. *a Graeci sermonis ignaris* legitur, quae vetus correctio a vulgari vitio procedens Heinsio causa fuit cur coniiceret *aliud Indi sua lingua usurpant*.

§. 6. *duabus urbibus*] Eaedem sunt,

urbibus conditis in utraque fluminis, quod superaverat, ripa, copiarum duces coronis et mille aureis singulos donat: ceteris quoque pro portione aut gradus, quem in amicitia obtinebant, aut navatae operae, honos habitus est. Abisares, qui prius quam cum Poro dimicaretur legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit, pollicentes, omnia facturum, quae imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere: neque enim aut sine regio imperio victurum, aut regnaturum esse captivum. Cui Alexander nuntiari iussit, si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum. 7 8

2 Hinc, Poro amne superato, ad interiora Indiae processit. Silvae erant prope in immensum spatium diffusae, proceris- 9 que et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae. Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, 10 rursus qua se curvaverant erigebantur, adeo ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatae. Coeli temperies salubris; quippe et vim solis umbrae 11 levant, et aquae largae manant e fontibus. Ceterum hic 12 quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium est, quippe morsum praesens mors sequebatur; donec ab incolis remedium oblatum est. Hinc per deserta ventum est ad flumen 13

quibus postea c. 13 nomina indita Bucephala et Nicaea, illam ubi Hydaspen traiecit, hanc paulo inferius ad amnem ubi Porum devicit, vid. Arrian. v, 19.

aut gradus, quem in amicitia obtinebant] *Gradus* correxerat Acidalius, cum olim *gradu* ederetur, sed approbantibus mss. Flor. AB Voss. 1 et postulante utique sermonis concinnitate. Sed restituenda etiam est lectio mss. et editionum Aldina priorum *in amicitia*, pro qua ille substituerat *in militia*. Agnoscis enim in illo vocabulo militiae apud Alexandrum et morem et conditionem.

§. 7. *sine regio imperio*] *sine imperio* Flor. CEH Bern. B Voss. 2, sed etiam Voss. 1.

Cap. 2, §. 8. *Poro amne superato*] Edo quod est in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ACGH Modianisque libris. Nam quod vulgo obtinet ex deterioribus libris ductum *Poro amneque superato*, non tam propter duplicem significationem unius verbi quam propter inanem repetitionem de Poro victo displicet. Nec iuvat quod est in Flor. D *porro amne superato*. Acesinem eum amnem fuisse ab reliquis auctoribus docemur, sed difficile fuerit illud nomen huc inducere. Nihil videtur reliquum esse, nisi ut aut ipsum Curtium errasse statuamus, qui cum alterius Pori regis nomen itidem ab Alexandro victi (vid. Arrian. v, 21, 3 sqq.), legerit, cum amne id confuderit, aut fuisse utique etiam fluvii illud nomen putemus, ceteris auctoribus ignotum.

§. 11. *aquae largae manant*] Leid. et Bern. A pr. m. *large*. Cf. ad VI, 22, 24.

§. 13. *ad flumen Hyarotim*] Arria-

Hyarotim. Iunctum erat flumini nemus, opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumque pavonum multitudine frequens.
14 Castris inde motis, oppidum haud procul positum corona capit, obsidibusque acceptis stipendium imponit.

Ad magnam deinde, ut in ea regione, urbem pervenit, 3
5 non muro solum, sed etiam palude munitam. Ceterum barbari vehiculis inter se iunctis dimicaturi occurrerunt: tela aliis hastae, aliis secures erant; transiliebantque in vehicula strenuo saltu, cum succurrere laborantibus suis
6 vellent. Ac primo insolitum genus pugnae Macedonas terruit, cum eminus vulnerarentur: deinde spreto tam incondito auxilio, ab utroque latere vehiculis circumfusi repu-
7 gnantes fodere coeperunt. Et vincula, quis conserta erant, iussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur. Itaque,

nus Ὑδραώτην appellavit, Strabo Ὑάρωτιν, Diodorus non meminit. Curtii libri optimi *Hiarotim*, Flor. DGI *Hyarotin*, Flor. CEH Bern. B Voss. 2 *Hiarotum*, edd. pr. *Hiraotim*, post Aldum editi *Hydraoten*. Hodie vocatur *Rawi*, sed et *Iraeoti*, inciditque in Acesinem, qui hodie est Tschinab, maiorem fortioremque amnem.

arboribus alibi inusitatis] Heinsii Flor. et Snakenb. Leid. Voss. 1 cum edit. principe *invisitatis*, sed homines docti qui codices Flor. et Bern. in meum usum contulerunt, nihil ex iis a vulg. lectione diversum enotarunt. Sed in discrimine literarum tam exiguo illa vel paucorum mss. auctoritas sufficeret, ut editos libros corrigeremus, si ita melius videretur. Et Drakenb. quidem, quem supra ad v, 17, 7 laudavimus, non hoc tantum loco id videtur facturus fuisse, sed etiam supra IX, 1, 4 *serpentes magnitudinis invisitatae* et IX, 24, 7 *invisitatas beluas inducat*, et libro VIII, 31, 16 *animalia invisitata ceteris gentibus, nisi invecta* ex uno codice Voss. 1 scribere voluisse. De postremo loco non contenderim, quamquam paulo plus auctoritatis desiderem, sed in ceteris a vulg. non recedam. Decet enim in eiusmodi vocabulo, quod inter rariora numerandum est (nam neque Cicero neque Caesar eo utuntur,) paulo cautiorem esse. Quibus locis tuto legitur, iis aut coniungitur cum *inauditus*, aut habet aliquam miraculi significationem, ut supra libr. v, 17, quae ubi deest, quid attinet orationem frustra extollere?

Cap. 3, §. 14. *ut in ea regione*] Modius praepositione omissa *ut ea regione*, nullo ms. adstipulante. Unus Flor. G *ut in ea reg. est.* Gens erat *Cathaeorum*, urbs *Sangala*, auctore Arriano v, 22 sqq.

§. 15. *tela aliis hastae*] Vulgo editi *aliis tela, aliis hastae, aliis secures erant*, quod in nullo ms. est. Quod nos ex Bern. A Leid. Flor. ABDFGI, ante nos Modius ediderat. Ceteri libri *tela hastae aliis*, ex quo item facile intelligas quid in antiquo exemplari fuerit. *Tela* h. l. in universum pro armis ponuntur, quae quis nocendi causa habet, quae fere verba sunt veteris Icti in Digest. lib. XLVII, tit. 2, leg. 56 et ipsam securim qua Tarquinius Priscus Romae occisus est, Livius I, 40 extr. *telum* appellat. Item Curtius infra c. 14, 3 clavas *tela* vocat.

§. 16. *tam incondito auxilio*] Currus copulatos dicit convenienter admodum, quapropter Modium iure mireris correxisse *agmine*.

§. 17. *et vincula — iussit*] Primaria totius operis persona intelligitur, nec opus est cum Freinsh. pro *et* corrigamus *rex*. Cf. ad v, 10.

VIII milibus suorum amissis, in oppidum refugerunt. Postero 18
die scalis undique admotis muri occupantur; paucis pernicitas
saluti fuit. Qui, cognito urbis excidio, paludem transnavere
in vicina oppida ingentem intulere terrorem, invictum exer-
citum, et deorum profecto, advenisse memorantes.

4 Alexander, ad vastandam eam regionem Perdicca cum 19
expedita manu misso, partem copiarum Eumeni tradidit, ut
is quoque barbaros ad deditionem compelleret: ipse ceteros
ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant
incolae, duxit. Oppidani, missis qui regem deprecarentur, 20
nihilominus bellum parabant. Quippe orta seditio in diversa
consilia diduxerat vulgum: alii omnia deditione potiora,
quidam nullam opem in ipsis esse ducebant. Sed dum 21
nihil in commune consulitur, qui deditioni imminebant, aper-
tis portis, hostem recipiunt. Alexander, quamquam belli 22
auctoribus iure poterat irasci, tamen omnibus venia data,
et obsidibus acceptis, ad proximam deinde urbem castra
movit. Obsides ducebantur ante agmen. Quos cum ex 23
muris agnovissent, utpote gentis eiusdem, in colloquium

§. 18. *Qui — transnavere in*] Aldus non animadversa periodi constructione de coniectura adiecerat *et: et in vicina oppida*, eaque particula a reliquis servata est. *Transnatavere* Flor. DFGI, *tranavere* Flor. H Bern. B edit. Iun., Mod. al. Cf. ad VIII, 45, 15.

Cap. 4, §. 19. *Eumeni tradidit*] Sic mss., editi *tradit*. Est hic Eumenes tam celeber post regis sui mortem, cuius vitam descripserunt Nepos et Plutarchus. Et hic quidem ἀρχιγραμματέα eum apud Alexandrum fuisse refert, non γραμματέα tantum: sed et scribas regios interdum in militaribus negotiis ducum munere functos esse, vide supra VIII, 39. De hac expeditione Eumenis cf. Arrian. V, 24, 6.

§. 20. *diduxerat vulgum*] Sic Iunius et Modius, nam edd. veteres et mss. solita incuria discriminum *deduxerat;* sed certa res videtur esse propter vocem *diversa*. Item variant libri mss. dum alii *vulgus* exhibent Flor. FGI, unus etiam eiusdem sectae D *volgus*.

in ipsis esse ducebant] *Dicebant* Pal. 1 Voss. 2 et Flor. omnes praeter AB.

§. 21. *deditioni imminebant*] *Imminere*, sicut naturaliter significat propinquum esse, ita, ad animum si transferatur, est intentum esse in aliquam rem, omnem curam et cogitationem in aliqua re positam habere. Sic IV, 3 *tantae spei* (regno) *imminere*, VI, 39 *imperio immineo*, V, 30 *occasioni imminens alloquendi regis*.

§. 22. *belli auctoribus*] Latine et recte dicit, nimirum qui bellum faciendum suaserant.

§. 23. *cum ex muris*] Vulgo *e muris;* sed *ex* Leid. Voss. 1 et omnes nostri praeter G. Tum *eiusdem gentis* Flor. CEH Bern. B Voss. 2. Tum pro eo quod est *convocaverunt* Pal. 1 qui alibi fere cum Flor. DFGI ire consuevit, hoc autem loco solus destituitur, et edit. Mod. *vocaverunt*, male, nam *convocare* de iis qui in concilium coëunt, etiamsi ab altera parte non sint dispersi, adeoque unus sit (vide Ernest. ad Cic. orat. III in Rull. extr.) Latine dici-

convocaverunt. Illi, clementiam regis simulque vim commemorando, ad deditionem eos compulere: ceterasque urbes simili modo domitas in fidem accepit.

4 Hinc in regnum Sopithis perventum est. Gens, ut barbari credunt, sapientia excellet, bonisque moribus regi- 5 tur. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntque, sed eorum, quibus spectandi infantium habitum cura mandata est. Si quos insignes aut aliqua parte membrorum inutiles notaverunt, necari iubent. Nuptiis coëunt non genere ac nobilitate coniunctis, sed electa corporum specie,

tur. Denique nunc *domitas* dedi pro vulg. lectione *deditas*, quam non tuentur de nostris nisi Flor. EH Bern. B deterrimae sectae participes. Hi igitur *domitas* urbes nulla vi externa adhibita non tulerunt. Ferendum tamen videtur, domari dici quae aliqua vi maiore, cui resisti nequeat, compelluntur ad parendum.

Cap. 5, §. 24. *in regnum Sopithis*] Vulgo *Sophitis*, codd. *Sophites*, praeter Flor. E, in quo *Sophite*, et F in quo *Sophitis* legitur. Sed vocatur rex a Diodoro *Σωπείθης*, idemque in terra Gandaride regnans commemoratur a Strabone XV, p. 699 et apud Arrianum VI, 2, quamquam hic quidem nihil accuratius tradit. Itaque *Sopithis* scribendum erat, et post ubi nomen in casu ablat. repetitur *Sopithe* pro *Sophite*, vel non adiuvantibus codd. qui in Graecis fere nominibus vitiosi. Verum §. 27 re vera Bern. A pr. m. *Sopite*.

ut barbari credunt] Mirum est, ut recentiores editores Modii convicio deterriti sint, quominus mss. h. l. sequerentur. Nam cum olim recte ederetur certe secundum consensum librorum mss. *ut barbari credunt*, Modius elegantiam quandam odoratus, *credunt* delevit, ut iam superesset, *gens ut barbari excellit*. Sed hoc ipsum inconcinne dictum videtur, quocirca Heinsius voluit *ut in barbaris*. Sed nihil tutius quam redire ad veritatem fidemque librorum. Dicit enim Curtius de communi fama gentium vicinarum. Tum etiam pro fide nostra *excellet* scribendum pro vulg. *excellit*, quia illud in optimis Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AC nec Flor. B *excresset vel excellet* abludit. Et fuisse olim etiam excelleo, excelles Priscianus auctor est bis pag. 838 et 896, bis etiam Ciceronis locum ex I. epist. ad filium laudans: *Quare effice et elabora ut excelleas*. Bern. B Flor. EH mendose *excellat*.

§. 25. *infantium habitum*] Edd. veteres *infantum*, quod Snak. in Leid. Voss. 1 invenit, ego ex Flor. DFGI enotatum repperi. Quod sequitur *insignes* editum est a Modio ex melioribus mss.; nam editiones ante ipsum *segnes* exhibuerunt, quod in duplici secta deteriorum una Flor. FG Pal. 1, altera Flor. CEH Bern. B Voss. 2 legitur. *Insignes* igitur per libros mss. certum est, ac saepe in deteriorem partem dicitur, ut nostrum auffallend, adeo ut *insignis impudentia* frequentius inveniatur quam *insignis virtus*, neque hoc offendere debet, quod non additur res, qua insignes fuerint, nam hoc ex sequenti *aut aliqua parte membrorum inutiles* suppletur. Ceterum vulgo *aliqua membrorum parte*, qui verborum ordo in solis Flor. DE exhibetur.

§. 26. *non genere ac nob. coniunctis*] Inutilis correctio Schefferi, cui nescio quomodo locum dedi in priore editione, *coniuncti*, nam et ipsae *nuptiae coniunguntur*, Germ. werden geſchloſſen. Cic. p. Cluent. 12 extr. *quae nuptiae non diuturnae fuerunt: erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate coniunctae*. Flor. E Bern. B *aut nobilitate*, quod cave probes eam ob causam, quod negantis oratio sit. Nam *genus* non diversum est a nobilitate, sed *genus ac nobilitas ἓν διὰ δυοῖν*, generis nobilitas.

quia eadem aestimatur in liberis. Huius gentis oppidum, 27
cui Alexander admoverat copias, ab ipso Sopithe obtinebatur. Clausae erant portae, sed nulli in muris turribusque se armati ostendebant, dubitabantque Macedones, deseruissent urbem incolae, an fraude se occulerent; cum, 28
subito patefacta porta, rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes barbaros eminens corporis specie. Vestis erat auro purpuraque distincta, quae etiam 29
crura velabat; aureis soleis inseruerat gemmas; lacerti quoque et brachia margaritis ornata erant. Pendebant ex 30
auribus insignes candore et magnitudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant: quo tradito precatus, ut sospes acciperet, se liberosque et gentem suam dedidit.

6 Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt: latratu 31
abstinere dicuntur, cum viderunt feram, leonibus maxime infesti. Horum vim ut ostenderet Alexandro, in conseptu 32
leonem eximiae magnitudinis iussit emitti, et quattuor omnino admoveri canes, qui celeriter feram occupaverunt. Tum ex his, qui assueverant talibus ministeriis, unus canis leoni

§. 27. *deseruissent urbem*] Mss. omnes sic exhibent, cum in editis *ne* interrogativum adiiciatur, quod abesse posse constat. Tantum *occultarent* pro *occulerent* habent Flor. EH Bern. B Voss. 2.

§. 30. *insignes candore et magn.*] Recte se habet Freinsh. lectio quamquam libri variant. Primum *insignis* Flor. AB Bern. A Leid. Voss. 1, iidem *et* omittunt, pro quo in aliis Flor. DFG et edit. Mod. est *ac*, in C *que* adiecticium. Denique *colore* Pal. 1 Flor. F.

ut sospes acciperet] Nescire se dicit Freinshemius, quo pertineat *sospes*, adeo *sospites* legi vult, adstipulantibus Heinsio et Cellario. At pertinet ad sollemne bonae valetudinis votum, quasi diceret quod felix faustumque tibi sit. Sic Plaut. Cas. 4, 41 *Sensim superattolle limen, nova nupta: sospes iter incipe hoc.*

Cap. 6, §. 31. *cum viderunt feram*] Vulgo *videre*, mss. *viderint* Voss. 2 Bern. B Flor. DFGI, ceteri *viderunt*, quos secuti sumus.

§. 32. *in conseptu*] Vulgo *in conspectu*. Non inepte Freinsh. et Schmiederus cum in Flor. Heinsii et Leid. *conseptu* legatur, atque idem fere Dan. exhibeat, et Diodorus ubi eandem rem narrat his verbis utatur: *εἰσήγαγεν εἴς τι περίφραγμα λέοντα τέλειον*, olim apud Curtium fuisse coniecerunt *in consepto*, sive etiam *in conseptu*, nam ne haec quidem forma analogia caret. Vide Schneid. Gram. 48. Hoc cum scripseissem in commentario omiseram tamen in priore edit. quia nihil diversi e Flor. annotatum est, nunc quia doceor in Bern. A pr. m. esse *consepectu*, et *se* in rasura, recipiendum videtur *in conseptu*.

feram occupaverunt, hoc ordine mss. nostri: nam quod ex Leid. Voss. 1. 2 Bong. notatur *occupavere*, equidem non reperio.

tum ex his — unus canis cet.] Codd. variant inter *tum*, *tunc*, *cum*, sed optimi tamen *tum*, Flor. A Leid. Voss. 1 Bern. A nec multum abit Flor. B in quo est *tamen*. Mihi quidem *tum* necessarium videtur, nam *cum — coepit* explicari

cum aliis inhaerentis crus avellere, et, quia non sequebatur,
3 ferro amputare coepit: ne sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare institit, et inde non segnius inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat: tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam me-
4 moriae proditum est. Equidem plura transcribo, quam credo: nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec
5 subducere, quae accepi. Relicto igitur Sopithe in suo regno, ad fluvium Hypasin processit, Hephaestione, qui diversam
6 regionem subegerat, coniuncto. Phegeus erat gentis proximae rex: qui, popularibus suis colere agros, ut assueverant, iussis, Alexandro cum donis occurrit, nihil quod imperaret detrectans.

I. Biduum apud eum substitit rex: tertio die amnem su- 7

non potest grammatice, nisi cum praegressis coniunxeris. Quo facto tamen languida et inconcinna fiet periodus, nec satis perspicua. Deinde *ex his* mss., editi *ex iis*. Post mss. omnes *unius*, Aldus correxerat *unus*. Hoc bene, sicut illud male quod *cum* edidit, cum in principibus *tum* fuisset. Nec intelligo quid Modius voluerit, qui *unius* diceret a sententia postulari. Immo ad vocem *canis* facilius intelligitur *alicuius*, quam coniunxeris *ex his qui assueverant talibus ministeriis — coepit*, i. e. aliquis ex ministris. Si pluralis numerus sequeretur ut VII, 1, 9 facilius concederem.

crus avellere] Voss. 1 Flor. CEH *crura vellere*, Pal. 1 Flor. DFGI *crura velleret*.

§. 33. *ne sic quidem*] Vulgo *nec — quidem*, sed tutius sequemur Flor. ABC Leid. Voss. 1 Bern. A. Quod sequitur *et inde* incuria correctorum factum est in edit. Snakenb. et Bipont. et ex ea in priore mea *et deinde*.

§. 35. *ad fluvium Hypasin*] Graecae nominis formae sunt duae *Hyphasis* apud Arrianum, *Hypanis* apud Strabonem, Athenaeum, Dionysium Periegeten; Diodori codices variant inter *Hypanin* et *Hyphasin*. Tertia est *Hypasis*, qua Plinius in nat. hist. utitur II c. 73 s. 75. VI, c. 17 s. 21, c. 20 s. 23, certe in textu. Curtianorum librorum Flor. ABD *Hypasin*, Leid. Voss. 1 2 Bern. A *Ypasin*, reliqui nostri *ipasim* aut *ipasin*. Itaque tutissimum est scribere *Hypasin*, quamquam nescio utrum omissa aspiratio consuetudini Latinorum an errori librariorum ascribenda sit. Aldus dederat *Hyphasis*, sed eum reliquerunt Iunius et Modius, neque nos vulgatae obstabimus. Hodie vocatur Bias, in quem Hesudrus, quem Setledsch vocant, incidit; utriusque coniuncti aquas post longum spatium Acesines recipit et in Indum transmittit. Quaeritur autem utrum Alexander Hypasin traiecerit supra an infra confluentes cum Hesudro. Ac mihi quidem ex eo quod Plinius nat. hist. VI, 17 s. 21 de Seleuco Nicatore ultra Alexandri terminos ad Hesudrum progresso tradidit, supra amnium confluentes ad Hydaspem solum venisse videtur Alexander.

§. 36. *Phegeus*] Adhuc editi olim *Phegelis* ex plerisque codicibus, post Iunium *Phegelas* secundum Flor. B. Nos *Phegeus* dedimus ex Flor. DFGI Pal. 1 et Diodori historia et quod paulo post in omnibus fere codd. Curtianis accusativus eius nominis est *Phegea*. In fine *detractans* frequenti varietate codd. Pal. 1 Flor. DFI et alterius sectae CE.

perare decreverat, transitu difficilem non spatio solum aquarum, sed etiam saxis impeditum. Percontatus igitur Phe- 2
gea, quae noscenda erant, XI dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse cognoscit; excipere deinde Gangen, maximum totius Indiae fluminum: ulteriorem ripam 3
colere gentes Gangaridas et Prasios, eorumque regem esse Aggrammem, XX milibus equitum ducentisque peditum obsidentem vias. Ad hoc quadrigarum duo milia trahere, et 4
praecipuum terrorem elephantos, quos trium milium numerum explere dicebat. Incredibilia regi omnia videbantur. Igitur 5
Porum (nam cum eo erat) percontatur, an vera essent, quae dicerentur? Ille, vires quidem gentis et regni haud 6
falso iactari, affirmat: ceterum qui regnaret non modo ignobilem esse, sed etiam ultimae sortis; quippe patrem eius tonsorem, vix diurno quaestu propulsantem famem, propter habitum haud indecorum cordi fuisse reginae. Ab ea 7
in propiorem eius, qui tum regnasset, amicitiae locum admotum, interfecto eo per insidias, sub specie tutelae liberum eius invasisse regnum, necatisque pueris hunc, qui nunc regnat, generasse, invisum vilemque popularibus, magis paternae fortunae, quam suae, memorem. Affirmatio 8

Cap. 7, §. 2. *excipere deinde Gangen*] Vulgo *Gangem*, sed *Gangen* mss. habere contendit Snak. et nostrorum exhibent Flor. ADI Bern. A.

§. 3. *Gangaridas et Prasios*] Γανδαρίδας appellat Diodorus, sed consentiunt interpretes, nomen illud Curtianum, quod idem legitur apud Plinium nat. hist. VI, 18 s. 22 ob similitudinem ipsius Gangis, a quo deductum videtur, probabilius esse. Sed qui vocantur *Prasii*, in codicibus Curtianis sunt *Pharrasii* aut *Parrasii*, quod nomen apud ceteros auctores non legitur. Nam Πραισίους Plutarchus et Aelianus, item Iustinus et Orosius, Πρασίους Strabo, Stephanus, Plinius appellant. Vide Wesseling. ad Diodor. lib. XVII, 93.

Aggrammem] Flor. D *Aggrammen*, sicut edidit Snakenb. ex Leid. Voss. 1, uti ipse dicit, sed utrum hoc ad duplicatas literas, an ad terminationem casus pertineat, pro perpetua quam sibi ipse finxit regula, non intelligas. Mei certe Flor. ABC cum vulg. *Aggrammem* consentiunt, ceteri *aggramen* aut *agramen*. Ambo Bern. *gg* sed terminatio notatur sic ut vel *em* vel *en* possit esse. Diodorus c. 93 Ξανδράμην appellat.

§. 4. *ad hoc*] Sic Leid. Voss. 1 *(ad huc)* et nostri omnes praeter Flor. CEH Bern. B, qui cum editis habent *ad haec*. Supra ad IV, 30 docuimus, *ad hoc* semper in his libris obtinere pro eo quod est praeterea.

§. 7. *qui nunc regnat*] Non improbo, immo qui *nunc* dicere velit, ei praesens videtur necessarium esse, sed latinus sermo videtur tamen postulare *qui tum regnaret*; ni hoc eam ob causam fugisse dicimus, quod paulo ante *qui tum regnasset* scripsit. Heinsius *regnet* scribendum coniecit. Cf. ad III, 6, 5.

invisum vilemque] Diodorus l. l. ἀπιθάνῳ παντελῶς εἶναι καὶ ἄδοξον.

Pori multiplicem animo regis iniecerat curam. Hostem beluasque spernebat, situm locorum et vim fluminum exti-
9 mescebat; relegatos in ultimum paene rerum humanarum persequi terminum et eruere arduum videbatur. Rursus avaritia gloriae et insatiabilis cupido famae nihil invium,
) nihil remotum videri sinebat. Et interdum dubitabat, an Macedones, tot emensi spatia terrarum, in acie et in castris senes facti, per obiecta flumina, per tot naturae obstantes difficultates secuturi essent: abundantes onustosque praeda
magis parta frui velle, quam acquirenda fatigari. Non idem sibi et militibus animi esse: se totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum suorum primordio stare: militem, labore defatigatum, proximum quemque fructum finito tandem periculo expetere.

Vicit ergo cupido rationem, et ad contionem vocatis 8
militibus, ad hunc maxime modum disseruit: *Non ignoro, milites, multa, quae terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies de industria esse iactata: sed non est improvisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim et Euphraten, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persae. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, maiora sunt vero. Nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis. Modo quis beluas offerentes moe-*

§. 9. *et eruere*] Infra c. 12, 8 *inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris et cubilibus suis expetis.*

avaritia gloriae] Non potuit melius quam translatione exprimere fervorem illum animi inexhaustum, quo Alexander agebatur. Horatianum in Arte poet. 324 de Graecis dictum *nullius* rei *praeter laudem avaris* non puto Curtio esse obversatum.

§. 10. *dubitabat an*] Usus est hac constructione non eo sensu, quo aureae aetatis scriptores semper, argenteae non raro usi sunt, ut ad affirmationem propius accedat, quam ad negationem. Sed sic etiam V, 24, 7 et VII, 30, 18.

quam acquirenda fatigari] Mss. *ad quaerenda*, mendose. Paulo post *se* post *esse* item in omnibus nostris et Snakenburgii libris excidit.

§. 11. *expetere*] Flor. DFGI Pal. 1 *expectare*, quod Modius secutus est, male, ut apparet.

Cap. 8, §. 12. *Vicit ergo*] Unus Bern. A *evicit*. Tum pro *terrere vos* Flor. EH Bern. B Voss. 2 *terrere nos*. Item post *nobis* Flor. EH.

§. 13. *Tigrim et Euphraten*] Quod Snak. edidit *Tigrin et Euphraten*, uti solet, in mss. suis esse dicit, sed *Euphraten* quidem (pro vulg. *Euphratem*) multi e nostris Bern. A et Flor.. ADFGHI, *Tigrin* vero unus tantum Flor. G.

nium speciem, quis Hydaspen amnem, quis cetera auditu maiora, quam vero, sustinere posse credebat? Olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent. Creditisne 16 *elephantorum greges maiores esse, quam usquam armentorum sunt? cum et rarum sit animal, nec facile capiatur, multoque difficilius mitigetur. Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit.* 17 *Nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat: quippe angustis ripis coercita, et in angustiorem alveum elisa, torrentes aquas invehunt; contra spatio alvei segnior cursus est. Praeterea in ripa omne periculum est,* 18 *ubi applicantes navigia hostis expectat. Ita quantumcunque flumen intervenit, idem futurum discrimen est evadentium in terram.*

Sed omnia ista vera esse fingamus. Utrumne vos ma- 19 *gnitudo beluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elephantos, praesens habemus exemplum: in suos vehementius, quam in nos incurrerunt; tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest, totidem sint,* 20 *quos Porus habuit, an tria milia? cum uno aut altero vulneratis ceteros in fugam declinari videamus. Deinde paucos quoque incommode regunt: congregata vero tot milia ipsa se eli-* 21 *dunt, ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contempsi, ut cum haberem, ipse non opposuerim, satis gnarus, plus suis, quam*

§. 15. *sustinere posse credebat*] *Nos* cogitando suppleas ni *sustineri* scribere velis.

§. 17. *in angustiorem alveum*] Proxime praecesserat *angustis ripis coërcita*, sed ea tamen idonea causa esse Modio non debuit, cur *artiorem* h. l. corrigeret.

spatio alvei] Sic Aldus recte, sed de coniectura, cum principes *statio*, nec ullum codicem ms. novi in quo non aut hoc aut *stacio* sit praeter Flor. D et de quo silet Snakenb. Voss. 1.

Cap. 9, §. 20. *declinari videamus*] Edd. vett. *declinari videmus*, quod est nostrorum in uno Flor. B praetereaque in Voss. 2, in ceteris enim verbum extremum prorsus omittitur. Omittendi verbi opportunitas in eo est, quod sequitur simile verbum *deinde*. (Sic enim omnes libri mss. non *dein* aut *inde*.) Coniunctivum Iunius recte coniectura restituit. Sed recentiores *declinare* minus recte propagarunt. Nam passivam vocem habet quicquid est codicum, eaque satis commode explicari potest. Certe *declinatus* participio dicitur qui declinavit aliquo.

§. 21. *paucos quoque incommode*] Codd. et edd. Aldina vetustiores *et incommode*, cui quid faciam nescio.

ipsa se elidunt] Maluit Freinsh. *elident*, et quidni malit, modo ne vulg. corrigatur, quae sententiam habet non diversam.

22 *hostibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet! Cum paucis enim pugnare soliti estis, et*
23 *nunc primum inconditam sustinebitis turbam. Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis, et Cilicia inundata cruore Persarum, et Arbela, cuius campi devi-*
24 *ctorum a nobis ossibus strati sunt. Sero hostium legiones numerare coepistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Cum per Hellespontum navigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit: nunc nos Scythae sequuntur, Bactriana auxilia praesto sunt, Dahae Sogdianique inter nos militant.*

25 *Nec tamen illi turbae confido. Vestras manus intueor,* 10 *vestram virtutem rerum, quas gesturus sum, vadem praedemque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec mei nec hostium exercitus numero: vos modo animos mihi plenos alacri-*
26 *tatis ac fiduciae adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus: pervenimus ad solis ortum et Oceanum, nisi obstat ignavia: inde victores, perdomito fine terrarum, revertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolae faciunt, maturos fructus per inertiam amittere e manibus. Maiora sunt periculis praemia: dives eadem et imbellis est regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni estis, qui opes, quas illud mare litoribus invehit, referatis in patriam, digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis. Per vos gloriamque vestram, qua humanum fasti-*

§. 23. *inundata cruore Persarum*] Mss. *fervore*, praeter Flor. G et (si licet fidere silentio) Voss. 2. Vetus igitur mendum est.

Cap. 10, §. 25. *nec mei, nec hostium exercitus numero*] Sic mss. quorum notitiam paulo accuratiorem habemus, omnes, nisi quod in Leid. traditur esse *meorum*. Veteres edd. *meminero*, non ob aliam causam puto quam ut genitivus *mei* inde penderet. Quem scopulum removens Modius denique *meos* et *numeravero* correxit. Cf. ad IV, 45, 8.

§. 26. *pervenimus — ad Oceanum, nisi*] Recte videtur Freinsh. praeteritum explicuisse, pro futuro positum, quasi dicat: quae in me fuerunt, longe maximam partem perfeci, iamque in eo sumus, ut consilium assequamur, nisi ignavia obstat. *Obstet* autem Flor. CEH Bern. B Voss. 2 non placet.

§. 28. *Per vos gloriamque vestram*] Constat iam fere inter omnes de hac obtestandi ratione, utique ex ipsis his libris Curtianis, quorum in lib. V c. 23 est: *Per ego vos decora maiorum — oro et obtestor*, et omisso rogandi verbo lib. IV, 49. *Per ego vos deos patrios — vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum.* Nimirum *vos* sive *te* ex orandi verbo sive expresso sive omisso pendere, et verborum metathesin esse, usu sancitam. Corrigendus igitur est hic locus, et *que* delendum, ut *per gloriam vestram* iungantur, *vos* interiectum appareat, ab

gium exceditis, perque et mea in vos et in me vestra merita, quibus invicti contendimus, oro quaesoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cetera vobis imperavi; hoc unum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis praecepi, quin primus me periculis obtulerim, qui saepe aciem clipeo meo texi, ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque Patrem, si invidia abfuerit, aequabo. Date hoc precibus meis, et tandem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestrae index? ubi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos, milites, nec agnosci video a vobis. Surdas iamdudum aures pulso: aversos animos et infractos excitare conor.

11 Cumque illi in terram demissis capitibus tacere perseverarent, *Nescio quid*, inquit, *in vos imprudens deliqui, quod*

oro quaesoque pendens. Sic statueret haud dubie I. Fr. Gronovius, nisi hic locus doctissimi hominis oculos fugisset, in accurata illa nota ad Liv. XXIX, 18, 9 prioris edit. (edit. Drak. tom. VII p. 187 sqq.) Nam qui hic illic similes leguntur, correcti sunt ab illo: Liv. XXIX, 18, 9 *quibus, per vos fidemque vestram, neque in Italia, neque in Africa quicquam rei gesseritis;* Liv., XL 9, 7 *per te patriumque nomen — ita me audias, precor, tamquam si* cet. Utroque loco delevit encliticam, et altero obsecutus est Drak., altero, cum idem se sentire profiteatur, laudatis notis suis ad Silium I, 658 et V, 82, non ausus est. Et recte hoc. Nam quod in omnibus sermonibus factum est, eius rei habemus hoc etiam in Romano exemplum, ut origine alicuius dicendi generis omissa homines paulatim assuefiant ad id quod ad aurium oculorumque sensum accidat. Nam cum initio haud dubie cum metathesi sic diceretur *per ego vos deos oro*, omisso nominativo videbatur *vos* ex praepositione *per* pendere, iamque dictum est *per vos deosque oro*. Hinc putamus factum esse ut aliquis per se ipsum rogaretur, nam factum hoc esse frustra Gronovius locis nonnullis veterum scriptorum aut corrigendis aut nova interpretatione vexandis negat, v. c. apud Sallust. Iug. c. 14 extr. *per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Rom. subvenite misero mihi* omnium fere codd. lectio est. Tamen Gronovius rationis suae tenax *per vos liberos* omisso *per* corrigit. At nocuit ea re concinnitati, quoniam repetitio oratoria non absolvitur nisi ter repetendo verbo. Idem Sallust. Histor. in fine orat. C. Cottae Cons. *Per vos igitur, Quirites, et gloriam maiorum tolerate adversa et consulite rei p.* Cf. etiam Ovidii lib. II. Amorum 16, 44. Martial. Epigr. II, 14, 17 quos locos idem Gronovius duriore explicatione suae sententiae favere iussit. Servabimus igitur h. l. *gloriamque*, quandoquidem in mss. nihil varietatis est, nisi quod Flor. B *per vos gloriam qua*, decepto nimirum librario similitudine vocularum *que* et *qua*, ut quae in medio essent omitteret.

invicti contendimus, i e. ut discerni nequeat, utri utros pluribus ac maioribus obstrinxerint. Heinsius corr. *invicem contendimus*, sed pingue istud est additamentum.

§. 29. *quin primus — obtulerim*] Haec est emendatio Aldi, mss. *qui primus — obtuli*, pauci tamen *quin*, Flor. ABG a pr. m. Bern. B (fort. Voss. 2). Sed nihil verius illa emendatione.

Cap. 11, §. 31. *in vos impr. deliqui*] Sic reliqui omnes praeter Flor. DFI Pal. 1

me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi videor esse.
32 *Nemo respondet, nemo saltem negat. Quos alloquor? quid autem postulo? Vestram gloriam et magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contendentium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? desertus, de-*
33 *stitutus sum, hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseverabo. Obiicite me fluminibus et beluis et illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam, qui desertum a vobis sequantur: Scythae Bactrianique erunt mecum, hostes paulo ante, nunc milites no-*
34 *stri. Mori praestat, quam precario imperatorem esse. Ite reduces domos; ite deserto rege ovantes. Ego hic a vobis despe-*
III. *ratae victoriae aut honestae morti locum inveniam.* Ne sic quidem ulli militum vox exprimi potuit. Expectabant, ut duces principesque ad regem perferrent, vulneribus et continuo labore militiae fatigatos non detrectare munia, sed sustinere non posse. Ceterum illi metu attoniti in terram
2 ora defixerant. Igitur primo fremitus sua sponte, deinde gemitus quoque oritur; paulatimque liberius dolor erigi coepit, manantibus lacrimis, adeo ut rex, ira in misericordiam versa, ne ipse quidem, quamquam cuperet, temperare oculis potuerit.

3 Tandem universa contione effusius flente, Coenus au-12 sus est, cunctanibus ceteris, propius tribunal accedere, si-

qui omittunt verba *in vos*, et unum Flor. H qui *imprudens in vos* alio ordine exhibet. Hoc tamen ordine etiam vulgo editi.

§. 32. *magnitudinem vindicamus*] Olim editi et mss. *indicamus*. Iunius primus *vindicamus* correxit, et reliqui consenserunt.

§. 33. *gentibus quarum*] *gent. quorum* omnes mss. praeter Flor. DEG et fort. Voss. 2.

§. 1. *Ne sic quidem*] Edd. vett. etiam Iun. et Mod. et codicum pars deterior, sed numero maior *nec sic quidem*, Flor. DEFGHI.

§. 2. *Igitur primo*] Editi *ergo*, sed contra codices. Similem dissensum supra invenimus VIII, 43, 15. Tum *deinde quoque gemitus* Flor. DFGI et edit. Modiana.

liberius dolor erigi coepit] Non audeo Gebhardi coniecturam recipere *dolor egeri coepit*, quia codicum auctoritas adversatur et cogitari aliqua ratio potest, qua vulg. lectio defendatur. Nam cum *erigi* idem sit ac *se erigere*, dolor qui antea pressus erat, tum iam liberius videtur dici posse excitatus, prolatus. Vide Gronov. Obs. lib. II, cap. 21 pag. 303.

quamquam cuperet] Leid. Bern. A Flor. AB *cuperat*, Pal. 1 Flor. DFGI *cupierat*.

Cap. 12, §. 3. *Coenus ausus est*] Miro in vitio consensu codices et h. l. et inseqq. capp. *Poenus* sive *Ponus*: correxit Aldus.

gnificans se loqui velle. Quem ut videre milites detrahen- 4
tem galeam capiti, (ita enim regem alloqui mos est,) hortari
coeperunt, ut causam exercitus ageret. Tum Coenus, *Dii* 5
prohibeant, inquit, *a nobis impias mentes; et profecto prohibent.*
Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire quo iusseris, pu-
gnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum
nomen. Proinde si perseveras, inermes quoque et nudi et ex-
sangues, utcunque tibi cordi est, sequimur, vel antecedimus.
Sed si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum ne- 6
cessitate ultima expressas, praebe, quaeso, propitias aures impe-
rium atque auspicium tuum constantissime secutis, et quocunque
pergis secuturis. Vicisti, rex, magnitudine rerum non hostes 7
modo, sed etiam milites. Quicquid mortalitas capere poterat,
implevimus. Emensis maria terrasque melius nobis, quam in-
colis, omnia nota sunt. Paene in ultimo mundi fine consisti- 8
mus. In alium orbem paras ire, et Indiam quaeris Indis
quoque ignotam: inter feras serpentesque degentes eruere ex
latebris et cubilibus suis expetis, ut plura, quam sol videt, vi-
ctoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior 9
nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit, nostra vis
iam in fine est. Intuere corpora exsanguia, tot perfossa vul- 10
neribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt: iam
arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica
subvehi non potest. In externum degeneravimus cultum. Quoto 11
cuique lorica est? quis equum habet? iube quaeri, quam mul-
tos servi ipsorum persecuti sint, quid cuique supersit ex praeda.
Omnium victores omnium inopes sumus. Nec luxuria labora-
mus, sed bello instrumenta belli consumpsimus. Hunc tu pul- 12
cherrimum exercitum nudum obiicies beluis? quarum ut multi-

§. 6. *propitias*] *propitius* Flor. DIEH Bern. B Voss. 2.

§. 7. *sed etiam milites*] Supplendum *tuos*, addi volebat Heinsius.

§. 9. *in incremento erit*] Plerique libri omittunt *in*, sed extat in Flor. AB. Flor. EH Bern. B Voss. 2 *in certando*. Etiam *enim* omittitur in Flor. CDEH Bern. B Voss. 2.

iam in fine est] Hoc verba ordine repraesentantur in codd. nostris omnibus et Leid. Voss. 1 quos commemorat Snak. Vulgo praeter edit. Mod. *in fine iam est*.

§. 11. *servi ipsorum persecuti sint*] Correxi *sint*, quoniam sequitur coniunctivus *supersit*. Non favent libri mss. sed *sunt* tamen ferri nequit. Cf. ad VIII, 25, 15.

tudinem augeant de industria barbari, magnum tamen esse
13 *numerum etiam ex mendacio intelligo. Quodsi adhuc penetrare in Indiam certum est, regio a Meridie minus vasta est, qua subacta licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis*
14 *terminum voluit esse natura. Cur circuitu petis gloriam, quae ad manum posita est? hic quoque occurrit Oceanus. Nisi ma-*
15 *vis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. Haec tecum, quam sine te cum his, loqui malui, non uti inirem circumstantis exercitus gratiam, sed ut vocem loquentium potius, quam gemitum murmurantium audires.*

16 Ut finem orationi Coenus imposuit, clamor undique13
cum ploratu oritur, regem patrem, dominum, confusis appel-
17 tium vocibus. Iamque et alii duces, praecipueque seniores, quis ob aetatem et excusatio honestior erat, et auctoritas
18 maior, eadem precabantur. Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. Itaque inops consilii desiluit e tribunali, claudique regiam iussit, omnibus praeter assue-
19 tos adire prohibitis. Biduum irae datum est: tertio die processit, erigique XII aras ex quadrato saxo, monumentum expeditionis suae, munimenta quoque castrorum iussit extendi, cubiliaque amplioris formae, quam pro corporum habitu, relinqui, ut speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum praeparans.

20 Hinc repetens quae emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra. Ibi forte Coenus morbo extinctus est. Cuius morte ingemuit quidem rex, adiecit tamen, propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tanquam solus Mace-

§. 14. *circuitu petis gloriam*] Editur *circumitu*, sed nostri omnes sine *m*. Tum *quae ad manum posita est* omnes mss. nec quicquam causae est cur Modius participium delere voluerit.

§. 15. *quam gemitum*] Eieci *ut* quod vulgo additur postulantibus Leid. Voss. 1 nostrisque omnibus praeter Flor. HI.

Cap. 13, §. 19. *processit erigique*] Hoc emendarat Iunius rectissime; nam mss. *e regia qui*, Flor. H Bern. B Voss. 2 *e regia quo*, unus Flor. E *processit quo*. Tum pro *monumentum* in Bern. A Flor. ABC Leid. Voss. 1 legitur *munimentum*, *monimentum* in ceteris praeter H.

§. 20. *ad flumen Acesinem*] Snakenb. libri mss. *Acestimem*, Bern. A Flor. A *acaestimem*, B *accestimem*, C *accesti inde*, DI *acestinen*, E *accesti*, F Pal. 1 *acestinem*, G *acesthinen*, H *accestim*, Bern. B *accestin*.

ingemuit quidem rex] Sic omnes mss. nostri quamquam Snak. de suis unum tantum Voss. 2 auctorem addit, editi *rex quidem*, minus recte.

doniam visurus esset. Iam in aqua classis, quam aedificari 21
iusserat, stabat. Inter haec Memnon ex Thracia in supplementum equitum v milia, praeter eos ab Harpalo peditum septem milia adduxerat, armaque xxv milia auro et argento caelata pertulerat, quis distributis vetera cremari iussit. Mille navigiis aditurus Oceanum, discordesque et vetera 22
odia retractantes Porum et Taxilen, Indiae reges, firmatae per affinitatem gratiae relinquit in suis regnis, summo in aedificanda classe amborum studio usus. Oppida quoque 23
duo condidit, quorum alterum Nicaeam appellavit, alterum Bucephalam, equi, quem amiserat, memoriae ac nomini dedicans urbem. Elephantis deinde et impedimentis terra 24
sequi iussis, secundo amne defluxit, quadraginta ferme stadia

§. 21. *Inter haec Memnon*] Mss. *in hac*, illud recte emendaverat Aldus. Parum certa est auctoritas cur a vulgata discedamus, sed manet tamen dubitatio collatis quae Diodor. XVII, 62 narrat. Nam illic *Memnon* Thraciae praefectus traditur ab Alexandro defecisse, eamque ob causam cum Antipatro bellum gessisse. Verum cum mox pacem fecerit, potest idem cum supplementis ad regem missus esse, innoxius fortasse et purgatus. Tum *equitum* v omissa nota numeri millenarii codices optimi, alii II, i. e. duo milia, unus I *sex millia*, ut vulgo editur. Pro *Harpalo* in aliis est *Harpelo*, in aliis *arpelo*, *arpello*, *carbelo*. Verum nomen exhibet Flor. B.

§. 22. *discordesque et*] Rara etiam apud Curtium elegantia, ut *que — et* pro *et — et* dicatur, sed cuius exemplum est VIII, 15, 15 *Macedo gregarius miles seque et arma sustentans*. Deletum est *que* ab Aldo primo et secuti eum sunt reliqui. Sed legitur in mss. omnibus praeter Flor. EH Bern. B fortasse Voss. 2. *Taxilen* pro vulg. *Taxilem* exhibet Snakenb. editio, et Flor. AFG cum Bern. A.

firmatae per affinitatem gratiae relinquit] Paene invitus discessi a vulgari lectione *firmata per aff. gratia reliquit*, sed parendum fuit quinque codicibus optimis, quorum suffragiis, ubi aliqua explicandi ratio inveniri potest, cedere debemus, Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1, quibus accedunt Flor. CG, tantum quod in G *reliquit* extat. *Relinquere aliquos gratiae restitutae* non inepte dici videtur, ubi restituta inter aliquos gratia longius discedis, nec iam ipse consilio et auctoritate illorum discordias componere potes.

§. 23. *Oppida quoque duo condidit*] Habet hoc quoque Curtius cum Diodoro et utriusque fonte commune, quod hoc demum loco de urbium pridem extructarum (vide huius libri initium) nominibus dicunt. Nicaeam alteram omnes appellant, alteram Diodorus *Βουκεφάλαν*, Curtius in editis *Bucephalum* aut *Bucephalon* apud Iunium et Modium et vulgo, in mss. primae classis *Bucephalum*, in altera classe *Bucephalim*, sed debet et ipse appellare *Bucephalam*, quemadmodum est in Flor. EH Bern. B. Arrianus *τὰ Βουκέφαλα*, Strabo *Βουκεφαλίαν*, Stephanus Byz. *Βουκεφάλειαν* dicunt.

§. 24. *secundo amne*, Acesine, ut debes ex Curtii descriptione putare; Strabo et Arrianus contra Alexandrum usque ad Hydaspen et navalia ibi constituta (vide supra IX, 1) redisse, et Hydaspem in Acesinem defluxisse tradunt. Sed cum Curtio facit Diodorus, poterisque eum dissensum ita solvere ut in utroque amne naves constructas dicas.

singulis diebus procedens, ut opportunis locis exponi subinde copiae possent.

IV. Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis 14
2 Acesini committitur. Hinc decurrit in fines Siborum. Hi
de exercitu Herculis maiores suos esse memorant: aegros
3 relictos esse, cepisse sedem, quam ipsi obtinebant. Pelles
ferarum pro veste, clavae tela erant; multaque, etiam cum
Graeci mores exolevissent, stirpis ostendebant vestigia.
4 Hinc, excensione facta, CC et L stadia excessit, depopula-
5 tusque regionem, oppidum, caput eius, corona cepit. XL peditum milia gens in ripa fluminum opposuerat: quae amne superato in fugam compulit, inclusosque moenibus expugnat.

Cap. 14, §. 2. *in fines Siborum*] *Siborum* correxi pro vulgato *Sobiorum*, cum sit in mss. *Soborum*, et apud Diodorum c. 96 et Orosium lib. III, 19 Σίβοι appellentur. Vide Wesselingium ad Diodori locum. Strabo et Arrianus in Indicis Σίβας dicunt, sed de Sivaitis sive dei Sivae cultoribus sermonem esse non inepta est recentiorum historicorum opinio.

esse memorant] Editiones praeter Modianam *commemorant*, mss. in eo quod supra expressum est, consentiunt.

§. 3. *clavae tela erant*] Editi *pro telo erant* ad similitudinem eorum quae praecesserunt, sed orationem variari solere non semel vidimus. Consentiunt autem mss. omnes in eo quod nos edidimus, nisi quod turpiter peccantes Flor. B *clavate erant*, C *clavaverant*, et corrigentes Flor. EH Bern. B *pro armis clava erat.*

§. 4. *Hinc, excensione facta*] *Hinc* edd. vett. et codices Snakenb. et Flor. praeter B omnes, recentius editi *hic*. Coniunge *hinc* cum *processit*, et intellige de finibus Siborum, nam ipsos quidem Sibos amicitiae nomen commemorantes Alexander liberos dimisit. Pro *excensione* in codd. Leid. Pal. 1 Flor. CDFGI est *excessione*, in Flor. EH Bern. B Voss. 2 *extensione*. Sed restituenda etiam est codicum fere omnium et edd. principum lectio *excessit*, quae sepulta iacuit ex quo Aldus *processit* secundum codices Flor. DI edidit. Neque enim *processit* exercitus, sed de via egressus est, quod est *excedere*, sicut *excessus* apud rhetores dicebatur egressio, vide Quintil. Inst. III, 9, 4.

§. 5. XL *peditum milia gens*] Additur in codd. Flor. DI et in editionibus recentioribus inde a Modiana *alia gens*, sed etiamsi a paucitate codicum discedas, tamen comparato Diodoro cum Curtio, intelliges, de una gente Agalassensium dici. Neque enim Diodorus inter Sibos et Ἀγαλασσεῖς aliam ullam habet vel gentem vel urbem. Restituenda igitur, deleta vocula *alia*, lectio vetus, nam quominus Wesselingii ad Diodor. c. 96 coniecturam probem, pro eo quod est *alia gens* scribendum esse *Agalassenses* suspicantis, illud impedit, quod *alia* non ortum videtur, nisi ex ingenio correctoris. Itaque sic potius locum explicari velim ut Curtium re semel in universum indicata iam ad eandem accuratius demonstrandam accedere statuamus.

quae — in fugam compulit, inclusosque] Sic Curtius haud dubie scripsit, si fides est codicibus habenda, (nostri enim et Snak. omnes *quae*, unus Pal. 1 *quo* traditur habere) non sane ad vulgarem rationem, ut primum *milia quae* coniungeret, deinde ad sensum, uti dicunt, construeret *et inclusos expugnat*. Neque tamen puto hoc, ut a vulgari grammatica, sic a latinitate quoque abhorrere, dixique ea de re in Gramm. lat. §. 368 exemplo usus nostri scriptoris IV, 19, 17. Certe quod editur *quam in fugam compulit*, cum sensum habeat

Puberes interfecti sunt, ceteri venierunt. Alteram deinde 6
urbem expugnare adortus, magnaque vi defendentium pulsus, multos Macedonum amisit. Sed cum in obsidione perseverasset, oppidani, desperata salute, ignem subiecere tectis, se quoque ac liberos coniugesque incendio cremant. Quod cum ipsi augerent, hostes extinguerent, nova forma 7
pugnae erat. Delebant incolae urbem; hostes defendebant: adeo etiam naturae iura bellum in contrarium mutat. Arx 8
erat oppidi intacta, in qua praesidium dereliquit, ipse navigiis circumvectus arcem.

15 Quippe III flumina tota India praeter Gangem maxima munimento arcis applicant undas. A Septentrione Indus alluit, a Meridie Acesines Hydaspi confunditur. Ceterum 9

incommodum, tum librorum mss. auctoritate prorsus eget.

§. 6. *ignem subiecere*] Nostri omnes praeter Flor. DGI *subicere*. Snak. unum Voss. I citat in quo sit *subicere*, sed aegre credo. Nec tamen vulgatam muto.

§. 7. *hostes defendebant*] Sic primus edidit Modius, cum in prioribus fuisset *extinguebant*. Quod quamvis aperte falsum sit, nititur tamen mss. fide paene omnium. Nam praeter Modianos, quos illum esse secutum, verisimile fit, unus Flor. A exhibet, quod nunc editur. Memorabile etiam pro eo quod est *delebant* in Flor. DIEH Bern. B *urebant*, in Voss. 2 *adolebant*, in Flor. B a m. sec. *incendebant* esse, quae omnia a correctoribus profecta puto, qui oppositionem verbo *extinguebant* quaererent.

naturae iura] Modius se repperisse *naturae vera* contendit: idem Gronovius in diatriba ad Statii Silvas c. 61 in duobus, quorum ipse haberet excerpta, exhiberi scripsit; neque tamen aut Snak. in suis repperit aut ego quicquam e Flor. ac Bern. enotatum. Nec si inventum esset reciperem, cum mihi non persuadeam, quamvis *verum est* saepissime pro *aequum est* dicatur, eodem pacto etiam *naturae vera* pro iis quae natura postulet, dici. Ceterum *mutant* male pro *mutat* Leid. et nostri omnes praeter Flor. D. Nimirum quod orationis subiectum esset librarios fefellit.

§. 8. *ipse navigiis circumvectus arcem*] Edd. *navigio — circumvectus est*, sed Snakenburgii et nostri omnes praeter Flor. EH Bern. B pluralem numerum habent, nec *est* nisi in iisdem et Voss. 2 et Flor. C (in quo tamen *circumventus est*) legitur. Curtius nihil aliud dicit nisi Alexandrum navigationem recepta arce continuasse, non igitur uno *navigio*, sed classe. Secundum Diodorum c. 97 arx et urbs illa aliquanto longius a confluentibus trium fluminum aberat.

Cap. 15, §. 8. *praeter Gangem*] Bern. A Flor. DGI *Gangen*.

munimento arcis applicant undas] Complures codices, Voss. 2 Pal. 1 Bern. B Flor. omnes praeter AB *munimenta*, sicut Modius e suis membranis edidit. Nemini placuit, nam si sic deberet intelligi, ut Modius voluit, verba aliter puto fuisse ordinanda, v. c. *undas, munimenta arcis*, (s. *arci* ut est in Flor. FG) *applicant*. *Munimento* codicum mss. causa certum est et explicatur muniendae arci, sive ad arcem muniendam, non ut Acidalius voluit, munitioni arcis, ut pro *munimentis* positum esset.

Acesines] Libri partim *hacesines*, partim *acestines*, sunt tamen et boni et haud pauci qui verum nomen exhibent. Ceterum conferendus est cum Curtio Diodorus c. 97 cuius ope illius errorem emendes, quod Acesinem et Hydaspen dixit, cum de Indi et Acesinis dudum Hydaspe aucti confluentibus dicere et vellet et deberet. Cf. etiam VIII, 10. Sed causa erroris ex eo esse videtur, quod alii auctores, quos Arrianus lib. VI,

amnium coetus maritimis similes fluctus movet; multoque ac turbido limo, quod aquarum concursu subinde turbatur, 10 iter, qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur. Itaque cum crebri fluctus se inveherent, et navium hinc proras, hinc latera pulsarent, subducere nautae vela coeperunt. Sed ministeria eorum hinc coetu, hinc praerapida celeritate 11 fluminum occupantur. In oculis omnium duo maiora navi-

c. 4 et 5 secutus est, eadem de impetu Acesinis et Hydaspis confluentium priusquam cum Indo miscerentur, tradiderunt. Inde etiam Oxydracae et Malli ab Arriano intra Hydaspen Acesine auctum et Hyarotim collocantur, quae gentes secundum Diodorum et Curtium longe magis ad Meridiem ponuntur. Vide Schmiederi notam ad h. l.

§. 9. *amnium coetus — movet*] Sic mss. nisi quod in multis solita diphthongorum confusione *cetus* legitur. Etiam edd. veteres *coetus* exhibent, cum in recentioribus *coitus* corrigatur. Sed exemplorum est abunde, quae probent, *coetum* dici pro eo, quod plerique hodie velint dicere *coitum*. Sic Gell. XIV, 1 *Stellarum coetus et discessiones*. Cf. etiam Conr. Schneiderum in Elem. L. L. p. 78 et quem laudat Vinetum ad Ausonium Epigr. 71, 1. Ceterum *movent* adhuc editiones numero plurali, contra mss.

qua meant navigia] Sic vulgo inde a Modio, sed mss. *meat*. Et Flor. quidem AB *qua meat navigia*, Bern. A Leid. Voss. 1 edit. pr. *qua meat navigiis*, reliqui Flor. et Bern. B Voss. 2 *quo meat navigiis*. Itaque Aldus *qua meant navigiis*, Iunius *qua manet navigiis* dederant. Heinsius *qua meatur navigiis* scribi maluit. Equidem vulgatam optimis Flor. satis defensam puto. Sed Modius *quod* (post *limo*) sustulit, *iterque* scripsit, qua correctione quid voluerit ignoro. Ego *quod* pro *quia* positum accipio, adiectumque puto ut cur *turbidus* dicatur limus, explicetur.

§. 10. *subducere nautae vela coeperunt*] Modium *vela* omittentem recentiores editores secuti sunt, suffragantibus paucis codicibus, Flor. quidem DFI et quod miror, nec facile credo in dissensu reliquorum eiusdem familiae, Bern. A. Neque recte illum fecisse censeo, nam quamvis *subduci naves* dicantur, cum in terram et siccum littus sursum trahuntur, reficiendi plerumque causa, hoc tamen neque nautae facere possunt de navibus, nec omnino ratio erat faciendi, cum superandi certe essent vertices. Non possunt autem tuto superari, nisi velis contractis, aut deductis sive subductis, quoniam subvertuntur naves non tam gurgitum ipsorum vi, quam contrario impetu et ventorum velis collectorum et fluminum. Itaque *vela* restituimus, nam de latinitate locutionis nemo certe dubitare potest, cum sit scriptoris elegantissimi de bello Alex. ubi legitur c. 45 *celeriter vela subduci, demittique antennas iubet*.

hinc coetu] Moneo in mss. esse *cetu*, ab editoribus autem recentioribus (Iunio primo) editum esse *metu* contra librorum auctoritatem, nisi forte illud in Voss. 1 fuit, de cuius scriptura nihil disertis verbis Snakenburg. notavit. Non puto *metu* ferri posse, nam deest genitivus, cuius metus fuerit, nec *occupantur* metu consilia, sed impediuntur, ubi nihil eorum agis quae opus sint. Verbum *coetu* facile coniungitur cum *fluminum*, sed explicationem haerere fateor, qua ratione ab una parte *coetus*, ab altera *rapiditas fluminum* dici possit occupasse nautarum ministeria. Ego olim putavi legendum *vento*. Cogitent navigandi peritiores. Interim restitui quod in libris mss. est.

§. 11. *In oculis omnium duo maiora navigia*] Secutus sum Acidalii sententiam, vocem *omnium* post *in oculis* ponendam esse, non sicut adhuc editum est post *maiora*. Nam *maiora omnium navigia*, comparativo pro superlativo posito, nemo mihi persuadebit a quoquam bonae latinitatis auctore dici; (cf. ea de re Freinsh. indicem s. v. magnus) contra *in oculis* videtur genitivum additum postulare. In mss. aut eodem ordine verba collocantur, quo in vulga-

gia submersa sunt; leviora, cum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt. Ipse rex in rapidissimos vertices incidit: quibus intorta navis obliqua et gubernaculi impatiens agebatur. Iam vestem detraxerat corpori, 12
proiecturus semet in flumen, amicique, ut exciperent eum, haud procul nabant, apparebatque anceps periculum tam nataturi, quam navigare perseverantis. Ergo ingenti certa- 13
mine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat admota est, ut fluctus, qui se invehebant, everberarentur. Findi crederes undas, et retro gurgites cedere. Quibus 14
tandem navis erepta, non tamen ripae applicatur, sed in proximum vadum illiditur. Cum amni bellum fuisse crederes. Ergo aris pro numero fluminum positis, sacrificioque facto, xxx stadia processit.

16 Inde ventum est in regionem Oxydracarum Mallorum- 15
que, quos alias bellare inter se solitos tunc periculi societas iunxerat. Nonaginta milia iuniorum peditum in armis erant, praeter hos equitum x milia, nongentaeque quadrigae. At 16
Macedones, qui omni discrimine iam defunctos se esse crediderant, postquam integrum bellum cum ferocissimis Indiae gentibus superesse cognoverunt, improviso metu territi, rursus seditiosis vocibus regem increpare coeperunt: Gan- 17

tis editionibus, aut *omnium* prorsus deest, id quod in Flor. DFHI factum est, item in Bern. B Voss. 2 Pal. 1. Hoc Modius secutus erat in editione.

rapidissimos vertices] Edd. *vortices*. Vide supra ad VIII, 45 extr.

§. 13. *qui se invehebant*] Sic primus Aldus edidit, antiquiores enim *qui in se vehebantur*. Codd. plerique *qui in se vehebant*, sed sunt tamen qui cum Aldo consentiant Flor.DFGI. Heinsius correxit *insaeviebant*, sententia nimis lata. Sed iidem tres libri *findere*, Flor. F *scindere*, male. Tum *ripae applicatur* mss. omnes, editi *applicabatur*.

§. 14. *cum amni*] Rariorem casus ablativi formam h. l. optimi codices Leid. Voss. 1 Flor. AB praebent, quorum auctoritate tuto recipi potuit. Cf. ad IV, 34 pr.

Cap. 16, §. 15. *in regionem Oxydracarum*] Sic primus Aldus. Nam mss. ubique *Sudracarum*. Videtur hoc antiquissimum mendum esse, nam etiam Diodori codices simile quid exhibent στρατεύσας ἐπὶ Συραχούσας. Oxydracarum tamen verum i. e. Graecum nomen Arrianus, Strabo, Orosius, Philostratus servarunt.

Nonaginta milia] Mss. et veteres edd. *novem milia* sive VIIII partim etiam (Pal. 1 Flor. D) una lineola minus VIII. Itaque cum Diodorus πλείους τῶν ὀκτακισμυρίων numeret, poterat fortasse apud Curtium *octoginta milia* scribi, nisi etiam in sequentibus varietas aliqua in numeris esset: Diodorus enim septingentos tantum currus habet, Curtius nongentos.

§. 17. *Gangen amnem*] *Gangen* h. l.

gen amnem, et quae ultra essent, coactum transmittere, non tamen finisse, sed mutasse bellum. Indomitis gentibus se obiectos, ut sanguine suo aperirent ei Oceanum. Trahi extra sidera et solem, cogique adire, quae mortalium oculis natura subduxerit. Novis identidem armis novos hostes existere. Quos ut omnes fundant fugentque, quod praemium ipsos manere? caliginem ac tenebras et perpetuam noctem profundo incubantem mari, repletum immanium beluarum gregibus fretum, immobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit.

Rex non sua, sed militum sollicitudine anxius, contione advocata, docet, imbelles esse, quos metuant. Nihil deinde praeter has gentes obstare, quominus terrarum spatia emensi ad finem simul mundi laborumque perveniant. Cessisse illis metuentibus Gangen et multitudinem nationum, quae ultra amnem essent: declinasse iter eo, ubi par gloria, minus periculum esset. Iam prospicere se Oceanum, iam perflare ad ipsos auram maris: ne inviderent sibi laudem, quam peteret. Herculis et Liberi Patris terminos transituros, illos regi suo, parvo impendio, immortalitatem famae daturos. Paterentur se ex India redire, non fugere.

Omnis multitudo, et maxime militaris, mobili impetu17

et paulo post dedimus ex Bern. A Flor. AI ad Snakenb. edit. accedentibus. Sed Glareani coniecturam *coactum* pro lectione omnium codd. *coactos* auctore Freinshemio recepimus, nimirum ut *transmittere* intelligatur *omittere*, cuius significationis satis multa et idonea exempla huius et insequentis aetatis in lexicis extant. Nam alia quidem ratione sententia expediri nequit.

§. 18. *natura subduxerit*] Coniunctivum modum ratio grammatica postulat, ideoque recepi vel refragantibus libris mss. in quibus exhibetur *subduxerat*. *Novis armis* ipsorum explica, cum ipsi semper aggressores sint.

profundo incubantem mari] Extremam hanc vocem Modius delevit, quamvis in omnibus mss. esset, acumine in odorandis scholiis abusus. Nam etsi poëtae *profundum* saepe pro mari dicunt, quid impediet quominus Curtius *profundum mare* sicut optimi prosae auctores dixerit? De verbo *incubare* recte admonuit Acidalius Vergiliani illius e primo Aen. vs. 93 *ponto nox incubat atra*. Ceterum *perpetua nocte* Leid. Voss. 1 Bern. A Pal. 1 Flor. AB mendose omissa *m* litera, mox *egregium* pro *gregibus* Pal. 1 Flor. DG.

§. 19. *mundi laborumque*] Bern. A Voss. 1 Flor. AC *laboremque*, Flor. B *laborem*, mendose confusa terminatione *-um* et *-em*. Leid. *laborisque*.

§. 21. *transituros illos*] Sic mss. omnes, qua lectione deserta cur Modius ediderit *transituro*, Acidalius, Freinshemius, Heinsius voluerint *transiturus*, quod cum praegresso *peteret* coniungatur, prorsus me non intelligere fateor.

Cap. 17, §. 22. *mobili impetu effertur*]

effertur. Ita seditionis non remedia quam principia maiora sunt. Non alias tam alacer clamor ab exercitu est redditus, 23
iubentium, duceret diis secundis, aequaretque gloria, quos aemularetur. Laetus his acclamationibus ad hostes protinus castra movet. Validissimae Indorum gentes erant, et bel- 24
lum impigre parabant; ducemque ex natione Oxydracarum spectatae virtutis elegerant, qui sub radicibus montis castra posuit, lateque ignes, ut speciem multitudinis augeret, ostendit, clamore quoque ac sui moris ululatu identidem acquiescentes Macedonas frustra terrere conatus. Iam lux appe- 25
tebat, cum rex fiduciae ac spei plenus alacres milites arma capere, et exire in aciem iubet. Sed, haud traditur metune, an oborta seditione inter ipsos, subito profugerunt barbari; certe avios montes et impeditos occupaverunt: quorum 26
agmen rex frustra persecutus, impedimenta cepit.

18 Perventum deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud maiore fiducia moenium, quam armorum. Iam admovebat rex, cum vates monere 27

Edit. pr. *effertur*, Aldus et reliqui *fertur*, codd. aut *adfertur* aut *affertur*. Patet Vindelinum verum vidisse.

§. 23. *aequaretque gloria*] Editi *et aequaret*, sed uti nos edidimus Mod. et mss. fere omnes, nisi quod in Flor. B *equaret gloriam* legitur et in A *aequaretque gloriam*.

§. 25. *lux appetebat*] Vulgo *apparebat*, sed illud mss. longe plures et meliores Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB alii; *apparebat* e nostris non habent nisi Flor. DFI et EH Bern. B, sed ita ut in his *lux* omittatur. Diximus supra ea de re ad VII, 33. Sed nescio an quis maluerit *nox appetebat*, ut coniungatur tempus cum illo quod antea dixerat protinus. Nam contio certe non habita erat noctu, sed adulto die.

haud traditur metune] Mss. *ut traditur*, quod defendere possis, si verba *metune an seditione oborta* subintellecto *incertum est* absolute accipias pro *sive — sive* dicta, ita fere: sed, ut traditur, barbari profugerunt, sive metu sive seditione oborta. Sed habet tamen haec ratio, quod displiceat, primum ob interiectum *ut traditur*, deinde quia illa constructio *ne — an* pro *sive — sive*, quamvis frequens sit apud Tacitum, apud Curtium tamen non invenitur. Eam ipsam ob causam nolim cum Modio et recentioribus editoribus istud *ut traditur* abiicere, tum etiam quia quod sequitur *certe* praecessisse aliquod indicat de quo dubitatum fuerit. Itaque cum Acidalio pro *ut* scribo *haud*, fortasse etiam *profugerint* corrigendum pro indicativo *profugerunt*. Ceterum *oborta seditione* mutato ordine verborum, ex mss. erat restituendum.

Cap. 18, §. 26. *in quod confugerant*] Plerique mss. *in quo*, alii et optimi quidem *id quo* Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1. Nostrorum unus Flor. B vulgatae favet. Sed *confugere* non alia ratione construitur nisi cum *ad* aut *in* cum accusativo. *Quo* et *quod* confund. VIII, 51, 43.

§. 27. *admovebat rex*] Singulare hoc est, sed ferendum tamen propter similitudinem simplicis verbi *movere*, quod saepe ita usurpatur ut *castra* vel *exercitum* subintelligi necesse sit. V, 35 in. *audito Dareum movisse ab Ecbatanis*. Vide Drak. ad Livii lib. X, c. 4 §. 9.

eum coepit, ne committeret, aut certe differret obsidionem:
28 vitae eius periculum ostendi. Rex Demophontem (is namque vates erat) intuens, *Si quis*, inquit, *te arti tuae intentum et exta spectantem sic interpellet, non dubitem, quin incom-*
29 *modus ac molestus videri tibi possit.* Et cum ille ita prorsus futurum respondisset, *Censesne*, inquit, *tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti, ullum esse maius impedimentum,*
30 *quam vatem superstitione captum?* Nec diutius quam respondit moratus, admoveri iubet scalas, cunctantibusque ceteris evadit in murum. Angusta muri corona erat: non pinnae sicut alibi fastigium eius distinxerant, sed perpetua lorica
31 obducta transitum saepserat. Itaque rex haerebat magis, quam stabat in margine, clipeo undique incidentia tela pro-
32 pulsans; nam ubique eminus ex turribus petebatur. Nec subire milites poterant, quia superne vi telorum obruebantur. Tandem magnitudinem periculi pudor vicit: quippe
33 cernebant, cunctatione sua dedi hostibus regem. Sed festinando morabantur auxilia. Nam dum pro se quisque certat evadere, oneravere scalas; quis non sufficientibus devoluti unicam spem regis fefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus, velut in solitudine destitutus.

Iamque laevam, qua clipeum ad ictus circumferebat, 19
lassaverat, clamantibus amicis, ut ad ipsos desiliret, sta-

ne committeret — obsidionem] Etiam hoc insolenter dictum *committere obsidionem* sic ut committere pugnam, sed excusatur tamen facile. Monuerat igitur aruspex ut aut prorsus obsidionem ne faceret, aut differret saltem.

§. 28. *Demophontem*] Sic libri nostri omnes, non *Demophoontem* ut Flor. Heinsii et Leid. nec *Demophonta* ut Voss. 1. Edd autem *Demophoonta*.

te arti tuae] Vocula *te* in omnibus nostris est, quae vulgo desideratur, sed iam est a Snakenb. adiecta. Tum *exta expectantem* multi codd. et fere optimi; *spectantem*, uti necesse videtur, e nostris soli Flor. FG.

§. 32. *magnitudinem periculi*] Mss. addita voce *telorum periculi*, duo etiam Flor. EH et Bern. B omissa voce *periculi*, hoc solum exhibent *magnitudinem telorum*. Nescias utrum *telorum* e superiori versu forte hic repetitum sit, an a librario interpretandi causa, quod illud periculum fuerit, additum. Certe Modius vel ante eum Iunius iure videtur eiecisse.

§. 33. *dum pro se quisque certat* Sequitur in apodosi pluralis numerus, ideoque Heinsius etiam in protasi *certant* volebat, parum caute, nam et *quisque* et *pro se quisque*, quamvis proximum verbum in numero singulari secum habeant, ad reliqua cogitatae multitudinis numerum perferunt. Cf. ad VI, 41, 2.

Cap. 19, §. 1. *laevam — lassaverat* poëtico et Ovidiano more dicit pro eo quod est: iam fatigata ac lassa eius erat laeva. Male *laxaverat* Bern. B et

bantque excepturi; cum ille rem ausus est incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriae, insignem. Namque in urbem hostium plenam praecipiti saltu semetipse immisit, cum vix sperare posset, dimicantem certe et non inultum esse moriturum: quippe antequam assurgeret, opprimi poterat et capi vivus. Sed forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet. Itaque stans init pugnam; et ne circumiri posset, fortuna providerat. Vetusta arbor, haud procul muro, ramos multa fronde vestitos, velut de industria regem protegentes, obiecerat; huius spatioso stipiti corpus, ne circumiri posset, applicuit, clipeo tela, quae ex adverso ingerebantur, excipiens. Nam cum unum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat propius accedere; missilia ramis plura, quam clipeo incidebant. Pugnabat pro rege primum celebrati nominis fama, deinde desperatio, magnum ad honeste moriendum incitamentum. Sed cum subinde hostis affluueret, iam ingentem vim telorum exceperat clipeo, iam galeam saxa perfregerant, iam continuo labore gravia genua succiderant. Itaque contemptim et incaute, qui proximi steterant, incurrerunt: e quibus duos gladio ita excepit, ut ante ipsum exanimes procumberent. Nec cuiquam deinde propius incessendi eum animus fuit: procul iacula sagittasque mittebant.

Ille ad omnes ictus expositus, aegre iam exceptum

laxaverant Flor. EFH sed iidem et Flor. C etiam *quae* pro *qua*.

cum ille rem ausus est] Vulgo sine *est;* itaque Freinsh. coniunctionem *namque* deleri iussit. At *est* in omnibus libris mss. extat, ut mirum sit cur editores tam diu desiderari passi sint.

§. 3. *init pugnam*] *iniit pugnam* Flor. EH Bern. B Voss. 2. Tum *possit* Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABC EG, et *circuiri* et hoc loco et seq. Flor. BDEFGI. Sed quae repetuntur paulo post *ne circumiri posset* Freinsh. et Heumannus a librariis male addita putant, de qua re in utramque partem disputari potest. Unus hoc altero loco Bern. B *circumveniri*.

§. 5. *cum unum procul*] Mss. omnes *cum comminus* (sive *cominus*) *unum*. Aldus id verbum primus eiecit, potuerat etiam *procul* eiicere, et *eminus* corrigere. Nam hoc videntur librarii voluisse.

§. 7. *labore gravia genua*] In mss. *gravata* legi annotavit Modius, quibuscum e meis non consentit nisi Flor. G; sed magis dubitari potest, an omnino istud verbum delendum sit, quoniam et ipsis literis parum a proximo discrepat, et abest a Pal. 1 Voss. 2 Flor. DEFHI.

Cap. 20, §. 9. *aegre iam exceptum*] Mirum in bonis libris Flor. AB Leid. Bern. A item in Flor. C Voss. 2 et in edd. principibus *non* addi: *non aegre*.

poplitibus corpus tuebatur; donec Indus duorum cubitorum sagittam (namque Indis, ut antea diximus, huius magnitudinis sagittae erant) ita excussit, ut per thoracem paulum
0 super latus dextrum infigeret. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma moribundo similis, adeoque resolutus, ut ne ad vellendum quidem telum suffi-
1 ceret dextera. Itaque ad expoliandum corpus, qui vulneraverat alacer gaudio accurrit. Quem ut iniicere corpori suo manus sensit, credo, ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem revocavit animum, et nudum hostis la-
2 tus subiecto mucrone hausit. Iacebant circa regem tria corpora, procul stupentibus ceteris: ille ut, antequam ultimus spiritus deficeret, dimicans iam extingueretur, clipeo
3 se allevare conatus est, et postquam ad connitendum nihil supererat virium, dextera impendentes ramos complexus temptabat assurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit, manu provocans hostes, si quis congredi auderet.

4 Tandem Peucestes per aliam oppidi partem, deturba-21
tis propugnatoribus, muri vestigia persequens regi superve-

Sed saepe hoc animadverti, nihil magis in promptu esse librariis addere quam istam particulam. Vide ad x, 12, 10.

· *infigeret* libri mss. fere omnes, Bernenses certe et Flor. ad unum omnes, nam quod in Flor. A *inficeret* legitur in vulgari genere vitiorum censendum est. Nec ulla causa est cur Modium potius sequamur, quam mstos et olim impressos. Ceterum *paululum* Flor. EGH Bern. B Voss. 2, *dexterum* Flor. BCI, omittunt Flor. EFH Bern. B Voss. 2.

§. 10. *ad vellendum — sufficeret dextera*] *Evellendum* Flor. DFGI et EH Bern. B Voss. 2. Tum vulgo *dextra*, sed illud Bern. A Flor. AB. Post *ad spoliandum* Modius et Flor. DFGI.

§. 12. *conatus est et postquam*] Abest *est* a Leid. Voss. 2 Bern. utroque Flor. ABCE, contra *et* omittitur in Flor. DI, et utraque vocula in Voss. 1; Pal. 1 et Flor. F *conatur et*, ut iam solus Flor. G vulgatae lectionis auctor relinquatur. Sed eam tamen veram iudico. Tum *dextera impend.* pro vulg. *dextra* ambo Bern. Flor. ABCE.

Cap. 21, §. 14. *Peucestes* et hoc loco et infra mss. omnes, Aldus edere coeperat *Peucestas*, quae forma nominis apud Arrianum est, cum apud Diodorum *Πευκέστης* sit.

muri vestigia persequens] Possunt intelligi vestigia muri ea, quae murus ipse fundamentis suis exhibebat (quasi dicas Germanice der Fuß der Mauer) anquirenti locum ubi rex dimicaret. Nam quominus cum Modio *regis* scribamus (quod legitur in Flor. DEFGHI Bern. B Voss. 2) hoc impedit, quod, cum alio loco in urbem penetrasset Peucestes, regis certe vestigia nulla sequi potuit. Heinsius *muri fastigia* correxit, satis ingeniose, sed parum apte ad ea quae praegressa sunt *per aliam oppidi partem*. Itaque nihil video superesse quam ut lectio vulgata nostra ratione explicetur.

nit. Quo conspecto Alexander, iam non vitae suae, sed 15
mortis solatium supervenisse ratus, clipeo fatigatum corpus
excepit. Subit inde Timaeus, et paulo post Leonnatus,
huic Aristonus supervenit. Indi quoque, cum intra moenia 16
regem esse comperissent, omissis ceteris, illuc concurrerunt,
urgebantque protegentes. Ex quibus Timaeus, multis ad-
verso corpore vulneribus acceptis, egregiaque edita pugna,
cecidit; Peucestes quoque tribus iaculis confossus non se 17
tamen scuto, sed regem tuebatur; Leonnatus, dum avide
ruentes barbaros summovet, cervice graviter icta semiani-
mis procubuit ante regis pedes. Iam et Peucestes vulneri- 18
bus fatigatus summiserat clipeum: in Aristono spes ultima
haerebat. Hic quoque graviter saucius tantam vim hostium
ultra sustinere non poterat. Inter haec ad Macedonas re- 19
gem cecidisse fama perlata est. Terruisset alios, quod illos
incitavit. Namque periculi omnis immemores dolabris per-
fregere murum, et qua moliti erant aditum, irrupere in ur-
bem, Indosque plures fugientes, quam congredi ausos, ce-
ciderunt. Non senibus, non feminis, non infantibus parcitur: 20
quisquis occurrerat, ab illo vulneratum regem esse crede-
bant. Tandemque internecione hostium iustae irae paren-
tatum est. Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae 21
affuisse, auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, sci-

§. 15. *Subit inde Timaeus*] Modius cuius membranae in hac parte operis interpolatae videntur, *subinde Timaeus* edidit, quod in uno Flor. G legitur. Habet quidem ea vox apud Curtium non raro significationem *paulo post*, ut VII, 32 in. VI, 27 extr.; IX, 33 in., cum alibi idem valeat quod intermisso non multo tempore sive saepius, sed non potest tamen idem verbum *supervenit* et cum adverbiis temporis *subinde*, *paulo post*, et cum dativo *huic* coniungi. Itaque vulgatam unice probo. Pro *huic* autem *hinc* est in edd. Modiana antiquioribus et codd. Bern. B Flor. DEFGHI.

§. 19. *periculi omnis*] Ante Modium *omnes* edebatur, quod legitur in aliquot codd. deterioris ordinis, Flor. CEFGH Voss. 2 Pal. 1 Bern. B.

§. 20. *internecione hostium*] Variant libri in hac voce exaranda; *internicione* Pal. 1 Voss. 1 Flor. AB Bern. A, *internitione* Leid. Voss. 2 Flor. CDEFG Bern. B. Soli Flor. HI vulgarem rationem sequuntur. In Caesare edendo Schneiderus scribendi rationem per *i* litteram ad modum verbi *pernicies* secutus est, vide eum ad libr. I de bell. Gall. c. 14. Quod Curtius ait *iustae irae parentatum est* notabile videtur, siquidem alibi non nisi *mortuis* parentatur, sed illa ira fuit ob mortem regis.

§. 21. *et Timagenes*] Mirum in mss. esse *Tymagenen*, *timagenem*, *tyagenen*, *thiagenon*, semper accusativo casu. Historicus est Alexandrinus, qui Quintiliano teste Instit. X, 1, 75 intermortuam Graecorum in historia tradenda

licet gloriae suae non refragatus, afuisse se, missum in expeditionem, memoriae tradidit. Tanta componentium vetusta rerum monumenta vel securitas, vel par huic vitium, credulitas fuit!

2 Rege in tabernaculum relato, medici lignum sagittae22
3 corpori infixum, ita ne spiculum moveretur, abscidunt. Corpore deinde nudato, animadvertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quam ut se-
4 cando vulnus augerent. Ceterum ne secantes profluvium sanguinis occuparet, verebantur; quippe ingens telum ada-
5 ctum erat, et penetrasse in viscera videbatur. Critobolus, inter medicos artis eximiae, sed in tanto periculo territus, [manus] admovere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret eventus. Lacrimantem eum ac metuentem et sollicitudine propemodum exsanguem rex

laudem longo post intervallo (nimirum non multo ante Christum natum) renovavit, opere opinor *βασιλέων*, quod Stephanus Byz. s. v. *Μιλύας* laudat. Cf. de eius vita ut novissimum nominem *Weichertum* in dissert. de Iarbita Timagenis aemulatore, inserta in eiusd. Reliquiis poët. Lat. p. 393 sqq.

scilicet gloriae suae non refragatus] Nihil mutant codd. ne Modio fidem habeas, abesse *non* a membranis notanti. Explica igitur: qui quidem alias gloriae suae non refragari solitus est, Germ. der doch wohl, meine ich, seinem Ruhme nicht entgegen war.

vetusta rerum monumenta] In omnibus codd. legitur *vetustate rerum*, in plerisque etiam *monimenta*, et pro *componentium* in Flor. DEFGHI Pal. 1 *competentium*, in Bern. B Voss. 2 *compotentium*. Sed cum non dubitem quin recte edatur quod nunc editur, incertus sum de interpretatione utrum eos dicat qui olim libros de historia scripserint an qui de rebus antiquis libros composuerint. Illud minus ad Timagenem pertinere videtur, qui quinquaginta ferme annis ante Curtium scripsit, hoc a plano ac simplici verborum sensu paululum discedit.

Cap. 22, §. 22. *lignum sagittae*] Invitis codicibus mss. vulgo editur *hastae*, invito etiam ipso Curtio, cuius verba paulo ante legi poterant. Equidem in nullo codice praeter Voss. 2, in quo et ipso *sagittae* superscriptum est, extare *hastae* cognovi. Porro *abscidunt* optimi codd. Leid. Voss. 1 Flor. AB cum Flor. GI. Neque placet utique vulgatum *abscindunt* sensus causa, siquidem omnis significatio vis ac vehementiae, quae inest in verbo, abesse debet ab hoc loco.

§. 25. *Critobulus* in vett. edd. et optimis fere mss. est *Critobolus:* Bern. B et Voss. 2 etiam *Critolus*. De Critobuli laude qui Philippum Alexandri patrem curaverat, vide Plinium in nat. hist. VII, 37. Sed eius laudem in hoc Alexandri vulnere curando dubium facit Arrianus qui *Critodemum* medicum appellat, vel nullum medicum sed Perdiccan chirurgi opera functum esse tradit. Tum *manus admovere metuebat* vulgo editur, sed prima vox in mss. omnibus et editionibus veteribus deest, addita primum ab Iunio. Modius edidit *admoveri*, sed hoc et obscure dictum est, et parum Latine. Lacuna fuisse videtur in eo exemplari, unde omnia quae hodie extant propagata esse verisimile fit, aut sic ut vetus editor fecit, aut simili ratione explenda, fortasse *ferrum* excidit. Interim *manus* cancellis saepsimus. Codd. autem meliores fere *amovere*, ceteri *admovere*, sed haec varietas nimis frequens est.

conspexerat. *Quid*, inquit, *quodve tempus expectas, et non quamprimum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times, ne reus sis, cum insanabile vulnus acceperim?* At Critobulus tandem vel finito, vel dissimulato metu, hortari eum coepit, ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret: etiam levem corporis motum noxium fore. Rex cum affirmasset, nihil opus esse iis, qui semet continerent, sicut praeceptum erat, sine motu praebuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, et spiculo evolso, ingens vis sanguinis manare coepit, linquique animo rex, et caligine oculis offusa, veluti moribundus extendi. Cumque profluvium medicamentis frustra inhiberent, clamor simul atque ploratus amicorum oritur, regem expirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paulatimque animum recepit, et circumstantes coepit agnoscere. Toto eo die ac nocte, quae secuta est, armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes unius spiritu vivere. Nec prius recesserunt, quam compertum est, somno paulisper acquiescere. Hinc certiorem spem salutis eius in castra rettulerunt.

23 Rex septem diebus curato vulnere, necdum obducta cicatrice, cum audisset, convaluisse apud barbaros famam mortis suae, duobus navigiis iunctis, statui in medium undique conspicuum tabernaculum iussit, ex quo se ostenderet perisse credentibus. Conspectusque ab incolis spem hostium falso nuntio conceptam inhibuit. Secundo deinde amne defluxit, aliquantum intervalli a cetera classe praecipiens, ne quies corpori invalido adhuc necessaria pulsu remorum impediretur.

Quarto, postquam navigare coeperat, die pervenit in

§. 28. *iis qui*] Retinui *iis* quia sic Bern. A et, si Snak. silentio fides habenda, Voss. 1 et Leid. Reliqui nostri et Voss. 2 *his*, nisi quod Flor. B suum *hiis* servat.

spiculo evolso] Sic Flor. B Voss. 1 Bern. A, vulgo *evulso*.

Cap. 23, §. 2. *quies corpori invalido adhuc necessaria*] Codd. post verbum *quies* partim *perinvalido* partim *parum valido*, partim *invalido* habent. Atque illud quidem optimi Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG. Editiones principes mire permixtis omnibus *ne quis quiete corpore perinvalido*, Aldus *ne quies ori invalido*, sed bene siquid aliud ab Iunio emendatum censeo *corpori invalido*.

regionem desertam quidem ab incolis, sed frumento et pecoribus abundantem. Placuit is locus et ad suam, et ad
4 militum requiem. Mos erat principibus amicorum et custodibus corporis, excubare ante praetorium, quotiens adversa regi valetudo incidisset. Hoc tum quoque more servato,
5 universi cubiculum eius intrant. Ille sollicitus, ne quid novi afferrent, quia simul venerant, percontatur, num hostium recens nuntiaretur adventus.

6 At Craterus, cui mandatum erat, ut amicorum preces 24
perferret ad eum, *Credisne*, inquit, *adventu magis hostium, ut iam in vallo consisterent, sollicitos esse, quam cura salutis*
7 *tuae, ut nunc est, tibi vilis? Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisque totum orbem, classibus maria consternat, inusitatas beluas inducat: tu nos praestabis*
8 *invictos. Sed quis deorum hoc Macedoniae columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest, cum tam avide manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in*
9 *casum! Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest? Eo pervenimus, auspicium atque imperium secuti tuum, unde*
10 *nisi te reduce nulli ad penates suos iter est. Quodsi adhuc de Persidis regno cum Dareo dimicares, etsi nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset, tam promptae esse te ad omne dis-*

§. 4. *quotiens adversa regi valetudo*] Sic et hoc verborum ordine mss. omnes, editi *quoties regi adversa valetudo*. Sed in iisdem mss. *valitudo* est. Paulo post *tum quoque* item mss. nostri et Snak. omnes, quae verba vulgo male disiuncta sic leguntur: *hoc tum more quoque*.

Cap. 24, §. 6. *sollicitos esse*] Subintelligo *hos*, non *nos*. Sed vulgo haec ita leguntur, ut in fine sit: *quam cura salutis tuae, ut nunc est, tibi vilis, nos esse sollicitos*. Nos sequimur mss. et nostros et Snakenb. omnes, pauci tantum, Flor. quidem DI, *sollicitos nos esse*, sed eodem tamen loco quo nos exhibent. Praeterea verba *ut nunc est* coniungenda sunt, ut supra lib. v, c. 18 *Ii qui modo etiam ad opem petendam ex tenebris et carcere procedere erubuimus, ut nunc est, supplicia nostra ostentare Graeciae velut laetum spectaculum cupimus*. Cf. quae ad eum locum annotavimus.

§. 7. *inusitatas beluas*] *invisitatas* Voss. 1 Bern. A.

§. 8. *offeras corpus*] Inverso ordine *corpus offeras* deteriorum librorum nostrorum duplex ordo Flor. DFI (ubi deest G) et CEH Bern. B Voss. 2.

§. 10. *Quodsi adhuc — dimicares*] Edidimus ex mss. nostris et Snak. omnibus *quodsi*, ad orationem coniungendam longe aptius, quam quod hucusque edebatur *qui si adhuc*. Germanice vertes: ja wenn.

ne admirari quidem posset] Mirabere in omnibus nostris etiam optimis *nec* legi, cuius coniunctionis hoc quidem loco nulla prorsus excusandi ratio est, Snak. in uno Leid. suo notat esse *nec*, quasi in Vossianis *ne* inventum esse verisimile sit. Nostrorum unus Flor. G habet *ne*

crimen audaciae: nam ubi paria sunt periculum ac praemium, et secundis rebus amplior fructus est, et adversis solatium maius: tuo vero capite ignobilem vicum emi, quis ferat, non tuorum 11
modo militum, sed ullius gentis barbarae civis, qui tuam magnitudinem novit? Horret animus cogitatione rei, quam paulo ante 12
vidimus. Eloqui timeo, invicti corporis spolia inertissimas manus fuisse infecturas, nisi te interceptum misericors in nos fortuna servasset. Totidem proditores, totidem desertores sumus, quot te non potuimus persequi. Universos licet milites igno- 13
minia notes, nemo recusabit luere id, quod ne admitteret praestare non potuit. Patere nos, quaeso, alio modo esse viles tibi. 14
Quocunque iusseris, ibimus. Obscura pericula et ignobiles pugnas nobis deposcimus: temetipsum ad ea serva, quae magnitudinem tuam capiunt. Cito gloria obsolescit in sordidis hostibus nec quicquam indignius est, quam consumi eam, ubi non possit ostendi. Eadem fere Ptolemaeus, et similia his ceteri. 15

— *quidem*, et in Flor. F et Pal. 1 omittitur sive *ne*, sive *nec*.

et secundis — et adversis] Ambae deteriorum librorum classes praeter Flor. C bis *ex* habent, *ex secundis — ex adversis* (Voss. 2 *secundis — et ex adv.*, male).

§. 11. *Sed ullius gentis barbarae civis*] Vulgo *sed ullius etiam gentis*. Libenter omisissemus mediam vocem, etiamsi non iuberent libri mss. rationem loquendi secuti, quoniam orator descendit, non ascendit. Cf. gramm. nostr. §. 724. Sed accedit etiam codicum omnium auctoritas, cui iam nemo poterit refragari. Pro eo quod sequitur *qui tuam magn. novit* non sine causa scribendum Acidalius coniecit *norit*, nam coniunctivum sermonis latini elegantia postulare videtur. Sed adversus codices talem elegantiae speciem non consector.

§. 12. *Horret animus cogitatione*] Boni codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC *cogitationem*, sed non accipio.

spolia inertissimas manus fuisse infecturas] Hodie cum Modio vulgo editur *spoliis inertissimos manus fuisse iniecturos*, quod quamvis non placeret *inertissimos* sic absolute pro hominibus inertissimis dici, ferendum tamen esset, ni libri et mss. et primum editi omnes *inertissimas manus iniecturas haberent*. Item optimi quique *spolia*, deteriores modo Flor. DEFHI Bern. B *spoliis* Flor. G adeo *ad spolia*. Quae cum ita sint ausus sum emendare *infecturas*, i. e. contaminaturas, qua quidem re hoc teneo, ne quid praeter unam istam litteram mutem, et concinnius opponantur invictum corpus et inertissimae manus. Solere autem *inficere* et *iniicere*, *infectus* et *iniectus* confundi a librariis exemplis collectis docuit Drak. ad Liv. X, 6, 3. Sed commemorandum etiam est item de coniectura Aldum edidisse: *spolia — inertissimas manus fuisse invecturas*, quod probari nequit, Iunium autem *avecturas* correxisse, quod exiguo gradu a verisimilitudine distat.

§. 14. *obscura pericula*] Quid attinet longum esse h. l.? Sic uti edidimus mss. omnes exhibent, editi *obscura bella — nobis deposcimus, temetipsum ad ea serva pericula, quae* cet. Nec *bella* possunt esse obscura, nec decet regem ad *pericula* subeunda adhortari. Inseq. §. *his* pro vulg. *iis* mss. praeter Flor. D in quo est *ipsis*.

ımque confusis vocibus flentes eum orabant, ut tandem ɪsatiatae laudi modum faceret, ac saluti suae, id est ıblicae, parceret.

Grata erat regi pietas amicorum. Itaque singulos fami- 25
ırius amplexus considere iubet. Altiusque sermone repe-
ıo, *Vobis quidem*, inquit, *o fidissimi piissimique civium*
que amicorum, grates ago habeoque, non solum eo nomine,
od hodie salutem meam vestrae praeponitis, sed quod a pri-
rdiis belli nullum erga me benivolentiae pignus atque indi-
ım omisistis, adeo ut confitendum sit, nunquam mihi vitam
ɔam fuisse tam caram, quam esse coepit, ut vobis diu frui
ssim. Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me
rri optant, et mea: qui quidem hanc benivolentiam vestram
rtute meruisse me iudico. Vos enim diuturnum fructum ex
', forsitan etiam perpetuum, percipere cupiatis: ego me me-
r non aetatis spatio, sed gloriae. Licuit paternis opibus
ıtento intra Macedoniae terminos per otium corporis expe-

. 15. *exsatiatae laudi*] Modii mem-
nae Sigebergenses *ex satietate*, item
tri Flor. DHI, *et ex satietate* Flor.
Bern. B quibus accedit Pal. 1 *et*
tietate, *exsacietate* Flor. A, *et satie-*
laudis Voss. 2. Ea omnia vitiosa
t. *Laudi* modum facere patet dici
laudis cupiditati, quae dudum ex-
a, exsatiata, esse debebat secundum
ɪum opinionem.

. 17. *non solum eo nomine*] Primum
i (ante Ald.) et mss. omnes *meo*
ıine, quod falsum esse et applicata
ɐma prioris vocis litera ortum, facile
lligitur. Similia vide in Indice s. v.
erae.

ɔbis frui] *Vos* edidit Modius, sed
ı codices laudat, eorum similes ex-
non comperimus. Sensus loci hic
vita mihi mea non sua causa cara
sed tempore fieri coepit, cum ve-
n amorem cognoscerem, eoque diu-
frui vellem.

18. *et mea: qui quidem*] Locus
ilis est necdum satis mihi explora-
Mss. plerique *meam et quidem* ex-
ıt, pauci (Pal. 1 Flor. EF) cum editt.
meam quidem, Bern. B Flor. DHI
ı *equidem*, unus Voss. 2 *et mea*,
sicut primus edidit Iunius. Sed hoc
quidem videtur necesse esse, et veri-
simile fit, cum *optant* praecedat, ob
illius verbi extremam litteram sequen-
tem coniunctionem excidisse. Sed quod
sequitur *et quidem*, eo videtur ducere,
ut *equidem* scribendum censeas, quon-
iam ea fere ratione fieri solet in vete-
ribus libris. Sed apparet, discrimen,
quod inter utramque sententiam, ipsius
et amicorum, interesse dicit Alexander,
non exponi nisi inde ab sequente *enim*,
et posse atque adeo debere ad expli-
candam regis orationem totum hoc *et*
quidem hanc benivolentiam vestram vir-
tute meruisse me iudico interiectum quasi
per parenthesim putari. Itaque ut nunc
res est, Iunium, qui *qui quidem* emen-
davit, si non vere, at verisimiliter ta-
men emendasse censeo. Ceterum *vestra*
pro *vestram* in plurimis mss. et in edit.
olim impressis legitur, parum accommo-
date ad laudem regis.

percipere cupiatis] Sic edit. princeps
et codd. fere omnes, *cupitis percipere*
Voss. 2 Flor. DI, unde Aldus indicati-
vum in textum recepit. Sed coniuncti-
vum modum cum per se ferre debea-
mus, tum commendat particula *forsitan*.

ctare obscuram et ignobilem senectutem: quamquam ne pigri quidem sibi fata disponunt, sed unicum bonum diuturnam vitam existimantes saepe acerba mors occupat: verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunae bene computo, diu vixi. Orsus a Macedonia imperium Graeciae 20 *teneo; Thraciam et Illyrios subegi; Triballis, Maedisque imperito; Asiam, qua Hellesponto, qua rubro mari subluitur, possideo. Iamque haud procul absum fine mundi, quem egressus aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asia in* 21 *Europae terminos momento unius horae transivi. Victor utriusque regionis post nonum regni mei, post vigesimum atque octavum aetatis annum, videorne vobis in excolenda gloria, cui* 26*me uni devovi, posse cessare? Ego vero non deero, et ubi-*

§. 19. *existimantes* mss. nostri quidem omnes, item edd. principes, ut vulg. *aestimantes* Aldo imputari debeat.

sed victorias numero] Sic et quae sequuntur Aldus recte constituit ex ms. Florentini G simili sed in hac re cum optimis concordante. Edd. princ. *non annos meos sed victorias computo, si munera fort. computo.* In codd. Flor. CEFH Bern. B Pal. 1 Voss. 2 verba *sed victorias* desunt, in iisdem sed praeterea etiam in Flor. DI *bene* omittitur, et fere etiam *sed* pro *si* scribitur.

§. 20. *imperium Graeciae teneo*] Optime sic Pal. 1 probantibus Freinshemio et Heinsio, ut etiam deterior liber aliquando recte admonere possit. Nam accurate rem inspicientibus sic omnino vel emendatione restituendum videbitur, nam in vulgata scriptura *Orsus a Mac. imperium, Graeciam teneo* non recte dicitur, *imperium ordiri* contra *imperium Graeciae* ea ipsa est, quam Macedoniae reges expetiverunt, *ἡγεμονία*.

Maedisque imperito] Cum Medi Asiatici hic dici nequeant, nihil restat nisi ut *Maedos*, gentem Thracicam, hos esse putemus, nam diphthongum *ae* in libris saepe corrumpi constat. Alii *Moesis* scribi voluerunt, sed ne hi quidem ab Alexandri rerum gestarum auctoribus expresso nomine appellantur. Sed annotandum tamen in Flor. EFH Bern. B legi *et Medis impero*, in Flor. C Voss. 2 *Medis impero*.

rubro mari subluitur] Edd. principes et Aldina e codicibus deterioribus ductae *abluitur*, quod exhibetur a Pal. 1 Flor. FI, factum est posthac *alluitur*, quod in nullo ms. est, sed probari poset, ni verum esset quod in ceteris codd. invenitur, *subluitur*. Verbum paulo rarius loco Caesaris de bell. Gall. VII, 69 illustratur: *cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant.*

haud procul absum fine] Vulgo *a fine*, sed praepositionem omittunt omnes nostri et Voss. 2 (quem unum de suis commemorat Snakenb.) Ac solere Curtium *procul* coniungere cum simplici ablativo plus semel vidimus.

§. 21. *Ex Asia in Europae*] Dicit de transitu Iaxartis, vide VII, 30. Sed grammaticae studiosis notanda forma *transivi*, quoniam plena forma in compositis fere poetae tantum utuntur. Sed tamen Seneca de brev. vit. 15 *transivi*, Tacitus Ann. XI, 24 *transivisse* et *subivimus*.

aetatis annum] Hic ordo verborum necessarius videtur, etsi qui codices vocem *aetatis* exhibent (nam sunt nonnulli qui omittunt Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABCG) hi *annum aetatis* ordine mutato praebent. Ceterum cum Alexander natus sit mense Septembri anni a. Chr. nat. 356, regnumque inierit mense Iulio anni 336, atque hoc tempore agatur aestas anni 326, apparet Curtium computatione annorum non prorsus accurata usum esse.

cunque pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam.
22 *Dabo nobilitatem ignobilibus locis; aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe summoverat. In his operibus extingui mihi, si fors ita feret, pulchrum est: ea stirpe sum genitus, ut multam prius, quam longam vitam debeam optare.*
23 *Obsecro vos, cogitate nos pervenisse in terras, quibus feminae ob virtutem celeberrimum nomen est. Quas urbes Semiramis condidit? quas gentes redegit in potestatem? quanta opera molita est? Nondum feminam aequavimus gloria, et iam nos*
24 *laudis satietas cepit? Dii faveant, maiora adhuc restant. Sed ita nostra erunt quae nondum attigimus, si nihil parvum duxerimus, in quo magnae gloriae locus est. Vos modo me ab intestina fraude et domesticorum insidiis praestate securum:*
25 *belli Martisque discrimen impavidus subibo. Philippus in acie tutior, quam in theatro fuit; hostium manus saepe vitavit, suorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus si reputaveritis, plures a suis, quam ab hoste interemptos nume-*
26 *rabitis. Ceterum, quoniam olim rei agitatae in animo meo nunc promendae occasio oblata est, mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur, quandocunque excesserit vita. Si licuerit, ipse praestabo hoc: si me praeceperit fatum, vos mandasse*

Cap. 26, §. 22. *extingui mihi — pulchrum est*] Vulgo *me*, quod in nullo codice est. Plerique enim ut edidimus, pauci, Pal. 1 Flor. FI, nec *me*, nec *mihi* habent. Ceterum *sors* Pal. 1 Flor. CEFH, *mors* Flor. I.

multam prius quam longam vitam] Codd. omnes cum edd. veteribus *multa*, sed recte Iunius correxit. Quaerunt quidem quid inter *multam* et *longam* vitam intersit, et dubitant num satis latine dicatur. Hoc cur dubitent intelligo, illud miror, quasi non sentias, quid sit multum vivere, quid diu. Omnino hoc exquisitius dictum est quam usitatius, sed rectissime si quid iudico.

§. 26. *Olympias mater*] Additur in Leid. *mea*. Post pro *quandocunque* traditur in Flor. Heinsii, Leid. Voss. 1. 2 Bern. A Pal. 1. legi *quandoque*, atque idem Modius edidit. Verum e Flor. non enotatur *quandoque*, nisi ex CG, cum in DEH Bern. B sit *quando*. Dici non raro *quandoque* pro *quandocunque* nec solum a poëtis et prosariis aetatis argenteae, sed etiam a Livio, disces ex iis quae Drakenb. ad Livium I, 31, 4 collegit. Cf. ad VII, 39, 9. Sed relinquitur in plerisque locis aliquid dubitationis, nec ego veram rationem h. l. deserere audeam, cum Flor. AB suffragatio absit.

vos mandasse mementote, i. e. vos mementote, me vobis illud mandasse, et utitur verbo morituris proprio. Modius *mandare* edidit, codicibus invitis, fortasse quod vulgare de verbo *memini* praeceptum etiam ad imperativum transtulit. Omittitur illud verbum in Pal. 1 Bern. B Flor. CDEFHI.

mementote. Ac tum quidem amicos dimisit: ceterum per complures dies ibi stativa habuit.

27 Haec dum in India geruntur, Graeci milites nuper invii. colonias a rege deducti circa Bactra, orta inter ipsos seditione, defecerant, non tam Alexandro infensi, quam metu supplicii. Quippe occisis quibusdam popularium, qui vali- 2 diores erant arma spectare coeperunt, et Bactriana arce, quae casu negligentius asservata erat, occupata, barbaros quoque in societatem defectionis impulerant. Athenodorus 3 erat princeps eorum, qui regis quoque nomen assumpserat, non tam imperii cupidine, quam ut patriam revertendi cum his, qui auctoritatem ipsius sequebantur. Huic Bito qui- 4 dam nationis eiusdem, sed ob aemulationem infestus, comparavit insidias, invitatumque ad epulas per Boxum quendam Macarianum in convivio occidit. Postero die contione 5 advocata Bito ultro insidiatum sibi Athenodorum plerisque

Cap. 27, §. 1. *circa Bactra*] Loccenii emendationem ab editoribus omnibus probatam recepi, quoniam insana librorum mss. lectio *Garabactra* ferri nequit. Nomen enim illud nullum est, et Diodorus colonias illas *κατὰ τὴν Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν* fuisse vere tradit, ipse autem Curtius in fine huius narrationis *circa Bactra* haec facta esse addit. Intelligitur autem imprimis Alexandria ad Tanaim, vide ad VII, 28.

§. 2. *quibusdam popularium*, Graecis intellige, significat enim seditionem militum fuisse, eosque qui caesis adversariis superiores extiterant, ad barbaros confugisse, ne ab Alexandro punirentur metuentes. Eadem §. *quae casu negligentius asservata erat* ex Acidalii coniectura dedimus pro vulg. codicum scriptura *quae quasi negligentius* cet. Nam hoc quidem ferri nulla ratione potest, quandoquidem re vera negligentius custodita erat, nec ullum aliud novi verbum propius accedens.

§. 3. *cum his qui*] Codices et edd. pr. mendose *cunctis*, *qui*. Aldus correxit *cum iis qui*.

§. 4. *Bito quidam nationis eiusdem*] Vulgo *Bicon*, sed h. l. *Biton* Flor. EFH Pal. 1, *Bito* Voss. 1 Flor. I, *Bithon* Voss. 2: mox *Bico* Leid. Bern. A Flor. ABDI, *Bitho* Flor. EFH Bern. B, servantque easdem litteras posthac. *Βίκων* nomen non est Graecum, sed *Βίτων* admodum frequens. Itaque hoc recepi et latina quidem terminatione. *Eiusdem* in Flor. G et Bern. A legitur, in reliquis et edd. vett. *eius*, quod et ipse priore editione dederam. Nunc in hac quidem re marginem edit. Iun. et Modianam secutus sum.

Boxum quendam Macarianum] Nomen *Boxum* servant codices, nisi quod Voss. 2 *Bossum* habere traditur, et edd. princ. *Baxum* dant. Strabo lib. XVI, p. 779 secundum Casaubonum *παρά τινος Βόξου τὸ γένος Πέρσου*, sed Persica illius origo non impedire debet. Nostrum hunc Boxum libri mss. meliores et editi *Maecrianum* dicunt, deteriores foede corrumpunt, dum proxima verba *in convivio* adiungunt: Flor. EFH Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *quendam in coena* et *(in) convivio*, Flor. DI *cenatum* Flor. C minus ingeniose *materiam*. Ego Arcadiae civitatem *Μαχαρίαν* hic agnosco, quam Pausanias VIII, 3, 3 commemorat, cf. Stephanum s. v. *Μαχαρέαι* cum notis. Constat plerosque Graecos milites mercenarios ex Arcadia fuisse.

persuaserat: sed aliis suspecta erat fraus Bitonis, et pau-
6 latim in plures coepit manare suspicio. Itaque Graeci milites arma capiunt, occisuri Bitonem, si daretur occasio: ceterum principes eorum iram multitudinis mitigaverunt.
7 Praeter spem suam Bito praesenti periculo ereptus, paulo post insidiatus auctoribus salutis suae est: cuius dolo
8 cognito, et ipsum comprehenderunt, et Boxum. Ceterum Boxum protinus placuit interfici, Bitonem etiam per cruciatum necari. Iamque corpori tormenta admovebantur, cum Graeci, incertum ob quam causam, lymphatis similes
9 ad arma discurrunt. Quorum fremitu exaudito, qui torquere Bitonem iussi erant, omisere, veriti, ne id facere
10 tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, sicut nudatus erat, pervenit ad Graecos, et miserabilis facies supplicio destinati in diversum animos repente mutavit, dimittique eum iusserunt. Hoc modo poena bis liberatus, cum ceteris, qui colonias a rege attributas reliquerunt, revertit in patriam. Haec circa Bactra et Scytharum terminos gesta.

Interim regem duarum gentium, de quibus ante dictum 28
est, centum legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu; lineae vestes intexto auro purpuraque distinctae. Ei se dedere ipsos,

§. 5. *suspecta erat fraus*] Sic mss.; editi *fraus erat.*

§. 6. *ceterum principes*] Mss. *ceteri*, sed cum Freinsh. vere puto emendasse Acidalium: habet iam etiam suffragatorem Flor. G.

§. 8. *cum Graeci incertum*] Vulgo *Graeci milites*, sed hanc vocem omnes mss. nostri et Leid. Voss. 1 omittunt, ac desierant iam esse milites. Mox *iussi erant* recte emendaverat Freinshemius pro olim vulgata codd. omnium scriptura *iusserant.*

§. 11. *revertit*] *revertitur* Flor. CFG Bern. B, *reverteretur* Flor. EH, *vertit* Flor. I: sed verum esse perfectum tempus *revertit* patet. Illi tamen finem non sunt assecuti auctore Diodoro qui cap. 99 eos ad III milia a Macedonibus post Alexandri excessum concisos tradit.

Cap. 28, §. 12. *duarum gentium*] Oxydracarum Mallorumque, vid. c. 16 pr.

lineae vestes — distinctae] Possem dicere participium poni pro verbo finito *distinctae erant*, sicut apud Quintilianum Instit. VI, 1, 40 *infusa* pro *infusa fuerat* positum est: sed malo nominativum absolutum agnoscere, reliquae descriptioni ἐναργῶς immixtum, quod genus imprimis Sallustianum est, v. c. Iug. c. 28 *Nam in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant, quas omnes avaritia praepediebat: patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula et insidias.* Item sic eod. libro c. 38, 5 *vis magna hostium*, c. 67, 1 *ad arcem oppidi praesidium hostium.* Ubique intelligere poteris *erat.* Deinde in nostro loco *intexto auro* dedimus, cum vulgo esset *intextae auro:* praestat enim libro-

urbes agrosque, referebant, per tot aetates inviolatam libertatem illius primum fidei dicionique permissuros: deos sibi deditionis auctores, non metum; quippe intactis viribus iugum excipere. Rex, consilio habito, deditos in fidem 14
accepit, stipendio, quod Arachosiis utraque natio pensitabat, imposito. Praeterea II milia et D equites imperat; et omnia obedienter a barbaris facta. Invitatis deinde ad epulas 15
legatis gentium regulisque, exornari convivium iussit. Centum aurei lecti modicis intervallis positi erant; lectis circumdederat aulaea, purpura auroque fulgentia; quicquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas nova immutatione corruptum erat, confusis utriusque gentis vitiis, in illo convivio ostendens.

Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, 16
et ob eximiam virtutem virium regi pernotus et gratus.

rum mss. consensum sequi, a quo unus Flor. G discedit. Sic etiam III, 8 *purpureae tunicae medium album intextum erat.*

§. 13. *iugum excipere*] Flor. BD *accipere.*

§. 14. *quod Arachosiis — pensitabat*] Non est dictum *pensitabat* pro eo quod est pensitare solebat aut solita erat, nam refragatur quam modo praedicarunt antiqua *libertas.* Est potius pro coniunctivo *pensitaret*, sed profertur ex mente scriptoris, utpote quod indicare velit re vera factum esse posthac. Tributum illorum populorum referebatur ad satrapam Arachosiae, cui provinciae Oxydracae Mallique, quod attinuit ad eam rem, attributi sunt. Mox pro *imperat* Modius *imperati*: nec male Flor. DI Pal. 1 *ea omnia* pro reliquorum librorum lectione *et omnia.*

§. 15. *lectis circumdederat aulaea*] *Lectis* correxerat Modius, concinentibus Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A, ceteri libri mss. et olim impressi *lectos.* Cf. supra ad VIII, 20 pr. Tum inverso ordine membrorum Flor. H Bern. B *quicquid aut apud Macedonas nova imitatione aut apud Persas vetere luxu corruptum*, itemque sic Flor. CF, tantum quod in his post verba *vetere luxu* adiicitur etiam alterum illud *nova immutatione.* In Flor. E Voss. 2 *aut apud Persas vetere luxu corruptum*, omissis reliquis, legitur. Iam nemo, opinor, Macedonas Persis praeponi volet, sed servato aetatis ordine prius de veteribus, deinde de novis dici. Sed ex illis libris *nova imitatione corruptum* facile aliquis recipiendum putabit pro eo quod in editis est, *nova immutatione.* Atque sic prorsus, retento etiam vetere membrorum ordine, extat in Flor. I ac fortasse in Pal. 1, ex quo solum *imitatione* notatur. Porro Graeca forma *Macedonas* nititur auctoritate Flor. A.

Cap. 29, §. 16. *ob eximiam virtutem virium regi pernotus*] Qui libri *virtutem virium* habent, ii *iam a rege* addunt, alii *virium magnitudinem a rege* exhibent: Voss. 2 Pal. 1 Bern. B Flor. EFH. Nihil tamen huic varietati tribuendum videtur, nam *virtutem* quidem interdum a latinis scriptoribus dici pro quavis praestantia, quae in ipsa re sita sit, contra Clericum Curtii accusatorem et Perizonius in Vindiciis Curtianis et Dukerus ad Livium XXXVII, 24 pr. ubi *virtus navium* legitur, satis defenderunt. *Virtus formae* apud Plautum in Mostell. III, 1, 17 est, *victoriam non armorum decore sed ferri virtute quaerere* apud Iustinum XIII, 13, et historiae *virtutem* i.e. praestantiam tribuit Sallustius in Iug. 4.

Invidi malignique increpabant per seria et ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam: cum ipsi proelium inirent,
17 oleo madentem praeparare ventrem epulis. Eadem igitur in convivio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei coepit et postulare, ut, si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regem tandem vel de sua temeritate, vel
18 illius ignavia iudicaturum. Et a Dioxippo, contemptim militarem eludente ferociam, accepta conditio est. Ac postero die rex, cum etiam acrius certamen exposcerent, quia
19 deterrere non poterat, destinata exequi passus est. Ingens hic militum, inter quos erant Graeci, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo. Macedo iusta arma sumpserat, aereum clipeum, hastam, quam sarissam vocant, laeva tenens, dextera lanceam, gladioque cinctus, velut cum plu-
20 ribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens et coronatus laeva puniceum amiculum, dextra validum nodosumque stipitem praeferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat: quippe armato congredi nudum de-
21 mentia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo, haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit, quam Dioxippus cum exigua corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam transferret in dextram, assiluit, et stipite me-
22 diam eam fregit. Amisso utroque telo, Macedo gladium coeperat stringere: quem occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arietavit in terram, ereptoque

§. 17. *eadem igitur*] Plerique libri *eodem*, nec habent *eadem* nisi Flor. EFH Bern. B, sed iidem simul *ergo* pro *igitur*. Tum *Horratas* Curtio, *Κόραγος* (puto *Κόδδαγος* potius) Diodoro vocatur; pauci libri Curtiani aliud praebent, sed mendosum, *Oretes*, *Orethes*, *ortans*, *hortans*.

§. 19. *Ingens hic militum*] Sequitur iam vulgo: *inter quos erant Graeci, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo.* Sed *qui* a Flor. B Voss. 1 Bern. A, verba *convenerat multitudo* a Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A prorsus absunt, de reliquis *militum convenerat multitudo inter quos* cet. Flor. DI, *militum turba inter quos — favebant* (pro *studebant*) *convenerat* Flor. E, *militum turba inter quos — favebant. Macedo* (omisso verbo *convenerat*) Flor. FH Bern. B Voss. 2 (puto etiam Pal. 1), *militum turba inter quos — studebant. Macedo* Flor. C, *militum multitudo, inter quos — studebant. Macedo* Flor. G. Vides igitur vulgatam scripturam nulli codici ms. accurate respondere, sed tamen textum constitui non posse quin his aut illis vis afferatur. Mihi quidem scribendum videtur: *Ingens hic militum convenerat multitudo, inter quos qui erant Graeci Dioxippo studebant.*

dextera lanceam] Vulgo *dextra*. Nos secuti sumus Bern. AB Flor. ACDI. Sed post *dextera* ac deinde §. 21 *dexteram* non est nisi in Flor. CDG, Snak. silet.

gladio, pedem super cervicem iacenti imposuit, stipitem intentans, elisurusque eo victum, ni prohibitus esset a rege. Tristis spectaculi eventus non Macedonibus modo, sed etiam 23
Alexandro fuit, maxime quia barbari affuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse verebatur. Hinc ad criminationem invidorum adapertae 24
sunt aures regis. Et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur, ministrique, quasi amisissent, quod amoverant, regem adeunt. Saepe minus est 25
constantiae in rubore, quam in culpa. Coniectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit: et cum excessisset convivio, litteris conscriptis, quae regi redderentur, ferro se interemit. Graviter mortem eius tulit 26
rex, existimans indignationis esse, non poenitentiae testem, utique postquam falso insimulatum eum, nimium invidorum gaudium ostendit.

30 Indorum legàti dimissi domos, paucis post diebus cum VIII.
donis revertuntur. Trecenti erant equites, ↀxxx currus
quos quadriiugi equi ducebant, lineae vestis aliquantum, mille scuta Indica, et ferri candidi talenta centum, leones- 2
que rarae magnitudinis et tigres, utrumque animal ad mansuetudinem domitum, lacertarum quoque ingentium pelles,

§. 22. *iacenti imposuit*] Sic editt. vett. et codd. omnes. (Unus Flor. C *iacentem*.) Vulgo nunc editur *iacentis*, sed etiam illud explicari potest.

§. 23. *recidisse verebatur*] Modius nimis sagacitati suae confisus *verebatur* delevit, invitis codicibus. Non credo hoc eum movisse quod accusativum cum infinitivo *fortitudinem recidisse* male positum putaret pro eo quod esset: ne fortitudo recidisset. Noverat enim sine dubio haud ita raro post verba timendi infinitivum etiam illis locis poni, ubi aut *ut* aut *ne* ex vulgaribus grammaticorum praeceptis ponendum erat, cuius rei nonnulla exempla laudavimus in gramm. §. 534. Sed concessit inepto brachylogiae cuiusdam studio, quo saepe eum videmus talia verba, qualia sunt *credebat*, *confitebatur* tollere, ubi putaret posse subintelligi. Vide ad VII, 27, 20. VII, 38 pr. in App. X, 23, 14 et Indicem s. v. Modius.

Cap. 30, §. 1. *Trecenti erant equites*] Editi *equi*, mss. *equites*: ego hos sequor. Tum *quadriiugi equi* nostri omnes, si discedas a codd. Flor. EFH Bern. B errore XL *equi* (Voss. 2 *quadringenti*) exhibentium: sed in Flor. Heinsii et Leid. Snakenburgii *quadriiugi* solum, omissa voce *equi*, legi traditur. Ceterum Arrianus VI, 14 haud paulo verisimilius mille equites, quingentos fuisse currus tradit, ac facile conieceris pro ↀ in textu Curtiano reponendum esse D.

ferri candidi] Ferrum candidum puto dici coloris causa ferri aciem quam nostrates dicunt *Stahl*. Plinius nat. hist. XXXIV, 41 ex omnibus generibus palmam tradit esse Serico ferro, secundam Parthico. Et causam addit, quod non alia genera ferri ex mera acie temperentur.

3 et dorsa testudinum. Cratero deinde imperat rex, haud procul amne, per quem erat ipse navigaturus, copias duceret: eos autem, qui comitari eum solebant, imponit in naves, et in fines Mallorum secundo amne devehitur.

4 Inde Sabarcas adiit, validam Indiae gentem, quae populi, non regum imperio regebatur. Sexaginta milia peditum habebant, equitum sex milia: has copias currus quin-
5 genti sequebantur. Tres duces spectatos virtute bellica elegerant. At qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos, maxime in ripa habebant) ut videre totum amnem, qua prospici poterat, navigiis constratum, et tot militum arma fulgentia, territi nova facie, deorum exercitum et alium Liberum Patrem, celebre in illis gentibus no-
6 men, adventare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus variaeque nautarum voces hortantium pavidas
7 aures impleverant. Ergo universi ad eos, qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, et cum diis proelium inituros: navigia non posse numerari, quae invictos viros veherent. Tantumque in exercitum suorum intulere terroris, ut legatos mitterent gentem dedituros.

8 His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto31 die pervenit. Nihilo plus animi his fuit, quam ceteris fuerat. Itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari

§. 3. *in fines Mallorum*] *Malliorum*, partim etiam *Maliðrum* codices. Eorum urbs si hodie *Multan* est ad Acesinem, auctore C. Rittero, nondum in ipso Indo navigabat Alexander: et sic sane Arrianus.

§. 4. *Sabarcas adiit*] Edd. vett. et codices longe plurimi *Sabarcas*, Pal. 1 et Flor. F *Sadracas*, Flor. EH Bern. B ut a recentioribus editur *Sabracas*. Sed praestat in nomine incerto a melioribus codicibus non discedere, praesertim cum gentis nomen apud Diodorum Σαμβασται, quod videtur esse Arriani Ἀβασανῶν ἔθνος, propius accedat ad nostram scripturam. Nam *Sabastas* utique verum videtur.

Sexaginta milia peditum] Est hoc a Diodoro, nam libri veteres Curtiani VI *peditum*.

§. 5. *tot militum arma*] Sic edd. vett. (etiam Iun. et Mod.) et codd. nostri omnes, quorum consensum non video cur postponam recentius editorum librorum auctoritati, in quibus est *tot millium arma*.

§. 6. *voces hortantium*] *laetantium* potius Flor. EFH Bern. B. Pal. 1 Voss. 2, quod speciem habet aliquam veritatis, sed speciem tantum.

§. 7. *et cum diis*] Editiones fere sine *et:* utrumque bonis libris nititur: legitur enim coniunctio, ut ceterorum turbam praetermittam, in Flor. A et Voss. 1 et edit. Mod., abest a Bern. A et Flor. B et Leidensi. Sed paulo post omnes consentiunt ut vocem *viros* cum Modio addamus post *invictos*.

Cap. 31, §. 8. *quod Alexandriam*] *Ale-*

iusserat, fines eorum, qui Musicani appellantur, intravit. Hic de Teriolte satrape, quem Parapamisadis praefecerat, 9
iisdem arguentibus cognovit: multaque avare ac superbe fecisse convictum interfici iussit. Oxyartes, praetor Bactri- 10
anorum, non absolutus modo, sed etiam iure amoris amplioris imperii donatus est finibus. Musicanis deinde in dicionem redactis, urbi eorum praesidium imposuit.

Inde Praestos, et ipsam Indiae gentem, perventum est. 11
Porticanus rex erat, qui se munitae urbi cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertio die, quam coeperat obsidere, expugnavit. Et Porticanus, cum in ar- 12
cem confugisset, legatos de condicione deditionis misit ad regem: sed antequam adirent eum, duae turres cum ingenti fragore prociderant, per quarum ruinas Macedones evasere

xandream Bern. A Flor. E, *Alexandreiam* Voss. 1. Haec fuit sine dubio quam Arrianus VI, 15 ad confluentes Acesinis et Indi condi iussam esse tradit, finem satrapeae quam Philippo attribuerat rex. Hodie ibi situm est oppidum Mittun Kot.

eorum qui Musicani appellantur] Graeci auctores *Musicanum* regis fuisse nomen tradiderunt, non gentis. Diodorus c. 102 εἰς τὴν Μουσικανοῦ τοῦ βασιλέως χώραν, Arrianus ἐς τὴν Μουσικανοῦ ἐπικράτειαν. Sed emendare Curtium inutilis labor, cum ne reprehendere quidem magnopere velim.

§. 9. *de Teriolte satrape*] Codd. fere in eo quod vulgo editur consentiunt. Sed illud nomen satrapae inauditum est. Arrianus VI, 15 Τυριάσπην vocat, coll. Schmiederi annotatione ad lib. V, 20, 13. Diodorus nihil de ea re, neque hoc loco neque alio ullo habet.

§. 10. *Oxyartes praetor Bactrianorum*] Codices et optimi et plurimi *Oxartes*, editiones *Oxatres*, *Oxathres*. Est hic pater Roxanes, uti collato Arriani loco modo laudato apparet, qui Arriano et Diodoro est Ὀξυάρτης. Vide ad VIII, 16. Itaque cum paulo post pro *iure amplioris imperii* in optimis libris Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC Modianisque *iure amoris amplioris imperii* legatur, contemnendum hoc non erat, sed distinctione verborum mutata punctum post vocem *finibus* ponendum. Neque enim Latine sonat *finibus Musicanis in dicionem redactis*, cum neque *fines* redigantur in potestatem, nec *fines Musicani*, sed *Musicanorum* appellentur. *Ius amoris* interpretare ius affinitatis. Qui hoc non intelligebant librarii *amoris* mendose scriptum esse pro *maioris* rati, eiecerunt aut *amplioris*, sicut legitur in Pal. 1 Bern. B Flor. EFGH *iure maioris imperii donatus est*, aut ipsum illud *maioris*, quae vulgata lectio facta est et in Flor. DI extat. Ceterum non ego illud inveni, sed, cum Modius edidisset, denuo Rubenius eam rationem commendavit in Elect. I, 29, conf. notas edit. Snakenb. ad Curt. VIII, 4, 21; interpunxerat autem rectius iam librarius codicis Flor. G et Hadr. Iunius.

§. 10. *praesidium imposuit*] Sic emendavit Iunius, vetustiores editiones et mss. omnes *imperium imposuit*.

§. 11. *Porticanus rex erat*] Audacter Aldus primus h. l. *Oxycanum* regem ex Arriani libr. VI, 16 clam introduxit, nam *Porticanus* tutus esse debebat et librorum mss. omnium auctoritate et testimonio Diodori ac Strabonis.

in arcem, qua capta Porticanus cum paucis repugnans occiditur.

13 Diruta igitur arce, et omnibus captivis venundatis,32
Sambi regis fines ingressus est; multisque oppidis in fidem
14 acceptis, validissimam gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris simile monstri visum est, rudibus militarium operum, quippe in media ferme urbe armati terra existebant, nullo
15 suffossi specus ante vestigio facto. Octoginta milia Indorum in ea regione caesa, Clitarchus est auctor, multosque
16 captivos sub corona venisse. Rursus Musicani defecerunt, ad quos opprimendos missus est Pithon, qui captum principem gentis eundemque defectionis auctorem adduxit ad regem. Quo Alexander in crucem sublato, rursus amnem, in quo classem expectare se iusserat, repetit.

17 Quarto deinde die secundo amne pervenit ad oppidum, quod in regnum erat Sambi. Nuper se ille dediderat, sed
18 oppidani detrectabant imperium, et clauserant portas. Quorum paucitate contempta, rex quingentos Agrianos moenia subire iussit, et sensim recedentes elicere extra muros ho-
19 stem, secuturum profecto, si fugere eos crederet. Agriani,

Cap. 32, §. 13. *Sambi regis*] Vulgo edd. *Sabi regis*, sed *Sambum* appellant et Graeci auctores et codices Curtiani omnes.

§. 14. *armati terra existebant*] Vocem *armati* mss. omnes exhibent, editi male omittunt. Item codices non habent *e terra* sed solum ablativum *terra existebant*, pauci Bern. B Voss. 2 Flor. DH *terra exibant*. Sic VII, 16 extr. *convivio prosiluit;* VIII, 11, 5 *abire conspectu iubet;* VIII, 23, 26 *periculi, quo evaserat, imago;* X, 7, 4 *quis* (i. e. ex quibus) *pulsi erant*.

§. 15. *Octoginta milia*] Sic cum Radero et Freinsh. scripsimus, secundum Diodorum, nam Curtiani libri omnes meliores DCCC *Indorum*, deteriores *octingenta milia*.

§. 16. *Pithon*] recte secundum Arrianum VI, 17 editur, mss. enim fere *Phiton*, alii *Phyton*, Flor. B *philoton*.

§. 17. *quod in regnum erat Sambi*] Restituimus hanc lectionem codd. mss. et editionum principum, nihil impedientes si quis velit corrigere *in regno*, sicut auctor cod. Flor. G *in regione* olim correxit. Mihi haec quasi militaris certe publice usurpata dicendi ratio videtur, sicut *in potestatem esse*, qua de re satis constat. Aldus edere coeperat *qua iter in regnum erat Sabi*, id quod ceteri editores, quamvis ineptum esse intelligerent, tamen servarunt. Nec hoc prorsus de coni. ediderat Aldus, nam in Pal. 1 et Flor. F (hic quidem e corr.) est *quod in regnum iter erat Sambi*, Bong. quoque (si codex hic est) traditur habere *quod iter in regnum erat*.

§. 18. *subire iussit*] Sic codd. omnes: edd. *iusserat*. Deinde edd. vett. et Mod. *verterunt: vertunt* nescio unde in textum venerit, quamquam habent Flor. AB, nec quicquam diversum annotat Snakenburgius. Tum *sexcenti caesi sunt* scripsimus codd. volentibus, vulgo *quingenti*.

sicut imperatum erat, lacessito hoste, subito terga vertunt, quos barbari effuse sequentes in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renovato ergo proelio, ex tribus milibus barbarorum sexcenti caesi sunt, mille capti, ceteri moenibus urbis inclusi.

33 Sed non ut prima specie laeta victoria, ita eventu 20
quoque fuit: quippe barbari veneno tinxerant gladios. Itaque saucii subinde expirabant, nec causa tam strenuae mortis excogitari poterat a medicis, cum etiam leves plagae insanabiles essent. Barbari autem speraverant incautum 21
et temerarium regem excipi posse. Et forte inter promptissimos dimicans intactus evaserat. Praecipue Ptolemaeus, 22
laevo humero leviter quidem saucius, sed maiore periculo quam vulnere affectus, regis sollicitudinem in se converterat. Sanguine coniunctus erat, et quidam Philippo genitum esse credebant, certe pellice eius ortum constabat. Idem 23
corporis custos, promptissimusque bellator, et pacis artibus quam militiae maior et clarior, modico civilique cultu, liberalis in primis, adituque facili, nihil ex fastu regiae assumpserat. Ob haec regi an popularibus carior esset, dubitari 24
poterat, tum certe primum expertus suorum animos, adeo ut fortunam, in quam postea ascendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur. Quippe non levior illis 25
Ptolemaei fuit cura, quam regis: qui et proelio et sollicitudine fatigatus cum Ptolemaeo assideret, lectum in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. In quem ut se recepit, proti- 26
nus altior insecutus est somnus. Ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam, herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset:

Cap. 33, §. 23. *adituque facili*] Sic meliores, Voss. 1 Bern. A Flor. ABC Mod. membranae, vulgo *facilis*. Tum *ex fastu regiae* ambo Bern. Leid. Flor. ABE, quod nunc recepi pro vulg. *ex fastu regio*. *Regio* pertineret ad regem Alexandrum vel Philippum, in quos privatim crimen superbiae non cadit.

§. 26. *speciem draconis oblatam*] Redundantius dixit: satis enim fuit aut *per quietem vidisse se speciem draconis*, aut *per quietem sibi oblatam esse speciem draconis*, sicut alibi dixit, III, 6 *specie, quae per somnum oblata erat*, IV, 10 *speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat*, item IV, 15 *oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis*. Hoc igitur loco utramque dicendi rationem coniunxit.

27 colorem quoque herbae referebat, agniturum, si quis repperisset, affirmans. Inventam deinde, quippe a multis simul erat requisita, vulneri imposuit: protinusque dolore finito, intra breve spatium cicatrix quoque obducta est.
28 Barbaros ut prima spes fefellerat, se ipsos urbemque dediderunt.

Hinc in proximam gentem Pataliam perventum est.34 Rex erat Moeris, qui urbe deserta in montes profugerat.
29 Itaque Alexander oppido potitur, agrosque populatur. Magnae inde praedae actae sunt pecorum armentorumque, magna vis reperta frumenti. Ducibus deinde sumptis amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alveo enatam.

IX. Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius asservati profugerant, misit qui conquirerent alios: nec repertis, pervicax cupido visendi Oceanum, adeundique terminos mundi, sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum, totque
2 fortissimorum virorum salutem permittere * Navigabant ergo omnium per quae ferebantur ignari. Quantum inde abesset mare, quae gentes colerent, quam placidum amnis os, quam patiens longarum navium esset, anceps et caeca
3 aestimatio augurabatur. Unum erat temeritatis solatium perpetua felicitas. Iam cccc stadia processerant, cum gubernatores agnoscere ipsos auram maris, et haud procul

§. 27. *Inventam deinde*] Vulgo *inventamque deinde*, sed abest copula a nostris omnibus. Ex iisdem addidi *simul* post *multis*, quod abest a paucis, Flor. quidem DI.

Cap. 34, §. 28. *gentem Pataliam*] Arrianus τὰ *Πάταλα* sive *Πάτταλα* appellat et urbem et terram (ὃ δὴ τὸ *Δέλτα* ἔφην εἶναι τὸ πρὸς τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ἰνδοῦ ποιούμενον, μεῖζον ἔτι τοῦ *Δέλτα* τοῦ *Αἰγυπτίου*, VI, 17) gentem τοὺς *Παττάλεις*, Strabo urbem τὰ *Πάτταλα*, insulam, τὸ *Δέλτα*, τὴν *παττάληνήν*. Edebatur h. l. vulgo *Pathaliam*, nos secuti sumus mss.

§. 1. *pervicax cupido visendi Oceanum*] Mutilum locum repraesentare malui quemadmodum in libris scriptis et primum impressis legitur, quam corrigere nec tamen persanare. Nam quod vulgo post Aldum editur *cupido incessit visendi* cet. primum librorum mstorum auctoritate praeterquam unius Flor. G in cuius marg. adscriptum est, destituitur, deinde nec sententiam nec constructionem verborum adiuvat. Quod Schmiederus ex cod. Theocr. edidisse se dicit: *cupido visendi — adegit ut sine reg. peritis permitteret* explet illud quidem sententiam, sed correctoris manum nimis aperte indicat. Equidem in fine excidisse arbitror verbum *coëgit*. Pro *totque* in Flor. DEF Voss. 2 Pal. 1 *totamque*, in Flor. I *totam* legitur, pro *permittere* Voss. 2 Flor. EH *permitteret*, Flor. FI *committeret* exhibent.

videri sibi Oceanum abesse, indicant regi. Laetus ille hor- 4
tari nauticos coepit, incumberent remis: adesse finem laboris omnibus votis expetitum; iam nihil gloriae deesse, nihil obstare virtuti, sine ullo Martis discrimine, sine sanguine orbem terrae ab illis capi; ne naturam quidem longius posse procedere; brevi incognita nisi immortalibus esse visuros. Paucos tamen navigio emisit in ripam, qui agre- 5
stes vagos exciperent, e quibus certiora nosci posse sperabat. Illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes repperere. Qui 6
interrogati, quam procul abesset mare? responderunt, nullum ipsos mare ne fama quidem accepisse: ceterum tertio die perveniri posse ad aquam amaram, quae corrumperet dulcem. Intellectum est, mare destinari ab ignaris naturae eius. Itaque ingenti alacritate nautici remigant, et proximo 7
quoque die, quo propius spes admovebatur, crescebat ardor animorum. Tertio iam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc aestu confundente dispares undas. Tum aliam 8
insulam medio amni sitam evecti paulo lentius, quia cursus

§. 4. *finem laboris omnibus votis expetitum*] V& *laboris* in editionibus vett. non est, male omissa, nam librum mstum in quo desideretur, repperi nullum. Primus addidit Modius. Sed plerique codd. pro *omnibus* habent *omnis* quod ad incuriam librariorum referendum videtur. Nam *votis expetitum* sic admodum ieiune diceretur: est autem *omnibus* in Flor. CDI.

Martis discrimine] *Maris* Leid. Bern. AB Flor. praeter FG omnes, mendose. Tum *nec naturam quidem* multi, sed ita ut optimi *ne — quidem* exhibeant, Bern. A Flor. A et Snak. mss. Item paulo post §. 6 ubi *ne fama quidem* certissime legitur multi libri, uti solent, *nec* exhibent, Flor. BDEFHI Bern. B.

incognita nisi immortalibus] Meorum codd. nullus mediam vocem omittit, ut omittit Voss. 2, quod si fieret orationem scriptoris ingenio aptiorem fore Snakenb. sibi parum recte persuasit. Obstat ipsa vox *immortalibus*, quod non dicitur sine reverentia quadam, cui ista ostentatio superatorum adeo Herculis Liberique patris non conveniret.

§. 6. *abesset mare*] Modius *abessent mari* edidit, quocum facit unus de meis Flor. G.

perveniri] Flor. DG *pervenire*. Tum pro *destinari* Voss. 2 et Flor. DI *designari*. Hoc loco cum *destinari* idem fere sit quod significari, facile aliquis verum esse alterum illud existimare poterit. Sed in his libris Curtianis cum *designare* nusquam legatur, mirum quam saepe *destinare* invenitur, ut hoc vel delectatum esse auctorem putemus. Hoc eodem sensu ut sit quod Cicero dicit significare, Germ. anbeuten, bezeichnen, legitur supra c. 29 *coniectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, ferre non potuit*. Alibi fere est quod nos dicimus beſtimmen, quod interdum vix discernitur a bezeichnen. Cf. IV, 33, 6.

§. 8. *insulam — evecti*] non est, ut Tellierius putat, *in insulam*, sed *praetervecti insulam*, darüber hinaus, ut post cap. 37. Alexander *os* Indi *evectus* in mare processisse narratur. Quod sequi-

ɜtu reverberabatur, applicant classem, et ad commeatus tendos discurrunt, securi casus eius, qui supervenit ıaris.

Tertia ferme hora erat, cum stata vice Oceanus ex- 35
ɜtuans invehi coepit et retro flumen urgere. Quod primo ɛrcitum, deinde vehementius pulsum, maiore impetu adver- n agebatur, quam torrentia praecipiti alveo incurrunt. ıota vulgo freti natura erat, monstraque et irae deum licia cernere videbantur. Identidem intumescens mare in campos paulo ante siccos descendere superfusum. nque levatis navigiis, et tota classe dispersa, qui positi erant undique ad naves trepidi et improviso lo attoniti recurrunt. Sed in tumultu festinatio quo- e tarda est. Hi contis navigia appellebant, hi dum nos aptari prohibebant, consederant. Quidam enavi-

paulo lentius ex emendatione Aci- i editur, nam vett. edd. *lenius*, co- ɜs plerique *levius* habent.

ırsus aestu reverberabatur] Cursum ıinis intelligendum esse contra Aci- um, qui scripsisset se non percipere ratione cursus navium reverberari posset, monuit Freinshemius; ego ıum quidem navium, sed illum se- lo amne concitatum, intelligo, ut etus amnis cogitetur. Nam *rever- ıbatur* per mss. Flor. ACEGH Bern. atis tutum est, a quibus non mul- aberrant Flor. DI *reverberabant*, *reverebatur* mendose Leid. Voss. 1 n. A Flor. B. Unus Flor. F *verbe- ır*, sed olim editi usque ad Modium, *ɛrabatur*. Iun. *remorabatur*.

ap. 35, §. 9. *stata vice*] Sic Iun., lius et recentiores secundum paucos optimos codd. Bern. A Flor. A Leid. iqui *statuta*. Mox *torrentia* subin- ɔcto flumine adiectivi naturam habet.

10. *intumescens mare et*] Si *et etiam* positum acceperis, nihil offen- in verbis. Olim Iunius correxerat *mescere*, Modius Participium resti- , Acidalius denuo correxit *intume- e*. Verum libri nostri omnes sicut li exhibent, nec aliud esse in Snak. ɔ quamquam ille eorum mentionem re h. l. oblitus est.

12. *hi dum remos aptari prohibe- bant consederant*] Haec verba non cor- rigenda, sed sic explicanda censeo: dum prohibebant ne remi aptarentur, quia contis utendum putabant, interea iam consederant, i. e. nave in sabulo fixa constiterant, ut nec contis nec remis iam opus esset. Omnis sermo hoc loco est de hominibus expositis in naves re- cipiendis. Quodsi *consederant* de nau- tis sedes suas in transtris occupantibus intelligas, eosdem remigare et noluisse et voluisse statuas, id quod, quamvis interdum ab hominibus consilii incertis fiat, vix tamen credi potest in peri- tis: sedisse vero desperantium more nihil agentes aeque absonum est. Aci- dalii emendationem *hi dum considerent*, *remos aptari prohibebant* nisi quid sub- est quod non intelligam, ridiculam puto, nec Schmiederianam: *hi contis navigia pellebant* (quemadmodum olim Modius voluerat) *dum remos aptari prohibebant*. *Consederant quidam* cet. dignam existi- mo, quae refutetur. Librorum mstorum sunt nonnullae notabiles lectiones: pri- mum pro *hi — hi* plerique *ii — ii* quod annotandum existimavi, quia raro in hanc partem a librariis peccatur, deinde *appellabant* Flor. CDI, *applicabant* Pal. 1 Bern. B Flor. FH, *pellebant* Flor. G Voss. 1. Sed quod in Voss. 2 est *pro- pellebant* ego in meorum codd. nullo inveni.

gare properantes, sed non expectatis, qui simul esse debebant, clauda et inhabilia navigia languide moliebantur: aliae navium inconsulte ruentes non receperant; pariterque et multitudo et paucitas festinantes morabatur. Clamor 14
hinc expectare, hinc ire iubentium, dissonaeque voces nunquam idem atque unum tendentium non oculorum modo usum, sed etiam aurium abstulerant. Ne in gubernatori- 15
bus quidem quicquam opis erat, quorum nec exaudiri vox a tumultuantibus poterat, nec imperium a territis incompositisque servari. Ergo collidi inter se naves, abstergeri- 16
que invicem remi, et alii aliorum navigia urgere coeperunt. Crederes non unius exercitus classem vehi, sed duorum navale inisse certamen. Incutiebantur puppibus prorae; pre- 17
mebantur a sequentibus, qui antecedentes turbaverant; iurgantium ira perveniebat etiam ad manus.

36 Iamque aestus totos circa flumen campos inundaverat, 18
tumulis dumtaxat eminentibus, velut insulis parvis; in quos plerique trepidi, omissis navigiis, enare properant. Dispersa 19
classis partim in praealta aqua stabat, qua subsederant valles; partim in vado haerebat, utcunque inaequale terrae

§. 13. *inconsulte ruentes non receperant*, subintellige *omnes*: receperant quotquot capere potuerant, et plures quam opus erat, ut iam idem fere sensus existat ac si fuisset *non capiebant*. Nam recipere per se non ponitur pro capere hac quidem significatione qua nostro faſſen respondet.

§. 14. *nunquam idem atque unum tendentium*] Vulgo *nusquam idem ac unum*, quod correximus nostrorum codicum fere omnium, certe optimorum consensu. Nam *nusquam* de nostris in Flor. G, *ac* in Flor. DEHI inventum est. Accusativi eadem ratione cum verbo neutro coniuncti sunt, qua saepe *hoc*, *id contendo* legimus.

§. 16. *abstergerique* codicum auctoritate praestat alteri lectioni librorum Flor. EFH Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *abstergique*, nec Cicero, cum simplex *tergunt* scripserit, compositum tamen *abstergebis* ad Quint. fr. 2, 10 extr. dubitavit ponere. Cf. gramm. nostr. §. 177. Quod Modius in suis se membranis invenisse dicit nec edidit *impingique* id ego e nullo meorum enotatum repperi, sed Flor. DI *astringereque*, quod ad *abstergeri* pertinet.

Cap. 36, §. 18. *enare properant*] Vulgo *enare coeperunt*. Nos et Modium secuti sumus et consensum librorum nostrorum et a Snakenb. collatorum. In praegressis vox *trepidi* omittitur a Flor. CEFH Pal. 1 Voss. 2 (non Bern. B si fides habenda ei qui contulit).

§. 19. *partim in vado haerebat*] Codd. fere praeter Bern. A Flor. DEI *haerebant*. Hoc mendosum, sed quod sequitur *reciprocari* omnino recipiendum fuit pro vulg. *reciprocare*, praesertim cum in mss. omnibus praeter Flor. DI legatur. Plin. nat. hist. IV, 27 *aestus semper e Ponto profluens numquam reciprocatur*, i. e. redit, remeat. Eo sensu forma activa minus frequens videtur fuisse.

fastigium occupaverant undae: cum subito novus et pristino maior terror incutitur. Reciprocari coepit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus, reddebatque terras paulo ante profundo salo mersas. Igitur destituta navigia alia praecipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi sarcinis, armis, avulsarum tabularum remorumque fragmentis. Miles nec egredi in terram, nec in nave subsistere audebat, identidem praesentibus graviora, quae sequerentur, expectans. Vix quae perpetiebantur videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in amni mare. Nec finis malorum. Quippe aestum paulo post mare relaturum, quo navigia allevarentur, ignari, famem et ultima sibimet ominabantur. Beluae quoque fluctibus destitutae terribiles vagabantur.

37 Iamque nox appetebat, et regem quoque desperatio salutis aegritudine affecerat. Non tamen invictum animum curae obruunt, quin tota nocte persideret in speculis, equitesque praemitteret ad os amnis, ut, cum mare rursus exaestuare sensissent, praecederent. Navigia quoque et lacerata refici, et eversa fluctibus erigi iubet, paratosque esse et intentos, cum rursus mare terras inundasset. Tota ea nocte inter vigilias adhortationesque consumpta, celeriter et equites ingenti cursu refugere, et secutus est aestus.

§. 21. *in nave subsistere*] Vidit Schefferus quod priorum editorum oculos fugit, pro vulgata omnium codicum scriptura *in naves* scribendum esse deleta littera *s*, confinio proximae vocis nata, *in nave*. Ubi medicina tam facilis suppetit, quis de exceptionibus quae et rarae et alterius generis sunt, loqui velit?

§. 22. *Nec finis*] *fines* omnes codices nostri et Leid. Voss. 2 apud Snak.

Cap. 37, §. 23. *persideret in speculis*] Libri editi *praesideret*, scripti *persideret*. Nec dubium est, utris fides habenda sit, quandoquidem praesidendi verbum h. l. non habet quo referatur. Modius quidem in suis membranis omnibus *persederet*, littera primitivi vocabuli non mutata, esse notavit: ego meos variare non inveni nec tantum illi in his levioribus credo.

praecederent edidi pro vulg. *procederent*, cui hic locus non est aptus, nam *procedere* equites, cum ad maris littus venerant, non amplius poterant, itaque fuit etiam qui *retrocederet* vellet, sed *praecedere* debebant maris aestum. Estque idem discrimen verborum quod nostrates faciunt inter vorgehen et vorhergehen. Codices autem longe plures *praec.* quam *procedere* exhibent, nimirum de nostris Flor. DFGHI (E *praetenderent*) et Snak. Leid. Voss. 1 (quod fateor me mirari). Sed in hac quidem varietate vix vulgarium codicum expectanda est auctoritas.

§. 24. *et lacerata*] Addidi *et* iubente codicum consensu.

Qui primo aquis leni tractu subeuntibus coepit levare navigia, mox totis campis inundans etiam impulit classem. Plaususque militum nauticorumque, insperatam salutem im- 26
modico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat. Unde tantum redisset subito mare? quo pridie refugisset? quaenam esset eiusdem elementi natura, modo discors, modo imperio temporum obnoxia? mirabundi requirebant. Rex cum ex eo, quod acciderat, coniectaret, post solis 27
ortum statum tempus esse, de media nocte, ut aestum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxit. Evectusque os eius quadraginta stadia processit in mare, tandem voti sui compos; praesidibusque et maris et locorum diis sacrificio facto, ad classem rediit.

38 Hinc adversum flumen subit classis, et altero die ap- 1
pulsa est haud procul lacu salso, cuius incognita natura plerosque decepit temere ingressos aquam. Quippe scabies corpora invasit, et contagium morbi etiam in alios vulgatum est. Oleum remedio fuit. Leonnato deinde praemisso, 2

§. 25. *totis campis inundans*] Codd. Snakenb. et nostri praeter Flor. CG *inundantes* mendose. Ceterum *totis campis* non dativos esse sed ablativos censeo, sicut etiam apud Livium VIII, 24 *imbres continui, campis omnibus inundantes*; nam *inundare* ubi casum aliquem regit, accusativum adsciscit, sed dicitur etiam sine casu pro *effundi, stagnare*.

§. 26. *eiusdem elementi*] *eiusdem mentis* Leid. Voss. 1 Bern. A. Item Modius aut *mentis* aut *motus* in suis membranis exhiberi tradit.

§. 27. *statum tempus*] Sic inde ab Iunio vulgo editur, et legitur in Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. AC: reliqui *statutum*. Tum *media nocte*, quod ab Iunio inde editur, in uno Flor. G inventum est, in reliquis aut *ex* est aut *et; ex* deteriores et Ald., *et* meliores cum edd. princ. habent. Sed neutrum probari potest, emendavi *de media nocte*. Nam ne quis fallatur *ex* quamvis similem significationem habeat, dicitur tantum de eo quod ex eo inde tempore usque ad certum tempus fit, non simpliciter idem valet quod *post*.

et maris et locorum] Duplex *et* in libris mss. omnibus exhibetur, pauci *que* in *praesidibusque* omittunt, Flor. DI Voss. 2.

Cap. 38, §. 1. *subit classis*] Vulgo *subiit*, sed non videtur illa scriptura optimorum codicum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC contemnenda esse, quamquam Praeteritum *appulsa est* sequitur. Nam illud perpetuum aliquid per certum temporis spatium significat, hoc quod semel factum est. Idem usu venit paulo post, ubi pro vulgato *substitit* e Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABG dedi *subsistit*.

incognita natura] Sic msti omnes, editi *ignota*.

contagium] Operae pretium videtur propter Cortium ad Sall. Cat. 10 ut Marii Victorini verba p. 2469 Putsch. huc transscribam: „*Contagio* apud omnes fere veteres (i. e. imprimis ap. Ciceronem) scripta est nominativo casu, ut *obsidio* quoque et *oblivio*, sed poetarum licentia primum fecit *contagia* et *oblivia*, postea dici coepit *oblivium*, et *obsidium*, et *contagium*.“ Singularis igitur *contagium* apud argenteae aetatis prosarios scriptores et paulo rarius invenitur.

ut puteos foderet, qua terrestri itinere ducturus exercitum videbatur, quippe sicca erat regio, ipse cum copiis subsistit, vernum tempus expectans. Interim et urbes plerasque condidit. Nearcho atque Onesicrito nauticae rei peritis imperavit, ut validissimas navium deducerent in Oceanum, progressique quoad tuto possent, naturam maris noscerent: vel eodem amne, vel Euphrate subire eos posse, cum reverti ad se vellent.

Iamque mitigata hieme, et navibus, quae inutiles vide-39
bantur, crematis, terra ducebat exercitum. Nonis castris in regionem Aboriton, inde totidem diebus in Cedrosiorum

§. 2. *urbes plerasque condidit*] Nescisse videtur Freinshemius *plerosque* dici apud Curtium pro *plurimis*, alioquin in ipsis verbis nihil invenisset quod difficile esset ad explicandum. Verum auxit haud dubie rem Curtius, nec tamen adducor ut ab eo profectum censeam quod coniecit Freinshem. *urbes portusque.*

§. 3. *Nearcho atque Onesicrito*] Illi praefecto s. *ναυάρχῳ*, huic gubernatorum principi s. *ἀρχικυβερνήτῃ*. Uterque ea de re litteris prodidit, Onesicritus in libris, quos de Alexandri expeditionibus conscripsit, ita ut miracula consectaretur, Nearchus in libro navigationis Indicae (*παράπλῳ*) cuius multa excerpta servavit Arrianus in Indicis, vere atque incorrupto iudicio.

Cap. 39, §. 5. *in regionem Aboriton*] Sic nomen gentis codd. exhibent, nisi quod in paucis *aboridon*, *oboridon* est; edit. princ. *aboricon*. Aldus fecit *Arabitarum*, quae posthac vulgata facta est. Quod sequitur *totidem diebus in Cedrosiorum perventum est*, sic item librorum mss. consensu iubente, deleta quae vulgo repetitur voce *regionem*, exhibui. Verum haec leviora, gravius vitium ipsius auctoris est, neque librorum praesidio tollendum, quoniam non unius Curtii, sed illi cum Diodoro commune est. Nam apud utrumque scriptorem importuna duobus locis *Cedrosiae* facta est mentio. Diodorus lib. XVII, c. 104 initio expeditionis regem dicit *τοὺς ὀνομαζομένους Ἀρβίτας* (*Ἀμβρίτας* alii libri) *καὶ τοὺς τὴν Κεδρωσίαν οἰκοῦντας* in dicionem recepisse, deinde *Ὠρίτας* subiecisse, tum iterum per Cedrosiam *παρὰ θάλατταν* iter fecisse, denique *εἰς χώραν ἔρημον* processisse, postremo exantlatis miseriis in *χώραν οἰκουμένην* pervenisse. Secundum Curtium eadem ratione Alexander primum in regionem *Aboriton*, sive quod aliud illi genti nomen est, intrat, deinde *Cedrosiam* recipit, tum *Horitas* subigit, sequuntur *Indi maritimi*, denique exercitus in *Cedrosiae* cultae fines perducitur. Apparet eandem esse utriusque scriptoris rationem (nam quas partes Diodorus Cedrosiam *παραθάλασσον* et *τὴν ἔρημον* vocat, eas Curtius coniunxit latiore nomine Indorum maritimorum) sed utramque falsam et perversam. Verius Arrianus primam gentem dicit *Arabitarum* circa amnem Arabium, alteram *Oritarum*, tertiam regionem amplam *Gadrosiae*, cuius principem urbem Puram finem aerumnarum fuisse tradit. Sed ne illorum quidem auctorum, praecipue Curtii, narrationem quicquam ab Arriano diversam esse patet, si verum est quod Schmiederus annotavit, apud Diodorum et Curtium per negligentiam et rerum inscitiam duplicem narrationem, alteram breviorem alteram longiorem coniungi, quo fieri ut Cedrosia bis commemoretur. Nimirum si accuratiorem itineris narrationem a verbis „*Quinto hinc die venit ad flumen Arabum*“ incipere statuis, iustam veramque expeditionis descriptionem inde ab insula Pattala usque ad regiam Cedrosiorum habebis. Hinc factum est ut corruptum nomen *Aboriton* corrigere noluerim, quod iure dubitari potest utrum *Arabitae* in eo lateant, quos Ar-

perventum est. Liber hic populus concilio habito dedidit se, nec quicquam deditis praeter commeatus imperatum est. Quinto hinc die venit ad flumen: Arabum incolae appellant. 6
Regio deserta et aquarum inops excipit: quam emensus in Horitas transit. Ibi maiorem exercitus partem Hephaestioni tradidit, levem armaturam cum Ptolemaeo Leonnatoque partitus est. Tria simul agmina populabantur Indos, magnae- 7
que praedae actae sunt: maritimos Ptolemaeus, ceteros ipse rex, et ab alia parte Leonnatus urebant. In hac quoque regione urbem condidit, deductique sunt in eam Arachosii.
40 Hinc pervenit ad maritimos Indos. Desertam vastam- 8
que regionem late tenent, ac ne cum finitimis quidem ullo commercii iure miscentur. Ipsa solitudo natura quoque 9
immitia efferavit ingenia: prominent ungues nunquam recisi; comae hirsutae et intonsae sunt. Tuguria conchis et cete- 10
ris purgamentis maris instruunt. Ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, et maiorum quoque beluarum, quas fluctus eiecit, carne vescuntur. Consumptis igitur alimen- 11
tis, Macedones primo inopiam, deinde ad ultimum famem sentire coeperunt, radices palmarum, namque sola ea arbor

rianus appellat, an *Horitae*, quos Curtius paulo post ipse describit. Certum est terminationem eius nominis Graecam (*ων* non *arum*) voluisse auctorem, de qua cf. Schneid. Gr. lat. p. 34. *Cedrosii* etiam constanter in libris mss. et vett. edd. nominantur.

§. 6. *Arabum incolae appellant*] Sic Aldus emendaverat, in libris eni[illegible] mss. *barbarum* legitur, sed consentiunt scriptores in hoc vel simili certe nomine, cuius stirpem hodie quoque in nomine promontorii Arabah servatam volunt geographi.

Horitas Flor. ABC exhibent, *Noritas* appellant Flor. G Bern. A Leid. Voss. 1, reliqui *mocidas*, *mocitas*: sed constat de Graeco nomine *Ὡριτῶν* vel *Ὡρειτῶν*. Vide Wesseling. ad Diod. l. l. *Cedrosiam* denique scripsi quia sic constanter libri Curtiani, etiam Diodorus *Κεδρωσίαν*, Arrianus *Γαδρωσίαν*.

§. 7. *in eam Arachosii*] Coniunctis vocibus monstrum verbi extitit in multis codd. *inamarachosii*. Urbem illam conditam loco opportuno ad mare, ubi Horitarum vicus fuit *Rhambacia*, tradit Arrian. VI, 21 extr.

Cap. 40, §. 8. *ad maritimos Indos*] Describuntur quos Nearchus apud Arrian. in Indicis c. 29 Ichthyophagos appellat, sed coniungit Curtius etiam desertam Cedrosiae partem.

§. 10. *quas fluctus eiecit*] Vulgo *eicit*, nos codicum nostrorum consensum praeter Flor. D sequimur.

§. 11. *radices palmarum*] Intelligere video interpretes de palmis frugiferis, *ταῖς βαλανηφόροις*: quin etiam Strabo XV, p. 722 multis palmarum fructus ac medullam saluti fuisse tradit. Curtius aliter et haud dubie rectius intellexit de frutice agresti, humili, qui palma et ipse vocatur, sed fructum non fert, stirpem tantum habet et radicem edules, quibus in fame etiam Siculi nautae vescebantur apud Ciceronem in Verr. V, 33, 87 et 38, 99: invenitur enim ille

gignitur, ubique rimantes. Sed cum haec quoque alimenta defecerant, iumenta caedere aggressi, ne equis quidem abstinebant; et cum deessent quae sarcinas veherent, spolia de hostibus, propter quae ultima Orientis peragraverant, cremabant incendio. Famem deinde pestilentia secuta est: quippe insalubrium ciborum novi suci, ad hoc itineris labor et aegritudo animi, vulgaverant morbos, et nec manere sine clade, nec progredi poterant: manentes fames, progressos acrior pestilentia urgebat. Ergo strati erant campi paene pluribus semivivis, quam cadaveribus. Ac ne levius quidem aegri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum itineris festinando praeciperent. Igitur qui defecerant notos ignotosque ut allevarentur orabant: sed nec iumenta erant, quibus excipi possent, et miles vix arma portabat, imminentisque et ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo saepius revocati, ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa. Illi relicti deos testes, et sacra communia, regisque implorabant opem, cumque frustra surdas aures fatigarent, in rabiem desperatione versi, parem suo exitum, similesque ipsis amicos et contubernales precabantur.

Rex, dolore simul ac pudore anxius, quia causa tan-41
tae cladis ipse esset, ad Phrataphernen Parthyaeorum sa-

frutex locis incultis etiam in Siciliae ora meridionali frequentissime. Cf. quae annotavimus ad Ciceronis Verrinas l. l. Quodsi palmae frugiferae in illis Cedrosiae locis fuissent, nullum erat a fame periculum. Porro cur radices quaererent Macedones, si arbores in oculos incidissent? Quod autem ipse Curtius *eam arborem* dicit, generali appellatione utitur.

§. 12. *defecerant*] *deficerent* Flor. CG, *defecerunt* Flor. F.

§. 14. *festinando praeciperent*] Vulgo *praeriperent*, melioribus codicibus refragantibus Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB aliis. *Iter praeripere* vix poëtam deceret, *praecipere* Livius saepe dixit. Cf. quae supra monuimus ad IV, 60, 3.

§. 15. *imminentisque et ipsis*] Codd. *ipsius*, quod intelligi nequit, itaque iure olim emendatum est. Sed *et* pro vulg. *etiam* e plerisque libris mstis et Curtiana consuetudine restituimus. Nam *etiam* non est nisi in Flor. DI, abest prorsus sive *etiam* sive *et* a Flor. CEFH Bern. B: item *que* abest a Flor. EFH Bern. B Pal. 1 Voss. 2.

§. 16. *et sacra communia*] Coniunctionem quam elegantior dicendi usus postulat addidimus e codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB aliis multis. Pro *communia* libri deteriores *omnia* exhibent Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1, errore satis perspicuo.

Cap. 41, §. 17. *ad Phrataphernen Parthyaeorum satrapen*] In edd. princ. *Par-*

trapen misit, qui iuberet camelis cocta cibaria afferre: alios finitimarum regionum praefectos certiores necessitatis suae fecit. Nec cessatum est ab his. Itaque fame dumtaxat 18
vindicatus exercitus tandem in Cedrosiae fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua stativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret. Hic Leonnati lit- 19
teras accepit, conflixisse ipsum cum octo milibus peditum et trecentis equitibus Horitarum prospero eventu. A Cratero quoque nuntius venit, Ozinen et Zariaspen, nobiles Persas, defectionem molientes oppressos a se, in vinculis esse. Praeposito igitur regioni Sibyrtio, (namque Menon 20
praefectus eius nuper interierat morbo,) in Carmaniam ipse processit. Aspastes erat satrapes gentis, suspectus res 21

thinorum legitur, Aldus fecit *Parthorum*, sed Curtius illam gentem quae Parthyenen a Graecis et ab ipso *Parthienen* dictam incolebat, non Parthos vocat. Vide IV, 45, 11. Hoc quidem loco plerique codd. *Parthienorum*, pauci *Parthinorum* habent, verum Bern. A et Flor. A *Parthynorum*, Flor. B *partynorum*. Ex quo olim scribendum putavi *Parthyenorum*, nunc *Parthyaeorum* puto, sicut iam dedi IV, 45. Ceterum ad rem conferri iubet Schmiederus Arrian. VI, 27, unde intelligitur Alexandro in Caramania iam versanti praesto fuisse cum aliis *ὑπάρχοις* Pharismanen Phratapherne filium cum commeatu et iumentis non arcessitum regis litteris, sed sua sponte cum illis copiis, quod earum usum fore praevidisset, profectum.

cocta cibaria] Sic Bern. A Flor. A de nostris Flor. DGI *coacta*, reliqui *tota*.

alios finitimarum] Vulgo *alios quoque* additur, invitis codd., nam in uno tantum Flor. G est *aliosque*, in ceteris nulla particula. Nec ea videtur opus esse, quae est in sermone Latino natura pronominis *alius*. Ponitur enim in rerum enumeratione in fine pro *alius denique*, hoc autem loco eam ob causam offendit, quod unum tantum nomen praecessit. Verum ad finem properat narratio.

§. 18. *fame dumtaxat vindicatus*] Heinsius *a fame* malebat, non iniuria, quia vix puto inveniri posse locum ubi solus ablat. cum *vindicare* coniungatur.

sola fertilis] Modius *solo* correxit ineleganter, melius Acidalius *solo fertili*, aut Sebisius *soli fertilis*. Tu interpretare sola e regionibus in isto terrarum tractu.

§. 19. *et trecentis equit. Horitarum*] Vulgo *quingentis* editur, sed adversus consensum librorum mss., peditum numerum augent Flor. CEFH Bern. B Voss. 2 *novem milia* exhibentes. *Horitae* sunt in aliis *Moritae*, verum eundem esse populum, cuius supra mentio facta est, apparet ex Arriani lib. VII, 5. Rebellaverant digresso rege, sed victi sunt a Leonnato cum copiis relicto.

Ozinen et Zariaspen Graeca terminatione cum Snakenburgio scripsi auctoribus in illo Florentinis AB, in altero Flor. G, in utroque Bern. A, quo quia tum non utebar in priore edit. servaram *Zariaspem*. Unum, qui defecerat ab Alexandro, nominat Arrian. 6, 27 *Ὀξείνην*. Verum igitur nomen fortasse est in Flor. FH Bern. B Pal. 1 *Orzines*.

§. 20. *Sibyrtio*] Hoc nomine vocatur ab Arriano l. l., in libris Curtianis plerisque *Siburtio* est, in Flor. DFI *niburtio*.

§. 21. *Aspastes*] De hoc nomine non liquet, nam Graecorum scriptorum nemo mentionem eius facit. Codd. Leid. Flor. A *Aspartis*, (infra *Apastris*) Bern. A Flor. B *Aspastis*, ceteri *Apatis*. Mox *dum in India rex est* Modius edidit pro vulg. *esset* nosque recepimus nunc auctoribus Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A.

22 novare voluisse, dum in India rex est. Quem occurrentem, dissimulata ira comiter allocutus, dum exploraret quae delata erant, in eodem honore habuit.

Cum inde praefecti, sicut imperatum erat, equorum42
iumentorumque iugalium vim ingentem ex omni, quae sub imperio erat, regione misissent, quibus deerant impedimenta,
23 restituit. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum: quippe haud procul a Perside aberant, non pacata modo,
24 sed etiam opulenta. Igitur, ut supra dictum est, aemulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportaverat, sed etiam famam, sive illud triumphus fuit ab eo primum institutus, sive bacchantium lusus, sta-
25 tuit imitari, animo super humanum fastigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet, liminibus aedium crateras vino repletas et alia eximiae magnitudinis vasa disponi; vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari,
26 alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici et cohors regia, variis redimita floribus coronisque; alibi tibicinum cantus, alibi lyrae sonus audiebatur: item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis comissabundus exercitus, armis, quae maxime decora erant, circumpenden-

Cap. 42, §. 22. *Cum inde praefecti*] Vulgata lectio *cum Indiae praefecti* ab Aldo e codicibus illa quidem, sed tamen deterioribus ducta est. Nam meliores *inde* exhibent Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB (contrarius error supra notabatur VIII, 41, 3), in aliis *Indi* legitur, pauci *Indiae* Flor. quidem DFGI. Sed de India non cogitandum esse ratio evincit. Verborum constructio mutata, cum deberet *Inde cum*, corruptelae videtur causa fuisse.

§. 24. *bacchantium lusus*] *luxus* Flor. FH Pal. 1 Bern. B, *usus* Leid.

§. 25. *crateras vino repletas*] Femininum genus tuentur codd. nostri omnes, item Snakenburgiani et Pal. 1 ut iam tuto etiam in prosa oratione possis forma *cratera* uti. Nam supra lib. IV, 34 extr. de ea dubitavit Freinshemius. Cf. quae annotavi ad Cic. in Verr. lib. IV, c. 59. Vulgo autem *repletos* editur. *Craterras* scribi propter longam vocalem in Voss. 1 Flor. A, *cratheras* propter Graecam originem in Flor. FGH non mirum est.

§. 26. *tibicinum cantus*] Recte *tibicinum* pro vulg. librorum et editorum et mss. lectione *tubicinum* Freinshemium emendasse censeo, nam tuba militaris in illis deliciis locum non habebat, neque *σαλπίγγων* sed *αὐλῶν* mentio fit ab Arriano et Plutarcho. Adiuvat nunc etiam Flor. codex E et Bern. B. Pro *item* quod sequitur, Schefferus *tum* maluit, ut referretur ad id quod antecedit *primi*, quo equidem non puto opus esse. Nam quod *item* dicit mihi quidem significare videtur etiam priores illos in vehiculis fuisse, non aut pedibus aut equis iter fecisse.

tibus. Ipsum convivasque currus vehebat, crateris aureis eiusdemque materiae ingentibus poculis praegravis. Hoc 27
modo per dies septem bacchabundum agmen incessit, parata praeda, si quid victis saltem adversus comissantes animi fuisset: mille hercule, viri modo et sobrii, septem dierum crapula graves in suo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quae rebus famam pretiumque constituit, hoc 28
quoque militiae probrum vertit in gloriam. Et praesens aetas et posteritas deinde mirata est, per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos, barbaris, quod temeritas erat, fiduciam esse credentibus. Hunc apparatum carni- 29
fex sequebatur: quippe satrapes Aspastes, de quo ante dictum est, interfici iussus est. Adeo nec luxuriae quic- 30
quam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.

§. 27. *parata praeda*] Miror in nullo codice esse, quod in omnibus esse debebat, *parata* pro vulg. *parta*, quamquam haec verba alibi fere solent a librariis permutari. Recte emendasse Palmerium ac recepisse Modium non puto cuiquam esse dubium, nam *parta* praeda Macedonibus erat, ipsi Macedones *parata*, si quis ea potiri ausus esset. Iisdem verbis usus est Curtius IV, 53, 11.

§. 28. *hoc quoque* elegantius quam vulg. *hic quoque* libri nostri omnes exhibent, quocirca magis miror Snakenburgium silere de suis.

§. 30. *nec luxuriae*] Codd. omnes praeter Vossianos, qui non commemorantur, *ne*, nec tamen ullus deinde *quidem*, quod videtur librariis obversatum esse.

Q. CURTII RUFI

DE

GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER X.

ARGUMENTUM.

(1) Item Cleander ceterique praefecti copiarum, quae in Media relictae fuerant, evocati, scelerum et flagitiorum in provincia admissorum poenas dederunt. (2) Nearchus et Onesicritus litora Rubri maris legentes cum in regionem Carmaniae venissent, relictis navibus ad regem ascendunt, et referunt de mirabilibus Oceani. Ille ad classem remissos per sinum Persicum et Euphratis ostia Babylonem penetrare iussit, (3) eodemque tempore longinqua consilia agitans, ut in Euphrate et mari medio ingens classis aedificaretur imperavit.

(4) Cum Persagada venisset, Orsines, satrapa regionis, et regi et regis amicis praeter unum Bagoan maxima dona obtulit. Quam ob causam eum spado apud regem criminatus, (5) cum data occasione etiam crimine spoliati Cyri sepulcri et regni appetiti insimulasset, perfecit, ut supplicio afficeretur, iam ad saevitiam contra pristinum morem inclinante Alexandro.

(6) *Auctor deinceps de Graeciae motibus (et itinere regis usque Susa continuato) et Harpali fuga exposuerat, sed lacuna hoc loco est, a Io. Freinshemio secundum ea, quae Diodorus tradidit, (quod ad Harpalum quidem pertinet) expleta.* (7) Nam cum Alexander ob receptum Harpalum bellum inferre Atheniensibus decrevisset, illum interim Athenis eiectum et a Graecis militibus, quos mercede conduxerat, interfectum cognovit. Itaque bello omisso imperavit tamen, ut exules in civitates suas reciperentur, cui edicto cum ceteri parerent, Athenienses refragabantur. (8) Susis *(vere a. a. Chr. nat. 324.)* cum stativa haberet rex *(nam sic videtur cum Diodoro narrasse Curtius, longe aliter atque Arrianus, qui eandem rem Opi ad Tigrim accidisse tradit)* maiorem partem veteris exercitus dimisit, soluto prius liberalissime militum aere alieno. (9) Sed cum Macedones regem in Asia remanere velle intellexissent, seditione orta, missionem omnes obstinati postulare incipiunt, nec regis admonitione mutantur. (10) Tum ille graviter eos increpat, et deserto rege suo domum redire iubet: Asiaticis se militibus contentum fore. (11) Cumque desiluisset de tribunali, concitatores aliquos manu comprehensos abducit, ceteris admiratione ac dolore torpentibus, nec

poenitentia exercitus movetur. (12) Quin etiam Asiaticorum militum contione advocata, eorum se posthac opera usurum dicit, quos ne initio quidem servorum, sed civium loco habuerit. (13) Quo facto Macedones maerentes totos se regi dedunt puniendos utcunque velit. *Sed maxima hinc lacuna est elegantissimi operis, quam collectis omnibus, quae apud reliquos auctores, imprimis Arrianum, Diodorum, Plutarchum, leguntur, sarcire conatus est idem Freinshemius, docte quidem hercle, sed ita ut facile sentias, quantum inter veterem eloquentiam et nostram eruditionem intersit discrimen.*

(14) Alexander morti proximus a toto exercitu, dum singuli milites, ultimum illum visuri, praetereunt lectum, persalutatur, nec multo post extinguitur. *(undecimo die mensis Iunii a. a. Chr. nat. 323, cum vixisset annos 32 menses octo, Olymp. 114, 1. extr. Archonte Hegesia.)* (15. 16) Summo maerore et Macedones et Persae affliguntur, simul cura, quid deinde sit futurum. (17) Imprimis Sisygambis, Darei mater, casum hunc graviter fert, ac voluntariam mortem obit. (18) Auctor Alexandri virtutes ipsius naturae proprias, vitia fortunae aut aetatis fuisse exponit.

(19) Convocatos duces, affluente etiam multitudine militum, Perdiccas *(praefectus equitum amicorum sive Macedonicorum)* consulit, quem interim dum Alexandri speratus e Roxane filius adoleverit, rebus praeesse velint. (20) Proponuntur diversae sententiae, Nearchi, ut Alexandri e Barsine *(Memnonis Rhodii vidua, apud Damascum capta, vid. Curt. lib. 3 extr.)* filius Hercules rex declaretur, Ptolemaei, ut concilium principum virorum quasi mortui regis nomine rempublicam administret, Aristoni denique, ut ad Perdiccam, quem ipse Alexander anulo tradito successorem sibi destinaverit, imperium deferatur. Illud quidem deprecatur ipse Perdiccas. (21) Meleager autem *(vetus dux agminis peditum Macedonicorum)* reprehensis omnibus, imprimis opus esse censet, ut thesauri regii dividantur, et ipse ad eos diripiendos erumpit. (22) In ea turba unus Macedonum Arrhidaeum, Alexandri fratrem, praetereundum esse negat, ad eamque sententiam, frustra dissuadente Pithone, vulgus Macedonum inclinat. Arrhidaeus a Meleagro adducitur, rexque Philippus salutatur. (23) Verum principes in nomen filii Alexandri e Roxane futuri iurant, tutoresque ei destinant Perdiccam et Leonnatum. Phalanx pro Philippo arma capit, (24) et pugna fit circa corpus regis, aegre in praesens composita. Equitum magna pars ex urbe fugit, (25) ad quos etiam Perdiccas, cuius vitae nomine regis Philippi abusus Meleager insidiatus esset, sese recipit. (26) Milites perturbati, quod ab equitibus commeatu intercludebantur, (27) perficiunt, ut legati de restituenda concordia mittantur. Tandem ita convenit, ut (ambo reges essent, cum Philippo futurus e Roxane filius Alexandri) et tutoribus tertius adderetur Meleager.

(28) Neque tamen diuturna haec fuit consensio, sed cum fata ita ferrent, ut maximum imperium, cui plures praeesse vellent, bellis civilibus dilaberetur, mox Perdiccas consilia de tollendo Meleagro agitare coepit. (29) Eius instinctu in sollemni lustratione exercitus rex trecentos milites, qui cum Meleagro seditionem orsi erant, trucidari iubet: mox ipse Meleager occiditur. (30) Tum de communi consilio provinciae inter principes duces ita distribuuntur, ut summa res penes reges et Perdiccam, eorum tutorem, esset. (31) Corpus Alexandri septimo demum die curatum a Ptolemaeo in Aegyptum, Alexandriae condendum, deducitur. Veneno illum necatum fuisse ab Iolla, Antipatri filio, tum quidem fama percrebruerat, mox propter potentiam illius familiae elanguit.

1 Iisdem fere diebus Cleander et Sitalces et cum Aga- 1
thone Heracon superveniunt, qui Parmenionem iussu regis

occiderant, quinque milia peditum cum equitibus mille. Sed et accusatores eos e provincia, cui praefuerant, sequebantur; nec tot facinora, quot admiserant, compensare potebrant caedis perquam gratae regi ministerio. Quippe cum omnia profana spoliassent, ne sacris quidem abstinuerant, virginesque et principes feminarum, stupra perpessae, corporum ludibria deflebant. Invisum Macedonum nomen avaritia eorum ac libido barbaris fecerat. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem constupratam servo suo pellicem dederat. Plerique amicorum Alexandri non tam criminum, quae palam obiiciebantur, atrocitatem, quam memoriam occisi per illos Parmenionis, quod tacitum prodesse reis apud regem poterat, intuebantur, laeti reccidisse iram in irae ministros, nec ullam potentiam scelere quaesitam cuiquam esse diuturnam. Rex cognita causa pronuntiavit, ab accusutoribus unum et id maximum crimen esse praeteritum, desperationem salutis suae: nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum. Igitur hos quidem vinxit, DC autem militum, qui saevitiae eorum ministri fuerant, interfici iussit. Eodem die sumptum est supplicium de iis quoque, quos auctores defectionis Persarum Craterus adduxerat.

Haud multo post Nearchus et Onesicritus, quos lon- 2

Lib. X. cap. 1, §. 1. *quinque milia ped.*] Ducum nominibus adiungit quasi per appositionem copias, quas illi adduxerant. Ea pars copiarum partim relicta fuerat, partim subinde collecta Ecbatanis. Cf. supra VII, 8 sq.

§. 3. *ne sacris quidem*] Codd. vitiose *nec* praeter paucos, ut Voss. 1 Flor. E.

§. 6. *occisi per illos Parmenionis*] Sic libri nostri omnes et Snak. Voss. 1 et 2 (Leid. non commemorat): vulgo *per eos.* Mox *reccidisse* Bern. A eodemque pertinens Leid. *rectidisse.* Vide Schneideri Elem. L. L. p. 586.

quod tacitum] Fuerunt qui *tacite* mallent, sed *tacitum* elegantius videtur. Meritum enim illud, quamvis eius mentio nulla fieret, tamen re ipsa loquebatur. Est enim aeque *tacitum* quod non loquitur, atque de quo non loquuntur homines. *Tantum* quod Tellierius voluit et ego in Flor. G inveni, ieiunum est.

§. 7. *nunquam enim talia ausuros*] scil. *fuisse*, quam ellipsin non inveni nisi apud Tacitum, sed apud eum quidem plus semel Annal. II, 31 extr. II, 73. IV, 18. XI, 3. XV, 16. Hist. II, 37 extr.

§. 8. DC *autem militum*] Unus codex Voss. 2 *milites.* Tu cf. ad VI, 19, 26.

Cap. 2, §. 10. *Nearchus et Onesicritus*] Vide Arrianum VI, 28 qui Near-

gius in Oceanum procedere iusserat, superveniunt. Nun- 11
tiabant autem quaedam audita, alia comperta: insulam ostio amnis subiectam auro abundare, inopem equorum esse: singulos eos ab iis, qui ex continenti traiicere auderent, singulis talentis emi. Plenum esse beluarum mare: aestu 12
secundo eas ferri magnarum navium corpora aequantes, truci cantu deterritas sequi classem, cum magno aequoris strepitu, velut demersa navigia, subisse aquas. Cetera 13
incolis crediderant, inter quae, Rubrum mare non a colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari: esse haud procul a continenti insulam palmis fre- 14
quentibus consitam, et in medio fere nemore columnam eminere, Erythri regis monumentum, litteris gentis eius scriptam. Adiiciebant, navigia, quae lixas mercatoresque 15
vexissent, famam auri secutis gubernatoribus, in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea visa. Rex, co- 16
gnoscendi plura cupidine accensus, rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratis ostia appellerent classem; inde adverso amne Babylona subituros.

chum a litore maris ascendisse relicta classe et ad Alexandrum in Carmania agentem venisse tradit.

§. 11. *singulos eos ab iis*] Vulgo non *eos* editur, sed *equos*, iniucunda repetitione et codicibus quantum cognovi omnibus invitis. Tum *ab iis* legitur in Flor. A (et fort. in Leid.) reliqui vero codices *ab his*, tantum quod Flor. B et Bern. A pr. m. *ab hiis* scribunt, et verba *ab iis* omittunt Flor. DI. Porro addunt multi codices post *eos compererant* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A *(compeperant)* G, atque ediderat sic Modius. Quem imitari nolui propterea quod, cum *comperta* paucis verbis interiectis antecessisset, de scholio suspicari in promptu est et ceteri libri Flor. imprimis cui multum tribuo cod. B illud verbum ignorant. Ceterum quod Petr. Burmannus ad Velleium lib. II. c. 10 in seqq. *singulis* deleri voluit, quoniam eadem vox iam praecessisset, verum quidem est numero plurali *talentis* eam distribuendi rationem significari, qua de re cf. I. Fr. Gronovium ad Liv. IV, 15, 6 et XXIX, 15, 9 a me laudatum in Gr. Lat. §. 119, sed ineptus esset qui negare vellet verbum illud numerale etiam bis poni.

§. 12. *truci cantu deterr.*] Strabo XV p. 725 *ἀποσοβηθέντας τῇ κραυγῇ καὶ τῇ σάλπιγγι ἀπαλλάττεσθαι:* est igitur cantus qualis excitatur cum acies concurrunt. Eadem Arrianus in Indicis c. 30 tradit.

§. 13. *ab Erythro rege*] Vulgo *Erythra*, et infra *Erythrae* editur: ego mihi codd. Flor. et Bernensium consensum sequendum putavi. Vide supra ad VIII, 30.

§. 15. *esse transmissa*] Plerique codd. mendose addita littera finali *transmissam — visam*. Sed quod *ab his* scripsit parum accurate pronomine usus est, cum deberet *a se*. Existima, scriptorem institutae orationis oblitum e sua persona, uti fere grammatici dicere solent, hoc addidisse. Sed Bern. AB Flor. G *ab iis*.

§. 16. *ad Euphratis ostia*] Post Aldum vulgo editum est *ad Euphraten*,

17 Ipse animo infinita complexus statuerat, omni ad Orien- 3
tem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam,
Carthagini infensus: inde Numidiae solitudinibus peragratis,
cursum Gadis dirigere. Ibi namque columnas Herculis esse
8 fama vulgaverat. Hispanias deinde, quas Iberiam Graeci
a flumine Ibero vocabant, adire; et praetervehi Alpes,
9 Italiaeque oram, unde in Epirum brevis cursus est. Igitur
Mesopotamiae praetoribus imperavit, materia in Libano
monte caesa, devectaque ad urbem Syriae Thapsacum, se-
ptingentarum carinas navium ponere: septiremes omnes
esse, deducique Babyloniam. Cypriorum regibus imperatum,
ut aes stuppamque et vela praeberent.

sed hoc in uno Flor. G extat quem librum a docto sed infideli librario scriptum esse apparet. Ceteri *Euphratis*, ut necesse sit excidisse verbum. Quod cum mente suppleri non possit, e Flor. DI *ad Euphratis ostia* edidi, quod et aptius est quam quod alii voluerunt *Euphratis os*, et nisi veram auctoris manum repraesentat, certe potest repraesentare.

Babylona subituros] Hoc urbis nomen et hanc formam exhibent codd. Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB, hoc est integerrimi quique, item Flor. DI, ceteri *Babiloniam*, nullus quod hodie editur *Babylonem*. Vide quae collegimus ad v, 1, 7.

Cap. 3, §. 17. *columnas Herculis*] Nescio unde in Freinsh. et Snakenb. edd. venerit singularis numerus *columnam*, quem e libris nostris non habent nisi Flor. HI Bern. B extremi ordinis.

§. 19. *septingentarum carinas navium*] Hoc posuimus de coniectura nostra, codd. corrupti sunt; sed in eo omnes consentiunt, quod post *imperavit* subiiciunt *ut*, nec tamen *ponere* quod sequitur mutant. Tum Flor. A *ad urbem Syria et Hapsagas ingentarumque* adscripta supra lineam inter *Hapsagas* et *ingent.* particula *et*, Flor. B *ad urbem Syrie capsagas et ingentarumque*, C *ad urbem Sirię tapsagas et ingentarum*, D *ad Syri urbe capsagas ingentarumque*, EH Bern. B *ad Syri tapsagas et ingentarum*, I *ad Syrię urbem capsagas ingentarumque*, FG *ad Syri tapsagas et ingentium*. Snak. Leid. Voss. 1 Bern. A et ipsi *Thapsagas et ingentarumque* exhibent. Apparet ex his ludibriis scripturae, vulgatam lectionem *Thapsacum ingentium* nondum persanatum esse, quamvis de Thapsaco ex Arrian. VII, 19 satis constet. Mihi quidem, cum plerique omnes libri in voce *ingentarum* consentiant, quae literae illi voci antecedunt *s et* cum illa ita coniungendae videntur ut unum vocabulum *septingentarum* confletur. Numerum certe centenarium in illis fragmentis latere iam alii intellexerunt, quoniam Heinsius *quingentarum*, Schmiederus quod melius videtur *octingentarum* coniecerunt. Quod in aliis libris additur *que*, ita factum puto, quod, cum *et* a scriba omissum esset, ad defectum sarciendum altera coniunctio in fine adderetur, posthac utraque coniungeretur. Ceterum non inepte videtur Schmiederus observasse, Curtium quae legisset de navibus et in mari mediterraneo et in Euphrate comparandis ita coniunxisse, ut omnia ad classem qua Alexander maritimam Orientis oram subiecturus esset, referret. Qua de re vide ipsius notam et confer Diodor. lib. XVIII, 4 cum Arriano VII, 19, 3 qui quidem prope Babylonem a rege tradit portum esse institutum, qui mille naves longas caperet.

septiremes] Sic unus Flor. G, ceteri libri VII *remis* vel *septem remis*.

deducique Babyloniam] Haec erat vetusta lectio, quacum codices mss. fa-

Haec agenti Pori et Taxilis regum litterae traduntur, 20
Abisaren morbo, Philippum, praefectum ipsius, ex vulnere
interisse, oppressosque qui vulnerassent eum. Igitur Phi- 21
lippo substituit Eudaemonem. Dux erat Thracum. Abisa- 22
ris regnum filio eius attribuit.

4 Ventum est deinde Persagada. Persica est gens, cuius
satrapes Orsines erat, nobilitate ac divitiis inter omnes bar-
baros eminens. Genus ducebat a Cyro, quondam rege 23
Persarum; opes et a maioribus traditas habebat, et ipse
longa imperii possessione cumulaverat. Is regi cum omnis 24
generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam amicis eius
daturus, occurrit. Equorum domiti greges sequebantur,
currusque argento et auro adornati, pretiosa supellex, et
nobiles gemmae, aurea magni ponderis vasa, vestes-
que purpureae, et signati argenti talentum tria milia.
Ceterum tanta benignitas barbaro causa mortis fuit. 25
Nam cum omnes amicos regis donis super ipsorum vota
coluisset, Bagoae spadoni, qui Alexandrum obsequio
corporis devinxerat sibi, nullum honorem habuit. Ad- 26
monitusque a quibusdam, quam Alexandro cordi esset,
respondit, amicos regis, non scorta se colere, nec moris
esse Persis, mares ducere, qui stupro effeminarentur.
His auditis spado potentiam, flagitio et dedecore quae- 27
sitam, in caput nobilissimi et insontis exercuit. Nam-
que gentis eiusdem levissimos falsis criminibus adstru-

ciunt omnes: editum est a recentioribus *Babylonem*. Nos ea de re supra diximus.

§. 20. *Abisaren*] Sic edidit Snak. e mss. suis, nosque invenimus in Bern. A Flor. AB aliis: vulgo *Abisarem*.

§. 21. *Eudaemonem*] Arrianus VI, 17 *Εὔδημον*, Diodorus XIX, 14 *Εὔδαμον* appellat.

Cap. 4, §. 22. *Persagada* fecimus cum vulgo ederetur *Persagadas*, sed mss. omnes *Persagara*. Vide supra ad V, 20.

§. 24. *tria milia*] Leid. Voss. 1 Flor. A *talenta* $\overline{\text{III}}$, Flor BD et Bern. A ead. m. in margine *talenta* IIII. Ceteri libri aut *talenta quatuor* aut *quadringenta*, unus Flor. G ut editur *talentum quattuor milia*. Sed de millenarii numeri signo, lineola superinducta, satis constat. Verum pro quattuor *tria* scribendum esse patet ex sequenti accusatione Bagoae.

§. 26. *quam Alex. cordi esset*] Recte sic editur, sed quales saepe errores librariorum sint, hinc iudicabis, quod in optimis libris *equam Alexandro cordi esse* legitur, unde alii fecerunt *equitum Alex. cordi esse*, prudentius correxit Flor. G *eum Alex. cordi esse*. Heinsio emendandum videbatur *perquam — esse* sed non attinet quicquam mutare. Vulgata est in Flor. DI.

xit, monitos tum demum ea deferre, cum ipse iussisset. Interim quotiens sine arbitris erat, credulas regis aures implebat, dissimulans causam irae, quo gravior criminantis auctoritas esset. Nondum suspectus erat Orsines, iam tamen vilior. Reus enim in secreto agebatur, latentis periculi ignarus: et importunissimum scortum, ne in stupro quidem et dedecoris patientia fraudis oblitum, quotiens amorem regis in se accenderat, Orsinem modo avaritiae, interdum etiam defectionis, arguebat.

Iam matura erant in perniciem innocentis mendacia, et fatum, cuius inevitabilis sors est, appetebat. Forte enim sepulcrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. Auro gearntoque repletum esse crediderat, quippe ita fama Persae vulgaverant; sed praeter clypeum eius putrem et arcus duos Scythicos et acinacem nihil repperit. Ceterum corona aurea imposita amiculo, cui assuerat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velavit, miratus, tanti nominis regem, tantis praeditum opibus, haud pretiosius sepultum esse, quam si fuisset e plebe. Proximus erat lateri spado, qui regem intuens, *Quid mirum*, inquit, *est, inania sepulcra esse regum, cum satraparum domus aurum inde egestum capere non possint? Quod ad me attinet, ipse hoc bustum ante non videram: sed ex Dareo ita accepi, tria milia talentum condita esse cum*

§. 29. *Reus enim in secreto agebatur* i. e. reus erat cum adversus eum in secreto furti ageretur. *Reum agere* aliquem non dicit Cicero, sed Liviana locutio est.

Cap. 5, §. 31. *argentoque repletum*] Voce e superioribus repetita codd. Flor. ABC Leid. Voss. 1 Bern. A *auro argentoque conditum repletum esse.* Heinsio tamen *conditorium* scribendum videbatur.

§. 32. *assuerat*] Sic exhibent Flor. AB Leid. Voss. 1 Bern. A; ceteri, ut vulgo, pleniore forma verbi *assueverat.*

solium in quo corpus iacebat] „*Solium*, i. e. loculum, sarcophagum, πύελον Arrianus et Strabo vocant. Florus lib. IV c. 11 de morte Cleopatrae *maximos induta cultus, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocavit Antonium.* Plinius lib. XXXV c. 12 *defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluerunt*, ubi perperam vulgares libri *doliis*, contra mss. fidem, uti Harduinus et ante eum Salmasius ad Solinum pag. 847 (qua occasione de sepultura Graecorum et Persarum agit) aliique observarunt. Sueton. Neron. c. 50. *in eo monumento solium porphyretici marmoris*" Cellarius. Cf. infra Curtium hoc libro extr.

§. 34. *ante non videram*] Vulgo *antea*, nos secuti sumus Flor. ABEI. Mox § 36. *hi* omnes libri mss. nostri et Snak. pro vulg. *ii.*

Cyro. Hinc illa benignitas in te, ut, quod impune habere non 35
poterat Orsines, donando etiam gratiam iniret. Concitaverat 36
iam animum in iram: cum hi, quibus negotium idem dederat, superveniunt. Hinc Bagoas, hinc ab eo subornati, falsis criminibus occupant aures. Antequam accusari se su- 37
spicaretur Orsines, in vincula est traditus. Non contentus supplicio insontis spado, ipse morituro manum iniecit. Quem Orsines intuens, *Audieram*, inquit, *in Asia olim regnasse feminas, hoc vero novum est, regnare castratum!* Hic fuit 38
exitus nobilissimi Persarum, nec insontis modo, sed eximiae quoque benignitatis in regem. Eodem tempore Phradates, 39
regnum affectasse suspectus, occiditur. Coeperat esse praeceps ad repraesentanda supplicia, item ad deteriora credenda. Scilicet res secundae valent commutare naturam, 40
et raro quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem enim paulo ante Lyncesten Alexandrum delatum a duobus indicibus damnare non sustinuerat, humiliores quoque reos 41
contra suam voluntatem, quia ceteris videbantur insontes, passus absolvi; hostibus victis regna reddiderat: ad ulti- 42
mum vero ita tum ab semetipso degeneravit, ut, invictus

§. 39. *item ad deteriora credenda*] Non censeo ferri posse quod vulgo editur et in mss. plerisque omnibus legitur *idem*, quandoquidem Adiect. *praeceps* etiam ad posteriora refertur, nec censebant Schefferus et Heinsius. En tibi auctor fit Flor. G, si eius suffragio utendum putas.

§. 40. *erga bona sua*] *Bona* h. l. paulo insolentius secundam fortunam vocat, qua quis utitur. Sic supra lib. VIII, 16 dixit: *regis minus iam cupiditatibus suis imperantis inter obsequia fortunae, contra quam non satis cauta est mortalitas.* Nisi hoc sententia loci doceret, *bona mea* Latine intelligerenrur animi virtutes.

§. 41. *regna reddiderat*] Sic emendavit Freinshemius, coll. huius libri cap. 18 *tot regna aut reddita quibus ea dempserat bello, aut dono data.* Vulgata *regna reduxerat*, quam Modius in Colon. suo esse dicit, sensum non habet. Codd. Florentini omnes *regnare duxerat*, item Pal. 1 Bern. B edd. princ., *regnare dixerat* traditur a Snak. inventum esse in Voss. 2 et edebatur ab Aldo et Iunio, donec Modius *regna reduxerat* revocavit. In Bern. A indicatur esse *regna duxerat*, idemque aut *regnare duxerat* videtur in Leid. et Voss. 1, qui silentur, inventum esse.

§. 42. *ad ultimum*] Quae sequuntur sic exhibentur in Flor. A: *ad ultimum traiectum ab semetipso degeneravit ut in quoddam adversus libidinem*, nec discedunt reliqui nisi quod *a* (pro *ab*) habent Flor. praeter B reliqui Bern. B Voss. 2, tum pro eo quod est *quoddam* Leid. *dam*, Bern. A *quo dam*, Flor. EFH Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *quodam*, Flor. BDGI *quosdam*. Edit. princ. *ad ult. traiectus a semetipso degeneravit usque ut in quodam* cet. Aldus *traiectus a semetipso degeneravit in quosdam* cet. Iunius denique *ad ult. a semetipso degeneravit, usque adeo ut adversus libid.* cet. quod et Modius placide tulit et

quondam adversus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam.

Iisdem fere diebus litteras accipit de rebus in Europa 6
et Asia gestis, dum ipse Indiam subegit. Zopyrio, Thraciae praepositus, cum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subito coortis, cum toto exercitu oppressus erat. Qua cognita clade, Seuthes Odrysas populares suos ad defectionem compulerat. Amissa propemodum Thracia, ne Graecia quidem **

[tumultibus inconcussa mansit. Nam Alexander, punita satraparum quorundam insolentia, quam, dum in extremo orbe Indorum armis attinetur, per summa scelera atque flagitia in provinciales exercuerant, ceterorum metum intenderat: qui in paribus delictis idem admissorum praemium expectantes, in mercenariorum militum fidem confugiebant, illorum manibus, si ad supplicium poscerentur, salutem suam tutaturi; aut pecunia, quanta poterat, coacta, fugam inibant. Ea re cognita litterae ad omnes Asiae praetores missae sunt, quibus inspectis e vestigio omnes peregrinos milites, qui stipendia sub ipsis facerent, dimittere iubebantur. Erat inter eos Harpalus, quem Alexander, quod ob ipsius amicitiam olim a Philippo eiectus solum vertisset, inter fidissimos habebat, et post Mazaei mortem satrapia Babyloniae donaverat, thesaurorumque custodiae prae-

reliqui propagarunt. Sed patet ita addendis demendisque verbis non posse locum corruptum tractari. Equidem in priore editione de coniectura sic dederam: *ad ultimum tamen ita ab semetipso degeneravit, ut invictus quondam adversus libidinem*, nec interea quicquam ab aliis excogitatum comperi quod magis satisfaceret. Nunc tamen pro eo quod in libris est *traiectum*, malim potius *vero ita tum*, idque donec melius aliquid inveniatur propono.

Cap. 6, §. 43. *litteras accipit*] Editur vulgo *litteras a Coeno accepit*, sed *a Coeno* falsum esse patet, quia Coenus postquam cum rege fuit in India obierat, vide supra IX, 13. Videtur olim fuisse *domo*, sed cum hoc incertum sit praestat tollere ea verba cum Iunio auctoribus libris Flor. DFI Pal. 1 et Flor. CEH Bern. B Voss. 2. *Accipit* autem legitur in Leid. Voss. 1 Dan. (quamquam mihi quidem ex Bern. A non notatur) Flor. ADGI Pal. 1 et edit. Modiana, convenitque consuetudini scriptoris, qui in tali transitu praesenti fere tempore utitur, raro perfecto ut IV, 21 pr. Sed omnes libri mss. et olim editi *dum — subegit* exhibent, pro quo Iunius de coniectura dedit *subigit*, quod reliqui propagarunt. Non nego verum esse per se *subigit*, sed hoc tamen loco videtur coniunctum alterum praesens *accipit* in causa fuisse cur *subegit* maluerit auctor, quod cum *gestis* rebus coniungeretur.

§. 44. *cum expeditionem — faceret*] Imperite editores princ. *dum — faceret* dederunt, incuriose reliqui praeter Mod. propagarunt. Neque enim fert grammatica ratio et refragantur omnes mss. nostri cum Leid. Voss. 1.

§. 45. *ne Graecia quidem*] Lacunam hic esse integriores codd. significant, in Leid. Bern. A Flor. ABI additur etiam in margine „hic desunt duae lineae." Apparet tantum fere spatium relictum fuisse in libro unde illa exemplaria descripta, nam re vera multo plus deest. Nam casu ita accidisse videtur, ut illi Graeciae tumultus cum Harpali fuga lacunae occasione convenirent, cum, nisi novam inter cap. 7 et 8 lacunam statuere velimus, etiam de continuato usque Susa itinere et nuptiis ducum, aliis, quae apud Diod. c. 107 leguntur, expositum fuisse necesse sit.

fecerat. Is igitur cum fiduciam, quam in propensissima regis gratia habere poterat, magnitudine flagitiorum consumpsisset, quinque talentum milia ex gaza regia rapit, conductaque sex milium mercenariorum manu, in Europam evadit. Iampridem enim luxu et libidinibus in praeceps tractus, desperataque apud regem venia, adversus iram ipsius in alienis opibus subsidium circumspicere coeperat; et Atheniensis, quorum non contemnendam potentiam, et apud ceteros Graecos auctoritatem, tum occultum in Macedonas odium norat, sedulo coluerat. Itaque spem suis faciebat, Atheniensis adventu suo cognito, copiisque et pecuniis, quas adduceret, coram inspectis, protinus arma consiliaque sociaturos esse. Nam apud populum imperitum et mobilem, per homines improbos et avaritia venales, omnia se muneribus consecuturum existimabat.]

7 Igitur triginta navibus Sunium transmittunt, (promon- II
torium est Atticae terrae,) unde portum urbis petere decreverant. His cognitis, rex Harpalo Atheniensibusque iuxta 2
infestus classem parari iubet, Athenas protinus petiturus. Quod consilium cum clam agitat, litterae ei redduntur, 3
Harpalum intrasse quidem Athenas, pecunia conciliasse sibi principum animos: mox, concilio plebis habito, iussum urbe excedere ad Graecos milites pervenisse, quibus in Cretam traiectis, a quodam Thimbrone interemptum per insidias. His laetus in Europam traiiciendi consilium omisit: sed 4
exules, praeter eos, qui civili sanguine aspersi erant, recipi ab omnibus Graecorum civitatibus, quis pulsi erant, iussit. Et Graeci, haud ausi imperium aspernari, quamquam sol- 5
vendarum legum id principium esse censebant, bona quoque,

Cap. 7, §. 3. *cum clam agitat*] Sic plerique et optimi codd., unus Flor. C *cum clam agitaret*, nullus quod post Mod. hodie fere editur *dum agitat clam*. In seqq. *ei* abest ab omnibus mss. praeter unum Flor. A; sed eius auctoritas satis idonea nobis est ad retinendam vocem.

pecunia conciliasse] Videtur coniunctio deesse ni scribatur *conciliatis — animis*.

quibus in Cretam traiectis cet.] Locus sic exhibetur in optimis: *quibus interceptum trucidatum a quodam auctore interemptum per insidias;* alii pro eo quod est *interceptum* etiam priore loco habent *interemptum* Bern. B Flor. CEH, alii, Voss. 2 adeo *intentum*, pro *auctore* praebent *viatore* Flor. D in margine, Flor. G et Voss. 2 in textu, Flor. C *victorię*, Flor. EH cum Bern. B *victore*. Praepositio *a* quae est in editis ante *quibus* deest in codd. omnibus. Itaque emendavi *quibus in Cretam traiectis a quodam Thimbrone interemptum per insidias. Traiectos* pro *transvectis* dici vid. Drak. ad Liv. XXXII, 6, 1. Ne scriberem *quibuscum — traiectum* haec causa fuit quod nondum apud Curtium praepositionem *cum* pronomini relativo postpositam inveni. Terminationes autem a librariis confundi satis multa exempla sunt. *Quidam* denique etiam praeponitur nomini, vid. VIII, 23, 26.

§. 4. *consilium omisit*] Optimi aliquot codices *emisit*, sed *omisit* verum est et habent Flor. DEGHI Bern. B.

qui civili sanguine aspersi erant] Ipse Alexander in litteris apud Diodor. XVIII, 8 *πλὴν τῶν ἐναγῶν* dicit. Sed apud eundem lib. XVII, 109 excipiuntur *οἱ ἱερόσυλοι καὶ φονεῖς*.

§. 5. *solvendarum legum* recte edere

quae extarent, restituere damnatis. Soli Athenienses, non suae modo, sed etiam publicae vindices [libertatis], colluvionem ordinum hominum quia aegre ferebant, non regio imperio, sed legibus moribusque patriis regi assueti, prohibuere finibus, omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suae, tunc etiam exilii, admitterent.

Alexander, senioribus militum in patriam remissis, tre- 8

coepit Aldus, libri mss. praeter Flor. DFI *solidarum*. Cf. Cic. in Verr. v, 6. *Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur. Quae cum acciderunt, nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam.*

§. 6. *vindices libertatis*] Cum in omnibus codd. esset *non suo modo, sed etiam publice vindices*, et verbum aliquod deesse videretur, Modius libertatis inseruit de coniectura, et *suae—publicae* correxit. Aliter Aldus quique eum usque ad Modium secuti sunt: *non suae modo sed etiam rei publicae vindices*. Sed cum nulla sit publica res Graecorum, Modiana ratio melior videtur, sed verbum insiticium uncis inclusi, ut dignosceretur, si quis forte aliam emendandi viam inire mallet. Dixit tamen similiter Curtius supra lib. VIII, 20 aequis auribus Callisthenem velut *vindicem publicae libertatis* auditum esse a Macedonibus. Deinde cum item in libris mss. omnibus esset *colluvionem ordinem hominum quia aegre ferebant*, editores alteram vocem cui non haberent quid facerent deleverunt, nonnulli tamen verbis transpositis sic ediderunt *colluvionem hominum, ordinem quia aegre ferebant*, scilicet opinati quia diceretur *in ordinem redigi*, idem significari solo substantivo *ordine*. Sed hoc ridiculum est. Miror neminem vidisse *ordinum* scribendum esse. An duplicem genitivum non tulerunt? At sexcenti loci sunt qui eam constructionem veteres, ubi opus esset, minime fugisse docent. Dixit autem *colluvionem ordinum*, quemadmodum Livius IV, 2 *colluvionem gentium Romanarum*, de sublato discrimine civium et inquilinorum, nobilium et ignobilium, bonorum et malorum.

prohibuere finibus] Plenius legitur in libris et manuscriptis et primum editis *prohibuere igitur exules finibus*, in uno Flor. G interpunctione facta post *prohibuere*, *Ergo exules finibus eiiciunt*, sed extremum quidem verbum in margine. Eandem rationem Aldus et Iunius secuti ediderunt *prohibuere. Igitur exules finibus eiiciunt, omnia* cet. Mihi Modiana ratio magis probatur, quae etiam vulgo accepta est, qua media illa verba tolluntur. Nimirum cum *exules* in margine interpretationis causa adscriptum esset, posthac videtur etiam *igitur* connectendae orationis causa accessisse.

Cap. 8, §. 8. *in patriam remissis*] Itaque, Curtio auctore, duplex militum missio facta est, una quae benigne accepta est a veteranis, altera quae tum seditionem militum separari nolentium excitavit. Diodorus XVII, 109 breviter, Arrianus VII, 8—12 multo accuratius de una tantum missione turbulenta et post seditionem vindicatam facta narrant, Arrianumque secutus Freinshemius in supplementis post cap. 13 alteram missionem ita describit quasi alia non antecesserit. Quid verum sit nescio, sed facile res ita ordinari potest, ut iam Susis rex senes et invalidos milites dimiserit, postea Opi ad Tigrin denuo selegerit quorum opera amplius uti nollet. Cum utris, si diversi fuerint, Craterus et Polysperchon duces in Macedoniam missi sint, non constat, quoniam ea pars Curtianae historiae intercidit et Arrianus unam tantum missionem commemorat. Fieri etiam potest ut postea dimissi priores in itinere assecuti sint. Dimissorum universum numerum fuisse decem milia consentiunt auctores: horum sex milia Craterus triennio post (aetate a. 322) ex Asia in Macedoniam adduxit, Antipatro suppetias ferens, cum iisque victoriam de Graecis ad Cranonem deportavit, auctore Diodoro lib.

decim milia peditum et duo milia equitum, quae in Asia retineret, eligi iussit, existimans, modico exercitu continere posse Asiam, quia pluribus locis praesidia disposuisset; nuperque conditas urbes, quas colonis replesset, res novare cupientibus obstare credebat. Ceterum priusquam secerne- 9
ret, quos erat retenturus, edixit, ut omnes milites aes alienum profiterentur. Grave plerisque esse compererat, et quamquam ipsorum luxu contractum erat, dissolvere tamen ipse decreverat. Illi, temptari ipsos rati, quo facilius ab 10
integris sumptuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. Et rex satis gnarus, professioni aeris pudorem, non contumaciam obstare, mensas totis castris poni iussit, et decem milia talentum proferri. Tum demum 11
fide facta professi sunt, nec amplius ex tanta pecunia quam centum et triginta talenta superfuere. Adeo ille exercitus, tot ditissimarum gentium victor, plus tamen victoriae, quam praedae, deportavit ex Asia.

9 Ceterum ut cognitum est, alios remitti domos, alios 12
retineri, perpetuam eum regni sedem in Asia habiturum rati, vecordes et disciplinae militaris immemores, seditiosis

XVIII, 17. Reliqui igitur quattuor milia in itinere videntur remansisse ac fortasse in coloniis Graecis in ora Asiae sitis consederant.

res novare cupientibus] Codd. omnes *res renovare*, quod cum hoc sensu Latinum non sit, recte sine dubio Iunius emendavit *novare*, reliquique propagarunt. Sed in verbo *cupientibus* plerique libri mss. et primum editi finiunt, non claudunt, orationem et interpunctione maiore facta pergunt *Ceterum*. Aldus secundum unum cod. nostrum Flor. G adiecit *obstare*, eaque vulgata lectio facta est. Sed longe praestat, cum semel aliquid addendum esse censuerimus, sequi codices Pal. 1 Flor. DFI et scribere *obstare credebat*.

§. 10. *decem milia talentum*] Vulgo edunt *talentorum*. Sed alteram formam, qua veteres fere utuntur, codd. plerique omnes: *talenta* Flor. D Voss. 2.

§. 11. *fide facta professi sunt*] Sic primus edidit Modius de coniectura, nam libri omnes *professio est*, pauci e deteriorum numero *promissio est*. Sed recte emendasse puto.

ditissimarum gentium] Bern. A Leid. Voss. 1 *divitissimarum* quod item Modius edidit; Florentini omnes cum vulg. consentiunt, praeter unum librum C. Itaque ab ea recedere non ausus sum. Cf. ad IV, 4 extr.

Cap. 9, §. 12. *alios remitti domos*] Vulgo editur *mitti domum* sed pluralis *domos* in mss. ad unum omnibus est, *remitti* in plurimis, ut in Flor. EFH Bern. B *dimitti* sit, in nullo simplex *mitti*.

in Asia habiturum] Quoniam toties literam *m* ubi sententia manifesto repugnat, additam vidi, ne hoc quidem loco moveor quod in libris plurimis atque adeo optimis *in Asiam* legitur, adeo ut *Asia* a prima manu non sit nisi in Flor. FH. Verum ut dixi in talibus saepissime peccant librarii.

vocibus castra complent, regemque ferocius quam alias adorti, omnes simul missionem postulare coeperunt, deformia ora cicatricibus canitiemque capitum ostentantes. Nec aut praefectorum castigatione, aut verecundia regis deterriti, tumultuoso clamore et militari violentia volentem loqui inhibebant, palam professi, nusquam inde, nisi in patriam, vestigium esse moturos. Tandem silentio facto, magis quia motum esse credebant, quam quia ipsi moveri poterant, quidnam acturus esset, expectabant. Ille, *Quid haec*, inquit, *repens consternatio, et tam procax atque effusa licentia denuntiat? Eloqui metuo: palam certe rupistis imperium, et precario rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendique, aut intuendi vos ius reliquistis. Equidem cum alios dimittere in patriam, alios mecum paulo post deportare statuerim, tam illos acclamantes video, qui abituri sunt, quam hos, cum quibus praemissos subsequi statui. Quid hoc est rei? dispari in causa idem omnium clamor est! Pervelim scire, utrum qui discedunt, an qui retinentur, de me querantur.* Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem, ita pariter ex tota contione responsum est, omnes queri.

Tum ille, *Non hercule*, inquit, *potest fieri, ut adducar querendi simul omnibus hanc causam esse, quam ostenditis, in qua maior pars exercitus non est, utpote cum plures dimiserim, quam retenturus sum. Subest nimirum altius malum,*

§. 13. *verec. regis deterriti*] Miror in aliquot codicibus et optimis quibusque Leid. Voss. 1 Bern. A Pal. 1 Flor. ABC esse *deterritum*, sed vel hoc exemplum docere potest, quam incerta veterum librorum fides in his vocum terminationibus sit.

§. 15. *Eloqui metuo*] Vett. editiones et vulg. *timeo*, contra codicum meorum et eorum quos Snak. contulit consensum.

§. 16. *deportare statuerim*] Codices omnes et edd. vett. *statuerem*, soli Bern. B et Voss. 2 *statueram* (sed Bern. certe etiam *dum*) sed recte emendasse Iunium credo, quem secuti sunt Modius et reliqui.

acclamantes video] Nota *acclamationem* dici h. l. de turbido atque adverso clamore, sicut fere apud Ciceronem fit.

§. 17. *qui discedunt*] Optimi, quos fere coniungo, *descendunt*. Dubium est utrum errorem scribarum putes an veram auctoris manum, quandoquidem *descendere* ad mare est ex Asia in Graeciam redire. Veruntamen requiro adiectum aliquid v. c. in patriam, non puto nude sic dici *descendere*, et quod opponitur *retineri* alterum videtur postulare.

Cap. 10, §. 19. *potest fieri ut adducar*] Modius *fieri* a nebulonibus, quos dicit, additum censuit, eoque deleto *non potest ut adducar* edidit, male Plautinum loquendi genus et rarum quidem ad elegantiam cultae orationis prosae transferens, *adduci* pro adduci ad credendum Ciceronianum est.

quod omnes avertit a me. Quando enim regem universus deseruit exercitus? Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos, sed est quidam in illis pudor a ceteris destitutos relinquendi. Verum ego tam furiosae consternationis oblitus, reme- 21
dia insanabilibus conor adhibere. Omnem hercule spem, quam ex vobis conceperam, damno, nec ut cum militibus meis, iam enim esse desistis, sed ut cum ingratissimis operis agere decrevi. Secundis rebus, quae circumfluunt vos, insanire coepi- 22
stis, obliti status eius, quem beneficio exuistis meo, digni hercule, qui in eodem consenescatis, quoniam facilius est vobis adversam, quam secundam regere fortunam. En tandem! Illyriorum paulo 23
ante et Persarum tributariis Asia et tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordent, aurum et argentum oculi ferre non possunt: lignea enim vasa desiderant, et ex cratibus scuta rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, et quingenta talenta aeris alieni, 24
cum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset, meorum operum fundamenta. Quibus tamen (ab-

§. 20. *deseruit exercitus*] Hoc verba ordine collocantur in codd. Snak. et meis omnibus, nisi quod Flor. DI *reliquit exercitus* exhibent.

est quidam in illis pudor] *Quidem* libri mss. (praeter Flor. GI) et editi olim, etiam Aldinus, sed recte emendadatum est ab Iunio.

§. 21. *iam enim esse desistis*] Sic verum est, sic debet esse, non, sicut a Modio edi coeptum est, *destitistis*. Hoc quidem minus aptum est generoso regis animo: nam fortius longe est dicere: Vos milites mei esse desinitis, quam vos desistitis, quasi ipsorum illa voluntas, non ipsius potius fuerit. Verum haec non tam gravis est ratio, quam quod *destitistis* in nullo codice est. *Desistis* in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AEGI, *desiistis* in Voss. 2 Bern. B Flor. DH, *desistitis* in Flor. C, *defuistis* in Flor. F legitur. Flor. B ob repetitum *ut cum* omissis verbis aliquot mendosus h. l. est.

ut cum ingratissimis operis] Praeclaram hanc *Rubenii* in Elect. p. 39 emendationem cum Freinshemio in textum recipiendam putavi. Libri antea editi: *sed cum ingratissimis, ut oportet, agere decrevi*, quod sic quidem legitur in nullo codice, sed proxime accedunt Flor. BG *sed ut cum ingratissimis ut oportet agere decrevi*, Flor. CEH Bern. B Voss. 2 *sed ut ingratissimis ut oportet agere decrevi*, ceteri et imprimis Flor. A *ut cum ingratissimis oportet agere decrevi*, a qua scriptura mendosorum quidem sed integrorum codicum profectus Rubenius minima mutatione eximie loci sententiae consuluit. Idem locum Ciceronis p. Sextio c. 17 comparat: *erat autem mihi contentio non cum victore exercitu, sed cum operis conductis et ad diripiendam urbem concitatis.*

§. 24. *sexag. talentorum esset, meorum operum fund.*] Locus nondum sanus videtur, sed nesciebam quae emendandi ratio ineunda esset. Arrianum compara lib. VII, 9 ὃς παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς χρυσᾶ μὲν καὶ ἀργυρᾶ ἐκπώματα ὀλίγα, τάλαντα δὲ οὐδὲ ἑξήκοντα ἐν τοῖς θησαυροῖς, χρεῶν δὲ ὀφειλόμενα ὑπὸ Φιλίππου ἐς πεντακόσια τάλαντα, δανεισάμενος ἐπὶ τούτοις αὐτὰς ἄλλα ὀκτακόσια, ὁρμηθεὶς ἐκ τῆς χώρας κ. τ. λ. Nisi quid apud Curtium deest, quod mihi fit non veri-

sit invidia) imperium maximae terrarum partis imposui.
25 *Asiaene pertaesum est, quae vos gloria rerum gestarum diis*
pares fecit? In Europam ire properatis, rege deserto, cum
pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni aes alienum
26 *luissem: nempe in Asiatica praeda. Nec pudet profundo*
ventre devictarum gentium spolia circumferentes, reverti velle
ad liberos coniugesque, quibus pauci praemia victoriae potestis
ostendere. Nam ceterorum, dum etiam spei vestrae obviam
27 *istis, arma quoque pignori sunt. Bonis vero militibus carituros*
sum, pellicum suarum concubinis: quibus hoc solum ex tantis
opibus superest, in quod impenditur. Proinde fugientibus me
pateant limites: facessite hinc ocius; ego cum Persis abeuntium
terga tutabor. Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratis-
28 *simi cives. Laeti vos excipient parentes liberique sine vestro*
29 *rege redeuntes! obviam ibunt desertoribus transfugisque! Trium-*
phabo mehercule de fuga vestra, et ubicunque ero, expetam
poenas, hos, cum quibus me relinquitis, colendo praeferendoque

simile, Romanus auctor supellectilem regiam et pecuniam signatam in unam summam confudit, quod facile ei condonabimus. Sed lectio vulg. quam et ipse expressi, a mss. paululum discedit. Nam in plerisque est: *sexag. talentorum sit mox operum fundamenta*, alii Flor. quidem EFH Bern. B pro *mox* habent *mei*, unus Flor. G *meorum operum*, sicut Aldina editio repraesentat. (Nam quod in aliquot libris pro sexaginta talentis est *sexag. milia tal.* minus curo, propterea quod librarii saepe ad arbitrium suum millenarium numerum vel addunt vel demunt.) Voss. 1 Flor. AI *talentorum mox operum* sine verbo *sit*, Bern. A *talentorum mox meorum operum*, Leid. *talentorum operum* (si recte singula composui) exhibent. Confusis his lectionibus Modius edidit *quam* LX *talentorum esset, meorum mox operum fundamenta*, unde ad recentiores lectiones fluxit illud *esset* pro olim vulg. *sit*. Iam si quis ex his varietatibus novum aliquid et melius extundere potuerit, me assentientem habebit, interim in vulg. acquiescam.

§. 25. *nempe in Asiat. praeda*, i. e. quamvis Asiae praeda vobis cessisset, tamen vos aere alieno obruistis, nec quicquam haberetis nisi mea benignitas vobis succurreret. Modius de coniectura *ex As. praeda* scripsit, de more suo conviciis persequens quod parum intellexit.

§. 26. *dum etiam spei vestrae obviam istis*, i. e. tum etiam, cum adhuc ad praedam faciendam proficiscebamini, cum in oculis habebatis opulentarum urbium expugnationes, arma vestra, quae miles maxime libera debet habere, pignori erant opposita, et adhuc sunt.

§. 27. *in quod impenditur*] *In* praepositionem adiecit Modius e suis membranis, ego ex Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A. Vulgatum *quod impenditur* Schmiederus intelligit de foenore s. usuris, quas milites solvere creditoribus debeant pro pecunia mutuo sumpta. Sed haec interpretatio vana est, in ipso enim verbo impendendi nihil inest de foenore. *In quod impenditur* est id in quod sumptus fieri solent, h. l. pellices. Posses etiam *impenduntur*, videlicet opes, sed, ut nunc est, absolute intellige Germanice es wird Verwendung sive Aufwand gemacht.

vobis. Iam autem scietis, et quantum sine rege valeat exercitus, et quid opis in me uno sit.

11 Desiluit deinde frendens de tribunali, et in medium 30
armatorum agmen se immisit, notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit, nec ausos repugnare, tredecim asservandos custodibus corporis tradidit. Quis crederet, saevam paulo ante contionem obtorpuisse III.
subito metu, et cum ad supplicium videret trahi nihil ausos graviora quam ceteros * * sive nominis, quod gentes, quae 3
sub regibus sunt, inter deos colunt, sive propria ipsius veneratio, sive fiducia tanta vi exercentis imperium conterruit eos: singulare certe ediderunt patientiae exemplum, 4
adeoque non sunt accensi supplicio commilitonum, cum sub noctem interfectos esse cognossent, ut nihil omiserint, quod singuli magis obedienter et pie facerent. Nam cum postero 5

Cap. 11, §. 30. *manu corripuit*] Flor. ABCDI *corripit*, sed praesens sic praeteritis immixtum non fero, nec Modius edidit aut Snakenb. notavit e suis codd.

§. 1. *nihil ausos graviora quam ceteros*] Non difficile fuerit cum Acidalio *nihilo* corrigere, sed libri non favent. Nec sane video, cum utique adiectiva *nihil* pro *non* adverbialiter positum recipiant, quid magnopere impediat, quominus idem fiat in comparativis adiectivorum. Graece certe fit, vid. ex. gr. Aristoph. in Avibus vs. 124 *μείζω μὲν οὐδέν*. Moneo tamen, me adhuc similem locum apud Latinum scriptorem non invenisse. Excidisse autem aliquot verba post *ceteros* facile apparet, etsi scripti libri lacunam eam relicto spatio vacuo non significant. Glareanus quidem et Raderus nihil deesse existimarunt, sed quis hoc sibi persuaserit quemquam ita scribere potuisse: *quis crederet contionem metu obtorpuisse et — fiducia eos conterruit?* ne dicam elegantem oratorem. Sed in vulgarihus nunc editionibus paulo longiore supplemento illa lacuna expletur hoc: *et cum ad supplicium videret trahi nihil ausos graviora quam ceteros, „tam effusam antea licentiam, atque seditiosam militum violentiam ita compressam, ut non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit, verum etiam cuncti pavore exanimati, attonitis similes, quid de ipsis quoque rex statuendum censeret, suspensa mente expectarent. Itaque“ sive* cet. Cuius auctor qui sit ignoro, exstare primum in editione Colon. a. 1538 tum Basileensi anni 1545 adscripto titulo *fragmentum* in varietate lectionis edit. Snak. notatur. Ego in edit. Iuniana anni 1546 inter stellulas et adscripto in margine verbo *supplementum* inveni. Satis quidem sunt elegantia sed nimis longe ducta: mihi certe nihil aliud nisi forte *ne vocem quidem sustulisse* vel tale aliquid ac praeterea in principio sequentis periodi coniunctio *sed* videtur excidisse.

§. 3. *quae sub regibus sunt*] Abest verbum substantivum a tribus Flor. ABC et Leid. Voss. 1 Bong. (cum ex Bernensibus nihil notetur) sed eo carere non possumus. Flor. G *regibus sunt, reges inter deos.*

§. 4. *interfectos esse cognossent*] Vulgo *nossent*, sed hoc in nullo libro msto est: ut nos edidimus Flor. A Leid. Voss. 1 Bern. A exhibent, ceteri *cognoscerent.*

et pie] Vulgo *ac pie*, sed *et* omnes libri mss. Sensus loci hic est: ut nihil reliquum fecerint, quod quivis unus obedientius facere posset; sive brevius: ut prorsus nemo obedientius se gerere potuerit.

die prohibiti aditu venissent, Asiaticis modo militibus admissis, lugubrem totis castris edidere clamorem, denuntiantes protinus esse morituros, si rex perseveraret irasci.

6 At ille pervicacis ad omnia, quae agitasset, animi, 12
peregrinorum militum contionem advocari iubet, Macedonibus intra castra cohibitis: et cum frequentes coissent, ad-
7 hibito interprete talem orationem habuit: *Cum ex Europa*
traiicerem in Asiam, multas nobiles gentes, magnam vim ho-
8 *minum imperio meo me additurum esse sperabam. Nec dece-*
ptus sum, quod de his credidi famae. Sed ad illa hoc quo-
que accessit, quod video fortes viros erga reges suos pietatis
9 *invictae. Luxu omnia fluere credideram, et nimia felicitate*
mergi in voluptates. At hercules munia militiae hoc animorum
corporumque robore aeque impigre toleratis, et cum fortes viri
0 *sitis, non fortitudinem magis, quam fidem colitis. Hoc ego*
nunc primum profiteor, sed olim scio. Itaque et delectum e
vobis iuniorum habu, et vos meorum militum corpori immiscui.
Idem habitus, eadem arma sunt vobis; obsequium vero et pa-
1 *tientia imperii longe praestantior est, quam ceteris. Ergo ipse*
Oxyartis Persae filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedi-
2 *gnatus ex captiva liberos tollere. Mox deinde cum stirpem*
generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darei filiam
duxi, proximisque amicorum auctor fui ex captivis generandi

§. 5. *prohibiti aditu venissent*] Quo venissent? In castra, opinor. Neque enim ipse rex videtur in castris fuisse, sed in urbe *Opi* ad Tigrim. Nam postea Macedones intra castra cohibentur.

denuntiantes protinus] Omisimus, quod vulgo additur, pronomen *se; denuntiantes se*, cum absit a Leid. Voss. 1. 2 Bern. A Flor. A et edit. Modiana. Cf. ad VI, 42, 20.

Cap. 12, §. 9. *At hercules*] Vulgo *hercule*, uti sane aliis locis Curtius solet, sed *hercules* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AC. Vide ad VI, 39, 20. Tum *robor* meliores, *robur* deteriores mss., sed nullus *robore*.

§. 10. *hoc ego nunc primum*] Omnes libri mss. *non* addunt: *non nunc primum*, et hoc tantum varietatis habent, quod deteriores *ego*, integriores alioquin *ergo* repraesentant. Sed Acidalius vere iudicavit negantem particulam eiiciendam esse, et insequentes editores eiecerunt.

delectum — habui] Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB alii *dilectum*.

corpori immiscui] Nota hunc vocabuli usum pro ordine, a Cicerone alienum, sed Livio non insolitum, ut I, 17 *sui corporis creari regem volebant*, IV, 9 *tutores et ipsi eiusdem corporis* (plebeiorum) *erant* al.

§. 11. *Oxyartis Persae*] Codd. plurimi et meliores *Oxiratis* inverso litterarum mediarum ordine, nam *Oxyarten* appellari hominem certum est. Vide ad VIII, 16. Sed Pal. 1 Flor. DHI Bern. B *Maratis*, Flor. F *Martis*. Vulgo editi *Oxathris*.

liberos: ut hoc sacro foedere omne discrimen victi et victoris excluderem. Proinde genitos esse vos mihi, non ascitos milites 13
credite. Asiae et Europae unum atque idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem, et cives mei estis et milites. Omnia eundem ducunt colorem: nec Persis Macedo- 14
num morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum. Eiusdem iuris esse debent, qui sub eodem rege victuri sunt ***

13 *Quousque*, inquit, *animo tuo etiam per supplicia, et qui-* IV.
dem externi moris, obsequeris? Milites tui, cives tui, incognita causa, captivis suis ducentibus, trahuntur ad poenam! Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicii muta. Amico animo, si veri patiens fuisset, admonebatur, sed in 2

§. 13. *Inveteravi — novitatem*] Agnoscis orationis acumen; nam novos milites, dum veteribus armis induit, veteranos quodammodo fecit. *Inveterandi* verbum transitivum rarum quidem, sed abunde probatum.

§. 14. *eundem ducunt colorem*, i. e. eandem speciem induunt, sive similia inter se fiunt. *Uva colorem ducit*, dum maturescit et tinguitur, apud Vergil. Bucol. 9, 48: sed translatus eius locutionis usus imprimis frequens est apud scriptores argenteae aetatis. Senec. epist. 108 post init. *novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint.* Id. de tranq. animi pr. *Quae veras vires parant, expectant annos, donec paulatim colorem diuturnitas* (an *diuturnitatis?*) *ducant.* Quintil. x, 1, §. 59 *multa magis quam multorum lectione firmanda mens et ducendus color.*

Macedonum morem adumbrare] Possis aeque bene *mores* legere, nam codices plerique *more*, Flor. F a pr. m. et Flor. GH ex corr. *mores*, sed facilius videtur amissam literam *m* addere quam damnare illorum fidem.

Persas imitari indecorum] Non alienum est a gravitate oratoria, omitti in universa sententia verbum substantivum. Et addidit illud Aldus libris mss. invitis. Quod Modius edidit *Persarum*, item contra libros est (si unum Voss. 2 exceperis) et contra praeceptum de varianda oratione. Post *victuri sunt* in Flor. A duarum paginarum vacuum spatium relictum est, nec fere minus deesse ipse putaverim; Bern. A lacunam triginta ferme versuum habet; in Voss. 1 aversa pagina vacua relicta est, in ceteris libris lacuna paucarum linearum relicto spatio significatur, in paucis nulla ostenditur. Quod supplementum proxime subiicitur: *Hac oratione habita, Persis corporis sui custodiam credit, Persas satellites, Persas apparitores fecit. Per quos cum Macedones, qui huic seditioni occasionem dedissent, vincti ad supplicia traherentur, unum ex iis auctoritate et aetate gravem ad regem ita locutum ferunt*, primum ut videtur in edit. Basileensi comparet, sed dignum non erat, quod inter verba veteris auctoris describeretur. Ac ne continet quidem, quod ex insequentibus intelligitur illic fuisse, regem seditiosos milites in amnem mergi iussisse, quo pertinet quod paulo post legitur de externo more supplicium.

Cap. 13, §. 1. *animo tuo — obsequeris*] Sic Aldus emendavit, nam codd. omnes *exequeris*. Corruptela etsi ignoratur, quomodo orta sit, adeo tamen manifesta est, ut nemo ab Aldi iudicio recesserit. *Etiam* ad *quousque* pertinet ac dicitur ab indignabundo de tempore, sicut composita *etiamnum* et *etiamtum* in vulgari usu sunt. Sed simplex quoque eadem ratione adhibetur, v. c. apud Terent. Hec. 5, 11, 19 *Mane nondum etiam dixi id quod volui.*

captivis suis ducentibus] Codd. omnes *a captivis* mendose, repetita e praegresso vocabulo vocali.

rabiem ira pervenerat. Itaque rursus (nam parumper quibus imperatum erat dubitaverant,) mergi in amnem, sicut
3 vincti erant, iussit. Ne hoc quidem supplicium seditionem militum movit. Namque copiarum duces atque amicos eius manipuli adeunt petentes, ut si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos, iuberet interfici, offerre se corpora irae, trucidaret * * *

[Tandem prae dolore vix mentis compotes universi concurrunt ad regiam, armisque ante fores proiectis, tunicati astantes, nuda et obnoxia poenis corpora admitti flentes orabant. Non se deprecari, quin suppliciis sontium expiarentur, quae per contumaciam deliquissent. Regis iracundiam sibi morte tristiorem esse. Cumque dies noctesque ante regiam persistentes, miserabili clamore habituque poenitentiam suam approbarent; biduum tamen adversus humillimas suorum preces iracundia regis duravit. Tertio die victus constantia supplicum processit, incusataque leniter exercitus immodestia, non sine multis utrinque lacrimis, in gratiam se cum ipsis redire professus est. Digna tamen res visa est, quae maioribus hostiis expiaretur. Itaque sacrificio magnifice perpetrato, Macedonum simul Persarumque primores invitavit ad epulas. Novem milia eo convivio excepisse, proditum est memoriae, eosque omnes invitante rege ex eodem cratere libavisse, Graecis barbarisque vatibus tum alia fausta vota praeeuntibus, tum inprimis ut ea utriusque imperii in idem corpus coalita societas perpetua foret. Maturata deinde est missio, et infirmissimus quisque exauctorati. Amicorum quoque seniorum quibusdam commeatum dedit. Ex quis Clitus cognomento Albus Gorgiasque et Polydamas et Antigenes fuere. Abeuntibus non modo praeteriti temporis stipendia cum fide persolvit, verum etiam talentum adiecit in singulos milites, viatici nomine. Filios ex Asiaticis uxoribus susceptos (ad decem milia fuisse traduntur) apud se relinqui iussit, ne in Macedoniam cum parentibus transgressi, et coniugibus liberisque prioribus permixti, familias sin-

§. 3. *Nec hoc quidem*] Adhuc editum est, quod et mss. libros omnes occupavit *Nec hoc quidem*. Sed copulae nullus prorsus h. l. usus est, nec dubitabis quod totiens adiuvantibus libris mss. feceris, aliquando etiam facere refragantibus.

noxa — contactos] Libri fere omnes *contractos*, verum in solo quidem de meis Flor. G extat.

offerre se corpora irae, trucidaret] Sic primus edidit Modius e mss. uti dicit, priores edd. *irae* omiserunt. Codd. quidem nostri omnes *corpora ira retrucidaret*, edit. princ. et Voss. 2 *ira trucidaret*. Sed recte Modius.

Iam sequitur amplissima lacuna, quae in codicibus nostris aut parvo aut nullo intervallo significatur, quoniam veram eius longitudinem librarii spatio iam non exprimere poterant. Supplementum, quod primum in Basil. editione 1545 a Brunone confectum Snakenburgius ait accessisse, omisimus, Freinshemianum elegantius et accuratius scriptum, ne studium historiae cognoscendae falleretur, adiecimus. Reprehendit autem Freinshemium Tellierius quod, cum ex Arriano VII, 8 constet seditionem militum fuisse ad urbem Opim in Tigris ripa sitam, ille in supplemento Alexandrum, reconciliatis demum Macedonum animis, Susis profectum scripserit. Verum Freinshemius in ea re secutus est Diodorum c. 109 et sq. quamquam et ipse existimo Curtium aliter rem instituisse et aliquanto ante, ubi prima magna lacuna post caput nostrum 6. est, de iis quae rex Susis egerit imprimisque de nuptiis principum Macedonum cum Asianis mulieribus scripsisse, (cuius rei admonet milites cap. 12, 12) ac deinde navigationem et iter regis usque ad urbem Opim narrasse. Diodorus in hac parte historiae iusto brevior est.

gulorum contentionibus et discordiis implerent; sibi curae fore pollicitus, ut patrio more instituti militiae artes edocerentur. Ita supra decem veteranorum milia dimissa sunt; additusque est Craterus, qui eos deduceret, ex praecipuis regis amicis. Cui si quid humanitus accidisset, Polyperchonti parere iussi sunt. Litteris etiam ad Antipatrum scriptis, honorem emeritis haberi praecepit, ut quotiens ludi atque certamina ederentur, in primis ordinibus coronati spectarent; utque fato functorum liberi impuberes in paterna stipendia succederent. Craterum Macedoniae continentibusque regionibus cum imperio praeesse placuit, Antipatrum cum supplemento iuniorum Macedonum ad regem pergere. Verebatur enim, ne per discordiam praefecti cum Olympiade gravis aliqua clades acciperetur. Nam multas ad Alexandrum epistolas mater, multas Antipater miserat, vicissimque alter alterum arroganter et acerbe pleraque facere criminabantur, quae ad dedecus aut detrimentum regiae maiestatis pertinerent. Postquam enim rumor occisi regis temere vulgatus in Macedoniam penetravisset, mater eius sororque Cleopatra tumultuatae fuerant, et haec quidem paternum regnum, Olympias Epirum invaserat. Forte dum eiusmodi litterae redduntur, Hephaestion, assuetus omnium arcanorum se participem haberi, resignatas ab Alexandro simul inspiciebat. Neque vetuit eum rex, sed detractum digito anulum ori legentis admovit, nihil eorum, quae perscripta essent, in alios efferendum significans. Incusasse autem ambos fertur, et matris insolentia permotum exclamasse, eam pro habitatione decem mensium, quam in utero sibi praebuisset, gravem mercedem exigere: Antipatrum vero suspectum habuisse, quasi parta ex Spartanis victoria tollentem animos, et imperio tot iam in annos prorogato supra praefecti modum elatum. Itaque cum eius gravitas atque integritas a quibusdam praedicaretur, subiecit, exterius quidem album videri, sed si penitus introspiciatur, totum esse purpureum. Pressit tamen suspicionem suam, neque ullum manifestius abalienati animi indicium praetulit. Credidere tamen plerique, Antipatrum, evocari se supplicii causa ratum, impiis machinationibus regiae mortis, quae paulo post secuta est, auctorem extitisse.

Interea rex, ut imminuti exercitus detrimenta sarciret, optimum quemque Persarum in Macedonicos ordines allegit: mille etiam praestantissimos segregavit ad propiorem sui corporis custodiam: aliam hastatorum manum, haud pauciores decem milibus, circa regium tabernaculum excubias agere iussit. Haec agenti Peucestes supervenit cum viginti sagittariorum funditorumque milibus, quos ex sua provincia coëgerat. His per exercitum distributis, profectus est Susis, et Pasitigri amne transmisso, apud Caras castra metatus est: inde quatriduo per Sittacenen ductis copiis Sambana processit, ubi per septem dies quietum agmen tenuit. Tridui deinde itinere emenso Celonas perventum est. Oppidum hoc tenent Boeotia profecti, quos Xerxes sedibus suis excitos in Orientem transtulit: servabantque argumentum originis peculiari sermone, ex Graecis plerumque vocibus constante: ceterum ob commerciorum necessitatem finitimorum barbarorum lingua utebantur. Inde Bagistanen ingressus est, regionem opulentam et abundantem arborum amoeno et fecundo foetu, ceterisque ad vitae non usum modo, verum etiam delectationem pertinentibus. Gravis inter haec Eumeni cum Hephaestione simultas inciderat. Nam servos Eumenis diversorio, quod pro hero suo anteceperant, Hephaestio proturbavit, ut Euius tibicen eo reciperetur. Neque multo post, cum iam sopita odia viderentur, nova exorta contentione adeo recruduerunt, ut etiam in atrox iurgium et acerba utrinque convicia prorumperent. Sed Alexandri interventu imperioque inimicitiae saltem in speciem abolitae sunt: cum ille quidem Hephaestioni etiam minatus esset, qui in flagrantissima regis gratia positus, quamquam cupidum reconciliationis Eumenem, pertinacius aversabatur.

Perventum deinde est in Mediae campos, ubi maximi equorum greges pascebantur. Nisaeos appellant, magnitudine et specie insignes. Supra quinquaginta milia ibi reperta, cum Alexander eo transiret, a comitibus illius annotatum est: olim triplo plures fuisse, sed inter bellorum turbas maximam eorum partem praedones abegisse. Ad triginta dies ibi substitit rex. Eo Atropates Mediae satrapa centum barbaras mulieres adduxit, equitandi peritas, peltisque et securibus armatas: unde quidam crediderunt, Amazonum ex gente reliquias fuisse. Septimis deinde castris Ecbatana attigit, Mediae caput. Ibi sollemnia diis sacrificia fecit, ludosque edidit, et in convivia festosque dies laxavit animum, ut mox in novorum operum curam atque ministeria validior intenderetur. Sed ista volventem, velut iniecta manu, fatum alio traxit, vitamque carissimo amicorum eius, neque multo post ipsi quoque regi extorsit. Pueros in stadio certantes spectabat, cum nuntiatur deficere Hephaestionem, qui morbo ex crapula contracto septimum iam diem decumbebat. Exterritus amici periculo statim consurgit, et ad hospitium illius celeriter pergit: neque tamen prius eo pervenit, quam illum mors occupasset. Id regi omnium, quae in vita pertulerat, adversorum luctuosissimum accidisse certum habetur, eumque magnitudine doloris in lacrimas et lamenta victum, multa animi de gradu deiecti argumenta edidisse. Sed ea quidem varie traduntur: illud inter omnes constat, ut quam decentissimas exequias ei duceret, noluisse Ecbatanis sepeliri, sed Babylonem, quo ipse concessurus erat, a Perdicca deferri curasse: ibique funus inaudito antehac exemplo duodecim talentum milibus locavisse. Per universum certe imperium lugeri eum iussit: et ne memoria eius in exercitu exolesceret, equitibus, quis praefuerat, nullum praefecit ducem, sed Hephaestionis alam appellari voluit, et quae ille signa instituisset, ea non immutari. Funebria certamina ludosque, quales nunquam editi fuissent, meditatus, tria artificum milia coëgit: qui non multo post in ipsius exequiis certasse feruntur. Nec amici tam effuso affectu ad conciliandam eius gratiam segniter usi, certatim repperere, per quae memoria defuncti clarior honoratiorque fieret. Igitur Eumenes, cum se ob simultatem cum Hephaestione regis indignationem incurrisse sensisset, multis auctor fuit, seque et arma sua Hephaestioni consecrandi, pecuniasque ad cohonestandum funus large contulit. Hoc exemplum imitati sunt ceteri: eoque mox processit assentationum impudentia, ut regi maerore et desiderio defuncti insanienti persuasum tandem fuerit, deum esse Hephaestionem. Quo quidem tempore ex copiarum ducibus Agathocles Samius ad extremum periculi venit, quod illius tumulum praeteriens illacrimasse visus esset. Ac nisi Perdiccas, venanti sibi Hephaestionem apparuisse ementitus, per deos omnes ipsumque Hephaestionem deierasset, ex ipso se cognovisse, Agathoclem non ut mortuum, et vanae divinitatis titulis frustra ornatum flevisse, verum ob memoriam pristinae sodalitatis lacrimas non tenuisse, vir fortis et de rege bene meritus pietatis in amicum graves poenas innoxio capite pependisset.

Ceterum ut paulisper a luctu avocaret animum, in Cossaeorum gentem expeditionem suscepit. Iuga Mediae vicina Cossaei tenent, asperum et acre genus, et praedando vitam tolerare solitum. Ab his Persarum reges annuo tributo pacem redimere consueverant, ne in subiecta decurrentes infestam latrociniis regionem facerent. Nam vim temptantes Persas facile reppulerant, asperitate locorum defensi, in quae se recipiebant, quotiens armis superabantur. Iidem muneribus quotannis placabantur, ut regi Ecbatanis, ubi aestiva solebat agere, Babylonem remigranti tutus per ea loca transitus esset. Hos igitur Alexander bipartito agmine aggressus, intra quadraginta dies perdomuit. Nam ab ipso rege et Ptolemaeo, qui partem exercitus ducebat, saepe caesi, ut captivos suos reciperent, permisere se victori. Ille validas urbes opportunis locis extrui iussit, ne

abducto exercitu fera gens obedientiam exueret. Motis inde castris, ut militem expeditione recenti fessum reficeret, lento agmine Babylonem procedebat. Iamque vix triginta ab urbe stadiis aberat, cum Nearchus occurrit, quem per Oceanum et Euphratis ostia Babylonem praemiserat: orabatque, ne fatalem sibi urbem vellet ingredi. Compertum id sibi ex Chaldaeis, qui multis iam praedictionum eventibus artis suae certitudinem abunde probavissent. Rex, fama eorum hominum constantique asseveratione motus, dimissis in urbem amicorum plerisque, alia via praeter Babylonem ducit, ac ducentis inde stadiis stativa locat. Sed ab Anaxarcho philosopho edoctus, contemptis Chaldaeorum monitis, quorum disciplinam inanem aut supervacuam arbitrabatur, urbem intrat. Legationes eo ex universo ferme orbe confluxerant. Quibus per complures dies studiose auditis, deinceps ad Hephaestionis exequias adiecit animum. Quae summo omnium studio ita celebratae sunt, ut nullius ad id tempus regis feralia magnitudine sumptuum apparatusque celebritate non vicerint. Post haec cupido incessit regi per Pallacopam amnem ad Arabum confinia navigandi; quo delatus, urbi condendae commoda sede reperta, Graecorum aetate aut vulneribus invalidos, et si qui sponte remanserant, ibi collocat. Quibus ex sententia perfectis, iam futuri securus Chaldaeos irridebat, quod Babylonem non ingressus tantum esset incolumis, verum etiam excessisset. Enimvero revertenti per paludes, quas Euphrates in Pallacopam effusus efficit, foedum omen oblatum est. Quippe rami desuper impendentes detractum capiti regio diadema proiecerunt in fluctus. Cum deinde alia super alia prodigiosa et minacia nuntiarentur, procurandis iis Graeco simul barbaroque ritu continua sacra facta sunt. Neque tamen expiari praeterquam morte regis potuere. Qui cum Nearchum excepisset convivio, iamque cubitum iturus esset, Medii Larissaei obnixis precibus dedit, ut ad eum comissatum veniret. Ubi postquam tota nocte perpotasset, male habere coepit. Ingravescens deinde morbus adeo omnes vires intra sextum diem exhausit, ut ne vocis quidem potestas esset. Interea milites, sollicitudine desiderioque eius anxii, quamquam obtestantibus ducibus, ne valetudinem regis onerarent, expresserunt, ut in conspectum eius admitterentur.]

14 Intuentibus lacrimae obortae praebuere speciem iam v. 1
non regem, sed funus eius visentis exercitus. Maeror 2
tamen circumstantium lectum eminebat: quos ut respexit, *Invenietis*, inquit, *cum excessero, dignum talibus viris regem?* Incredibile dictu adituque, in eodem habitu 3
corporis, in quem se composuerat, cum admissurus milites esset, durasse, donec a toto exercitu illud ultimum persalutatus est: dimissoque vulgo, velut omni vitae

Cap. 14, §. 2. *quos ut respexit*] Sic Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A et verum puto, quod significatur inclinatio capitis ad rem maxime accommodata, quoniam directo ante regis oculos praeteribant milites. Vulgo ex reliquis codd. *quos ut rex aspexit.*

§. 3. *illud ultimum*] Hoc vero praeclare iidem illi libri et Flor. BC quod pro vulg. *a toto exercitu illo ad ultimum persalutatus est* exhibent *illud ultimum*. Nam *illo* male abundat, et, quamvis et *ultimum* et *ad ultimum* recte dicatur, multo tamen mollius et ad commiserationem aptius *illud ultimum* h. l. est. Vertas Germ. damals zum letzten Mal, sive ut nostri fere dicerent nun zum letzten Mal, de quo usu pronominis *ille*

4 debito liberatus, fatigata membra reiecit. Propiusque adire iussis amicis, (nam et vox deficere iam coeperat,) detractum anulum digito, Perdiccae tradidit, adiectis manda-
5 tis, ut corpus suum ad Hammonem ferri iuberent. Quaerentibus his, cui relinqueret regnum? respondit, ei, qui esset optimus; ceterum providere iam se, ob id certamen ma-
6 gnos funebres ludos parari sibi. Rursus Perdicca interrogante, quando coelestes honores haberi sibi vellet? dixit, tum velle, cum ipsi felices essent. Suprema haec vox fuit regis, et paulo post extinguitur.

7 Ac primo ploratu lamentisque et planctibus tota regia personabat: mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant, ad cogitationes, quid deinde futurum
8 esset, dolore converso. Nobiles pueri custodiae corporis eius assueti nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum regiae tenere potuerunt: vagique et furentibus similes totam urbem luctu ac maerore compleverant, nullis questibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit.
9 Ergo qui extra regiam astiterant Macedones pariter barbarique concurrunt, nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persae iustissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invo-
10 cantes, certamen quoddam maeroris edebant. Nec maestorum solum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur,

dixi in gramm. Lat. §. 703. Ceterum vide ad v, 43, 2.

§. 4. *ferri iuberent*] Plurali numero libri mss. omnes exhibent, nec nisi recentiore aetate edi coeptum est *iuberet*. Cum sequatur pluralis *quaerentibus* illud mandatum non ad unum videtur pertinuisse. Sed *respondet* quod est in libris bonis (Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. AB) non recipio, cum et sequatur mox praeteritum, et ipsum tempus praesens minus aptum videatur.

§. 5. *providere iam se*] Libri mss. et primum editi *provide*, Flor. CG *proinde*, sed omittunt omnia haec inter verba *optimus* et *magnos* Flor. DEFHI Bern. B. Pal. 1. Aldus ediderat de coniectura *providerat*, Iunius *praevidere*, Modius demum *providere* quod Snak. tradit in Leid. inventum esse, simulque Modius *se* adiecit secundum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A.

Cap. 15, §. 8. *doloris magnitudinem capere*] Mendose codd. integriores *magnitudinem carere*, ceteri *magnitudine carere*. Sed post pro vulg. *retinere* et usus sermonis et librorum mss. fides postulat ut *tenere* scribatur. Modius e libris mss. correxit etiam *tantam* pro *totam*, sed illi cum pauci sint, (praeter ipsius Modii Sigeberg. unus Flor. A et Leidensis et Bern. A) tum in facili corruptione auctoris sententiam non exprimunt.

tam viridem et in flore aetatis fortunaeque invidia deum ereptum esse rebus humanis. Vigor eius et vultus educentis in proelium milites, obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro contione donantis occurrebant oculis. Tum Macedones divinos honores negasse ei poenitebat, im- 11
piosque et ingratos fuisse se confitebantur, quod aures eius debita appellatione fraudassent.

16 Et cum diu nunc in veneratione, nunc in desiderio regis haesissent, in ipsos versa miseratio est. Macedonia 12
profecti ultra Euphraten in mediis hostibus novum imperium aspernantibus destitutos se esse cernebant; sine certo regis herede publicas vires ad se quemque tracturum. Bella deinde civilia, quae secuta sunt, mentibus augurabantur: iterum, non de regno Asiae, sed de rege, ipsis sanguinem esse fundendum; novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices; senes, debiles, modo petita missione a iusto 14
rege, nunc morituros pro potentia forsitan satellitis alicuius ignobilis. Has cogitationes volventibus nox supervenit, 15
terroremque auxit. Milites in armis vigilabant; Babylonii alius e muris, alius culmine sui quisque tecti prospectabant, quasi certiora visuri. Nec quisquam lumina audebat accen- 16

§. 10. *pro contione donantis*] Omissa lineola Flor. AB Leid. Voss. 1 Bern. A *donatis*. Iidem addita illa, ubi non debebat, paulo post *poenitebant*, et Flor. EFH Bern. B *dilatos esse* pro eo quod est *negasse*.

Cap. 16, §. 12. *in mediis hostibus — destitutos*] Addidi de coniectura praepositionem proxima littera in codd. mss. haustam (vid. Ind. s. v. *litter.*), quia sine ea sententiam non absolvi arbitrabar, ut significarentur derelicti in medio hostium. Supra VIII, 16, 27 item praepositio addenda fuit, cum vulgo esset *rex medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem.*

sine certo regis herede publicas vires ad se quemque tracturum] Vulgo editur *sine certo regis herede, sine herede regni publicas vires ad se quemque tracturum*, quod a Curtio profectum esse nemo sibi persuaserit. Equidem alterum, quod in optimis posteriore loco legitur, *sine herede regni* interpretandi causa vel tanquam variantem lectionem adscriptam censeo, nam in libris Flor. EFGH Voss. 2 Bern. B mutato loco *sine herede regni sine certo regis herede publicas* invenitur. Nec videtur *certus heres* librarium sapere.

§. 15. *alius e muris, alius culmine*] Iunius eumque exprimens Modius *alius e culmine* scripserunt, quos et ipse secutus sum priore editione. Nunc librorum mss. scripturam defendo, a qua non discedunt nisi Flor. DI, quod etiam *muris* sine praepositione exhibent. Nam quod tradit Snak. illo loco praepositionem abesse a Flor. (Heinsii) Leid. Voss. 1 Dan. Pal. 1, de Pal. 1 perpetuo fere Florentini F comite verum esse potest, de integrioribus illis verum esse non videtur, quia nihil eiusmodi ex meis Flor. nec ex Bern. A enotatum est. De omissa praepos. in altero membro cf. ad v, 1, 1.

dere. Et quia oculorum cessabat usus, fremitus vocesque auribus captabant, ac plerumque vano metu territi per obscuras semitas, alius alii occursantes, invicem suspecti ac
17 solliciti ferebantur. Persae, comis suo more detonsis, in lugubri veste, cum coniugibus ac liberis, non ut victorem et modo hostem, sed ut gentis suae iustissimum regem vero desiderio lugebant. Assueti sub rege vivere, non alium, qui imperaret ipsis, digniorem fuisse confitebantur.
18 Nec muris urbis luctus continebatur, sed proximam17 regionem ab ea, deinde magnam partem Asiae cis Euphra-
19 ten tanti mali fama pervaserat. Ad Darei quoque matrem celeriter perlata est. Abscisa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumpsit, laceratisque crinibus humi corpus abiecit.
20 Assidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephaestionem, cui nupserat, lugens, propriasque causas doloris in
21 communi maestitia retractabat. Sed omnium suorum mala Sisygambis una capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam praeterita revocaverat. Crederes modo amissum Dareum, et pariter miserae duorum filiorum exequias esse ducendas. Flebat simul mortuos vivos-
22 que. Quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum esse se captas, iterum

§. 16. *plerumque vano*] Flor. AB *plerumque qui*, Leid. Voss. 1 Bern. A *plerumque quae*.

ac solliciti] Sic omnes nostri. Vulgo *et*.

§. 17. *comis suo more detonsis*] Edd. vett. et codices olim collati *commisso more*. Emendavit Palmerius apud Modium. E quatuor tantum Flor. FGHI et utroque Bern. *commisso more* mihi enotatur, ut in reliquis extitisse videatur quod Palmerius recte coniecerat.

cum coniugibus primus edidit Modius, sicut Iunius in margine notarat, in prioribus editt. et codicibus ad unum omnibus *cum* omittitur, videlicet propter insequentem literam *c*. Singulare aliud vitium, quod in mss. item omnibus legitur *et modo ut hostem*.

Cap. 17, §. 18. *cis Euphraten*] Sic cum Snakenb. edit. Bern. A et Flor. ADFGI. Vulgo *cis Euphratem*.

§. 19. *Abscisa ergo veste*] Vulgo *abscissa*. Cf. ad III, 29, 25.

§. 20. *altera ex neptibus*] Multi et boni libri Flor. ABC Leid. Voss. 1 Bong. *nepotibus*, in Dan. (Bern. A) litera *o* puncto notatur. Neque potest sic defendi ut dicamus *nepotes* communiter dici de nepte et nepote quem Darei filium secum habuit, nam auctor cum dixit *altera*, de Alexandri uxore *Statira* sine dubio cogitavit. Mendosum item est quod in libris nostris et Snak. omnibus legitur *retractabant*, nam illud ad solam Drypetin, Hephaestionis uxorem, pertinet. Quo intellecto Freinshemius *retractabat* edidit.

§. 21. *simul mortuos vivosque*] Hoc verba ordine collocantur in Snak. et nostris omnibus, cum vulgo praeterquam a Modio edatur *mortuos simul vivosque*. Cf. ad III, 12, 2.

excidisse regno. Qui mortuo Dareo ipsas tueretur, reppe-
risse, qui post Alexandrum respiceret, utique non reperturas. Subibat inter haec animum, octoginta fratres suos 23
eodem die ab Ocho saevissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum patrem; e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum superesse; ipsum Dareum floruisse paulisper, ut crudelius posset extingui. Ad ultimum dolori 24
succubuit, obvolutoque capite, accidentes genibus suis neptem nepotemque aversata, cibo pariter abstinuit et luce. Quinto, postquam mori statuerat, die extincta est. Magnum 25
profecto Alexandro indulgentiae in eam iustitiaeque in omnes captivos documentum est mors huius; quae cum sustinuisset post Dareum vivere, Alexandro esse superstes erubuit.

18 Et hercule, iuste aestimantibus regem liquet, bona 26
naturae eius fuisse, vitia vel fortunae, vel aetatis. Vis in- 27
credibilis animi; laboris patientia propemodum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit; liberalitas saepe maiora 28
tribuentis, quam a diis petuntur; clementia in devictos, tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dono data; mortis, cuius metus ceteros exanimat, perpetua con- 29
temptio; gloriae laudisque ut iusto maior cupido, ita ut iuveni et in tantis admittenda rebus; iam pietas erga pa- 30

§. 22. *iterum esse se captas*] Sic codd. longe plurimi, Flor. EFH Bern. B Pal. 1 *et se esse captas*, omittitur *esse* in nullo manuscripto. Verum editi nunc fere *iterum se captas*. Tum *qui plus Alexandrum respiceret* vitiose integriores codices, correcti *et plus Alexandrum qui eas respiceret*, sed dudum emendarunt editores.

§. 23. *unum superesse*] Oxathrem intelligit, quem Alexander inter amicos (corporis custodes appellat Curtius VII, 24, 40) habuit.

§. 24. *dolori succubuit*] Sic mss. omnes, editi praeter Mod. *succumbit*. In fine orationis et paragraphi *est* addidi propter consensum librorum Florentinorum omnium, nec solet auctor sine discrimine verbum substantivum omittere. Quid quod legitur etiam in editionibus veteribus et Modiana, ut eam voculam nescio quis recentiorum temere sustulisse videatur.

§. 25. *Alexandro esse superstes*] Temere Modius *Alexandri*. Nulla codicum est varietas, nisi quod Flor. I *Alexandro siperstes esse* habet.

Cap. 18, §. 29. *et in tantis admittenda rebus*] Codd. plerique *et in tantis nec admittenda* sive *amittenda* (ut Flor. AB Leid. Voss. 1 Pal. 1) *nec in tantis admittenda* Flor. D, *nec in tantis amittenda* Flor. I, *in tantis nec admiranda rebus* Flor. G. Vereor ne quid corrupti subsit, nam etiam verborum ordo in vulg. lectione offendit. Sed nihil ipse inveni melius vulgata.

rentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decre-
31 verat, Philippum ultus erat; iam in omnes fere amicos beni-
gnitas, erga milites benivolentia; consilium par magnitudini
animi, et quantam vix poterat aetas eius capere, sollertia;
32 modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale
desiderium usus, nec ulla nisi ex permisso voluptas, ingen-
33 tes profecto dotes erant. Illa fortunae: diis aequare se,
et coelestes honores accersere, et talia suadentibus oraculis
credere, et dedignantibus venerari ipsum vehementius quam
par esset irasci; in externum habitum mutare corporis
cultum, imitari devictarum gentium mores, quos ante victo-
34 riam spreverat. Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti
35 iuventa irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. Faten-
dum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus de-
buisse fortunae, quam solus omnium mortalium in potestate
habuit. Quotiens illum a morte revocavit? quotiens temere
36 in pericula vectum perpetua felicitate protexit? Vitae quo-
que finem eundem illi, quem gloriae statuit. Expectavere
eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quic-
37 quid mortalitas capiebat impleret. Huic regi ducique suc-
cessor quaerebatur: sed maior moles erat, quam ut unus
subire eam posset. Itaque nomen quoque eius et fama
rerum in totum propemodum orbem reges ac regna diffu-
dit, clarissimique sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae
fortunae adhaeserunt.

1. Ceterum Babylone (inde enim devertit oratio) corporis19

§. 30. *consecrare decreverat*] Unus Flor. A *consecraverat. Olympiadem*, praeter eundem Flor. antiquissimum reliqui omnes, sed illi suffragantur etiam Leid. Voss. 1 Bern. A.

§. 32. *modus immod.*] Snak. omnes et Bern. AB et Flor. ABCH *modum*, Flor. E et edit. pr. *modo*, Flor. F *modicus*.

§. 33. *Illa fortunae*] *Vitia fortunae* ediderant veteres editores usque ad Modium secundum codd. deteriores Flor. DEFH Bern. B Voss. 2, *illa fortunae vitia* traditur in Pal. 1 esse.

honores accersere] Voss. 2 *arcessere*, Flor. CG *accersire*, ceteri ut edidimus.

quam par esset] Nota *quam par erat* in Flor. EFGH Bern. B Pal. 1 Voss. 2. Nimirum coniunctivi elegantior usus quem attigi in Gramm. §. 560 librarios fefellit. Cf. IV, 34, 1. IV, 47, 8. V, 24, 7. Item Flor. EH Bern. B suum potius quam Curtii loquendi modum expresserunt, quod mox *extraneum habitum* exhibent.

quos ante vict. spreverat] Ad *mores* referri patet, itaque *quos* scribendum fuit, quod est in Flor. DG. In reliquis et edd. vulg. *quas* legitur. Totum hoc colon omittitur in Flor. CEFH Bern. B Voss. 2.

Cap. 19, §. 1. *inde enim devertit oratio*]

eius custodes in regiam principes amicorum ducesque copiarum advocavere. Secuta est militum turba, cupientium scire, in quem Alexandri fortuna esset transitura. Multi 2 duces frequentia militum exclusi regiam intrare non poterant, cum praeco, exceptis, qui nominatim citarentur, adire prohiberet. Sed precarium spernebatur imperium. Ac pri- 3 mum eiulatus ingens ploratusque renovatus est: deinde futuri expectatio inhibitis lacrimis silentium fecit. Tum Per- 4 dicca, regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erant, anulum sibi pridie traditum a rege in eadem sede posuit; quorum aspectu rursus obortae omnibus lacrimae integravere luctum. Et 5 Perdicca, *Ego quidem*, inquit, *anulum, quo ille regni atque imperii vires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis. Ceterum quamquam nulla clades huic, qua affecti sumus,* 6 *par ab iratis diis excogitari potest, tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, cito repeterent eum suae stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest,* 7 *quam quod semper ab immortalitate seducitur, corpori homini-*

devertit edidimus pro vulg. *divertit* auctoritatem Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. ABC secuti, item supra lib. IV, 35, 1 et 61, 14 eandem formam e libris melioribus restituimus, quoniam deflectendi de via notio inest. Cf. Drakenb. ad Liv. I, 51, 8, qui tamen sibi non constitit, libro XXXIX, 53 init. *a quibus divertit oratio* edens, cum optimi haberent *devertit*.

§. 2. *cum praeco — prohiberet*, i. e. quamvis prohiberet. Modium secuti recentiores ediderunt *prohibuit* contra mss. codicum auctoritatem.

§. 4. *Tum Perdicca*] Vulgo *tunc*, sed *primum* sequitur *tum*, non *tunc*, itaque correxi quamquam nihil e libris mss. notatum est, nisi *tum* esse in Voss. 2. Deinde *in conspectum volgi* Leid. Bern. A Flor. AB antiqua scribendi ratione.

§. 5. *vires obsignare*] Dubitant interpretes, quid sit, et fere de loco corrigendo cogitant. Mihi cum obsignandi duplex usus sit, ut aut confirmetur aliquid anulo impresso aut claudatur et interdicatur reliquis, hoc quidem loco de thesauris intelligendum videtur ad ipsius regis usum sepositis. *Vires* dicuntur velut opes: quis autem nescit nervum rerum gerendarum haberi pecuniam?

§. 7. *quod semper ab immortalitate seducitur*] Cum olim alii aliter explicuissent et corrigere etiam conati essent, postremi Heumannus et Snakenb. recte interpretati sunt. Ad sententiam quidem loci parum interest utrum vulg. *subducitur* retineatur an lectio codd. omnium *seducitur* recipiatur. Quod nos quidem non facere non potuimus. Dicit igitur hoc: superest illud quod semper separatur, seiungitur, procul habetur ab immortalitate, videlicet corpus mortale. Huic *corpori et homini*, ait, iusta solvamus. Nam illam ego verissimam Heumanni emendationem censeo, cum in libris et editis et mss. legatur *nomini*. Defendunt quidem Snakenb. et Schmiederus vulgatam lectionem, sed ille aliena

que quam primum iusta solvamus, haud obliti, in qua urbe,
8 *inter quos simus, quali praeside ac rege spoliati. Tractandum est, commilitones, cogitandumque, ut victoriam partam inter hos, de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. Hocine uno, an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis,*
9 *militarem sine duce turbam corpus esse sine spiritu. Sextus mensis est, ex quo Roxane praegnans est: optamus, ut marem enitatur, cuius regnum diis approbantibus futurum, quandoque adoleverit. Interim a quibus regi velitis destinate.* Haec Perdicca.

10 Tum Nearchus, Alexandri modo sanguinem ac stir-20
pem regiae maiestati convenire, neminem, ait, posse mirari.
11 Ceterum expectari nondum ortum regem, et qui iam sit praeteriri, nec animis Macedonum convenire, nec tempori rerum. Esse e Barsine filium regis: huic diadema dan-

miscet, nomen pro gente, populo, dici docens quod nemo dubitat, alter, quasi ludens verbis *nomini iusta solvere* de exequiis nomine dignis interpretatur. At *nomini iusta solvere*, i. e. illud sepeliendum curare vereor ne contra potius intelligatur de fama hominis extinguenda et oblivioni tradenda. Quin igitur facili medela probata Curtium dicere patimur, quod et verum est et illi oratori accommodatum, cui persuasum erat, quod in rege suo divinum fuisset ad deos recessisse, quod mortale et terrestre sepulturae honore afficiendum.

quali praeside ac rege] Sic manuscripti, editi hucusque *quali rege ac praeside*.

§. 8. *Hocine uno, an pluribus*] Sic edidi cum vulgo esset *hoc ne*, ex libris Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1, a quibus ne illi quidem multum abeunt, qui *hoc me* exhibent, Bern. B Voss. 2 Pal. 1 Flor. CEFGH. Neque correxi *hoccine*, quod in edendis Livii historiis Drakenborchius optimis codicibus refragantibus fecit (vide quae notavit ad libr. VI, 17, §. 3) sed Bentleium potius in Terentio secutus sum. Nusquam enim inscriptiones et vetusti libri in hac paragoge duplicem literam *c* exhibent. Cf. Schneid. Element. p. 404 sq. Modius *hoc uno* de coniectura. Ceterum Schefferus se non intelligere scripsit, quid istud *hoc* sibi vellet. At intellexisset, opinor, si fuisset *num uno eo an pluribus*. Refertur enim ad praegressum *caput*. In vernaculo sermone pronomen fere omittimus, sed licet tamen addere dergleichen: ob einen dergleichen oder mehrere, ſtebt in eurer Gewalt. Ne quid praetermittamus, in quo aliquis offendere possit, *pluribus* abest a Leid. Voss. 1 Bern. A pr. m. Flor. A, sed excidisse tantum ceteri libri, imprimis cuius auctoritas proxima est, Flor. B docent.

§. 9. *cuius regnum — quandoque*] Vulgo editur *eius — quando*, quod inventum est *eius* in Flor. I, *quando* in Flor. DI et Voss. 2. Reliqui autem codices *cuius* omnes, *quandoque* integriores et edit. Mod. habent, ita ut *quandocunque* legatur in Flor. EFH Bern. B Pal. 1. Constat autem etiam *quandoque* dici pro eo quod frequentius est *quandocunque*, sicut mox cap. 21, 21. Cf. ad VII, 39, 9.

Cap. 20, §. 10. *Alex. modo sanguinem*] *Modo* primus adiecerat Modius esse illud a membranis annotans. Nec abesse a Flor. et Bern. inveni. Quocirca miror quid sit, quod Snakenb. in Flor. (Heins.) Leid. Voss. 1 non repertum ostendit.

§. 11. *e Barsine*] Mss. *a Bars.* vel *ab Arsine*, sed praepositione *ab* ortum

dum. Nulli placebat oratio. Itaque suo more hastis scuta 12
quatientes obstrepere perseverabant. Iamque prope ad seditionem pervenerant, Nearcho pervicacius tuente sententiam. Tum Ptolemaeus, *Digna prorsus est soboles,* inquit, 13
quae Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barsinae filius! cuius nomen quoque Europam dicere pigebit, maiore ex parte captivi. Est cur Persas vicerimus, ut stirpi eorum serviamus! 14
quod iusti illi reges Dareus et Xerxes tot milium agminibus tantisque classibus nequicquam petiverunt. Mea sententia haec 15
est, ut sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius adhibebantur, coëant, quotiens in commune consulto opus fuerit: eoque, quod maior pars eorum decreverit, stetur, duces praefectique copiarum his pareant. Ptolemaeo quidam, pauciores 16
Perdiccae assentiebantur. Tum Aristonus orsus est dicere,

e matre significari posse mihi quidem non fit verisimile. *Barsine* illa, de qua nihil alibi Curtius, Artabazi filia et Memnonis Rhodii olim uxor, Damasci cum ceteris nobilibus feminis capta, rem habuerat cum Alexandro, teste Plutarcho in vit. Alex. c. 21 coll. cum Curt. III, 35, sed ei quidem nuptiis legitimis copulata non fuit. Nam illa quidem Barsine, quam Arrianus VII, 4 appellat, quamque dicit maiorem Darei regis filiam fuisse et ab Alexandro Susis in matrimonium esse ductam, si recte appellavit Barsinen, cum alii omnes Statiram vocent, certe ab hac Barsine diversa est. Notabile autem, in illis nuptiis Susianis Alexandri iussu Nearcho contigisse uxorem *τὴν Βαρσίνης τε καὶ Μέντορος παῖδα*, Arriano teste l. l. Illa et ipsa diversa est ab hac Barsine, sed cum Mentor frater fuerit Memnonis, facile intelligitur, quam propriam causam habuerit Nearchus, cur Herculem Alexandri filium ex Barsine, Memnonis olim uxore, ad regium fastigium evehi voluerit.

§. 12. *prope ad seditionem pervenerant*] Vulgo *prope seditionem.* Sed Iunius et Modius qui primi praepositionem eiecerunt, libros mss. in ea re parum curarunt, nam nostri et Snakenb. omnes adiiciunt. Liv. VIII, 29 *prope ad ultimum dimicationis ventum est.* Cf. supra ad lib. VII, 17, 22.

§. 13. *Tum Ptolemaeus*] Flor. BDI *Tandem Ptol.* non male, ac fortasse vere. Tum *Roxanes* Leid. Flor. A Bern. A recte, quod Iunius edidit, reliqui autem codd. et edd. primae *Roxanis* (Ald. *Rhoxanis*). *Vel Barsinae* plures habent, sed *et Barsine (ae)* Flor. EH Bern. B, *ex Barsine* Flor. F. *Vel Arsinae* edidit Aldus, *vel Barsines* Iunius eumque secutus Modius, sine libris mss.

§. 14. *Est cur Persas vicerimus*] Sic locum constitui, reducto verbo *est* quod ab Aldo sublatum diu exulaverat, cum in mss. omnibus esset, quantum quidem e Flor. et Bernensium librorum et quos Snak. commemorat Leid. Vossianique prioris principumque edd. consensu iudicare licet. Sed adhaeserat verbis praegressis *captivi est*, maxima interpunctione a particula *cur* diremptum. Et Freinsh. quidem unus vulgatam lectionem aegre tulit, modum potentialem minus aptum esse intelligens, *cur vicerimus?* itaque *vicimus* corrigendum censuit. Iam puto acerbae orationis elegantiam apparere, dicit enim hoc fere: Hoc scilicet operae pretium est, iam scimus cur tantos labores in devincendis Persis susceperimus, ut illorum ipsorum posteris obediamus!

§. 16. *pauciores Perd. assentiebantur*] Sentio quam difficile sit lectionem semel receptam loco depellere, sed quid faciat, ubi et libri omnes adversentur nec ipsa res dubitationem omnem tollat? Aldus

Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. Iudicatum autem ab ipso optimum Perdic-
7 cam, cui anulum tradidisset. Neque enim unum eum assedisse morienti, sed circumferentem oculos ex turba amicorum delegisse, cui traderet. Placere igitur, summum imperii ad
8 Perdiccam deferri. Nec dubitavere, quin vera censeret. Itaque universi procedere in medium Perdiccam et regis anulum tollere iubebant. Haerebat inter cupiditatem pudoremque, et quo modestius quod expectabat appeteret, per-
9 vicacius oblaturos esse credebat. Itaque cunctatus, diuque quid ageret incertus, ad ultimum tamen recessit, et post eos, qui sederant proximi, constitit.

10 At Meleager, unus e ducibus, confirmato animo, quem 21
Perdiccae cunctatio erexerat, *Nec dii sierint*, inquit, *ut Alexandri fortuna tantique regni fastigium in istos humeros ruat: homines certe non ferent. Nihil dico de nobilioribus, quam hic est, sed de viris tantum, quibus invitis nihil perpeti ne-*
1 *cesse est. Nec vero interest, Roxanes filium, quandoque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis, cum iste sub tutelae specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet,*

quidem *potiores* primus edidit, eumque ita secuti sunt ceteri, ut omnem mentionem prioris lectionis sepeliverint. At Snak. tres et Bernenses et Flor. omnes *pauciores* exhibent, nec Iunium ac Modium aliud in suis libris invenisse fidem faciunt ipsorum editiones. Verum quidem est nobiliores fere cum Perdicca fecisse, sed pauciores tamen hi fuerunt comparati cum vulgo militum, nec consulebatur tum de Perdicca, sed utrum nondum natus filius an alius quis rex esset, qua in re plerique omnes a Perdicca dissentiebant.

§. 17. *sed circumferentem — delegisse*] Libri mss. omnes *circumferenti*, sed recte Aldus videtur correxisse, aut *delectum* scribendum, si dativus verus est.

§. 18. *nec dubitavere*] Flor. A Bern. A Voss. 2 *dubitare*.

quo modestius quod expectabat appeteret] Sic Flor. A Leid. Voss. 1. 2 Bern. A. Quod olim edebatur et in plerisque Flor. BDEFGH legitur, *quod expetebat appeteret*, id quamquam defendi quodammodo potest, invento verborum discrimine, videlicet ut *expetere* ad animum, *appetere* ad manus et capiendi conatum pertineat, tamen parum perspicue nec satis eleganter propter verborum cognationem diceretur. Quod autem Modius edidit *quod appetebat expectaret* falsum est, nam omnis expectatio modesta est nec gradationem videtur accipere. Ceterum *expetere* et *expectare* in mss. saepissime permutantur. Cf. mox c. 26, 10.

Cap. 21, §. 20. *Nec dii sierint*] Sic integriores libri, deteriores non uno modo peccant. Nam cum in Flor. B fuisset *desierint*, Flor. C *differunt* effinxit, *dii ferant* Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 Voss. 2 *(ferunt)*, *dii sinant* Flor. G. *Nec* scripsit auctor, quoniam pergere volebat *nec homines ferent*, causa igitur non est idonea, cur cum Heinsio corrigamus *Ne di sirint*.

§. 21. *quandoque genitus erit*] Sic codd. paucis exceptis quorum Voss. 2 Flor. C *quando*, nullus tamen quod olim edebatur *quandocunque* h. l. exhibet.

nisi qui nondum natus est, et in tanta omnium festinatione, non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, et iam divinat marem esse conceptum; quem vos dubitetis paratum esse vel subdere. Si mediusfidius Alexander 21
hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex his, quae imperasset, non faciendum esse censerem. Quin igitur ad diri- 23
piendos thesauros discurritis? harum enim opum regiarum utique populus est heres. Haec elocutus per medios armatos 24
erupit, et qui abeunti viam dederant, ipsum ad pronuntiatam praedam sequebantur.

22 Iamque armatorum circa Meleagrum frequens globus VII.
erat, in seditionem ac discordiam versa contione; cum quidam plerisque Macedonum ignotus ex infima plebe, *Quid* 2
opus est, inquit, *armis civilique bello, habentibus regem, quem quaeritis? Arrhidaeus, Philippo genitus, Alexandri paulo ante regis frater, sacrorum caerimoniarumque consors modo, nunc solus heres, praeteritur a vobis. Quo merito suo? quidve fecit, cur etiam gentium communi iure fraudetur? Si Alexandro similem quaeritis, nunquam reperietis; si proximum, hic solus est.* His auditis contio primo silentium velut iussa habuit: 3
conclamant deinde pariter, Arrhidaeum vocandum esse, mortemque meritos, qui contionem sine eo habuissent.

§. 21. *quem vos dubitetis*] Coniunctivum modum pro eo quod vulgo est *dubitabitis* commendat auctoritas librorum Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A et accuratior usus Latini sermonis. Est enim interrogatio cum sensu negante, dubitabitisne talem hominem paratum esse? et pronomen relativum coniungendis membris inservit.

§. 22. *ex his quae*] Omnes libri mss. *his*, vulgo *iis*.

§. 24. *ipsum ad pronunciatam*] Olim edebatur *praenunciatam*, quod sane in Flor. G Bern. B legitur, male tamen, nam *pronuntiare* verbum proprium in ea re, ubi ad accipiendum praemium vel mercedem aliquos iubeas convenire. Sed maius est quod in optimis codd. *prenunciantem* legitur, quapropter Modius ne sententia pessundaretur antecedentia verba *ipsum ad* delevit. Sed talis medicina nobis non placet. Participiorum illorum terminationes permutari vides paulo post, ubi pro *vocandum esse*, quod haud dubie verum, iidem libri *vocatum esse* praeferunt.

Cap. 22, §. 1. *versa contione*] Mss. *concio* sive *contio*, nullus quantum scio *concione:* veruntamen sic opus est.

§. 2. *Arrhidaeus Philippo genitus*] Nomen regis varie et h. l. et infra corrumpitur, sed tamen ut videas vulgarem scribendi rationem *Aridaeum* auctori non placuisse. Plerique libri *Arithdeus*, alii *Aritholeus*, *Aritheus*. Graecis fere est Ἀῤῥιδαῖος (sed et Ἀριδαῖος Dexippo apud Photium cod. 82 et Straboni lib. XVII p. 794) Philippi filius, sed ex Philine sive Philinna Larissaea γυναικὸς ἀδόξου καὶ κοινῆς, ignobili et vulgati corporis, ut Plut. in Alex. vita extr.

4 Tum Pithon plenus lacrimarum orditur dicere, nunc vel maxime miserabilem esse Alexandrum, qui tam bonorum civium militumque fructu et praesentia fraudatus esset. Nomen enim memoriamque regis sui tantum intuentes, ad 5 cetera caligare eos. Haud ambigue in iuvenem, cui regnum destinabatur, impensa probra magis ipsi odium, quam Arrhidaeo contemptum attulerunt: quippe dum miserentur, 6 etiam favere coeperunt. Igitur non alium regem se, quam eum, qui ad hanc spem genitus esset, passuros, pertinaci 7 acclamatione declarant, vocarique Arrhidaeum iubent. Quem Meleager infestus invisusque Perdiccae strenue perducit in regiam; et milites Philippum consalutatum regem appellant. 8 Ceterum haec vulgi erat vox, principum alia sententia. 23 E quibus Pithon consilium Perdiccae exequi coepit, tutoresque destinat filio ex Roxane futuro Perdiccam et Leonna- 9 tum, stirpe regia genitos. Adiecit, ut in Europa Craterus et Antipater res administrarent. Tum iusiurandum a singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro. 10 Meleager, haud iniuria metu supplicii territus, cum suis secesserat. Rursus Philippum trahens secum irrupit regiam,

§. 4. *Pithon*] Mss. fere *phiton*, nam aspirata fere semper turbat imperitos librarios.

caligare eos. Haud ambigue] Lacunam h. l. (post *eos*) esse multorum versuum Aldus relicto in extrema pagina vacuo spatio primus indicavit, in mss. nulla notatur. Imperfectam Pithonis esse orationem facile intelligitur, sed hoc dubitaveris, utrum vetustatis iniuria an militum iratorum acclamatio eum interruperit; cum in ipso verbo *caligare* iam aliquid probri insit. Sed etiam quae sequuntur dubitationis nonnihil relinquunt. Primum *in* (ante *iuvenem*) omittitur in ed. pr. et Leid. Voss. 2 Pal. 1 Bern. A Flor. CFGHI, sed cum legatur in reliquis Flor. non magnopere moveor. Deinde omnes mss. item edd. princ. *impense probra quae obiecerat magis ipsi* cet. Inde fecerat Aldus *impensa probra quae magis ipsi*, omisso verbo *obiecerat*. Mihi ista *quae obiecerat* et ipsi tanquam interpretandi causa adscripta eiicienda videntur, sed locutionem *probra impensa* non habeo qui defendam. Freinshemius *intensa* malebat, melius etiam *intenta*, sive potius *intentata*, nam Vorwürfe aufwenden, uti Germanis, sic etiam Latinis inauditum. Potest tamen aliquo certe modo ferri, sed tum paene necessarium videtur lacunam statuere, quandoquidem ipsum verbum impendendi maius aliquid et continuum postulat.

§. 6. *non alium regem se — passuros*] Editi libri *non alium se — regnare passuros*, sed scripti quod sciam omnes *regnare* omittunt, cum in uno Flor. G et edit. Modii quem quidem nec ipsum sine mss. auctoritate illud scripsisse puto, *regem* legatur. Itaque exigua auctoritate quam nulla uti malo.

Cap. 23, §. 10. *cum suis secesserat*] *cum his* omnes mss. et primum editi, *successerat* Flor. CEH Bern. B. Sed recte correxerat Aldus. Mox *irrupit regiam* omnes mss. Aldus, Iunius, Mo-

clamitans suffragari reipublicae de novo rege paulo ante concepto: robur aetatis experirentur; modo stirpem Philippi, et filium ac fratrem regum duorum, sibimetipsis potissimum crederent. Nullum profundum mare, nullum vastum fre- 11
tum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova et brevi duratura libertate luxuriat. Pauci Perdiccae modo electo, plures Philippo, 12
quem spreverant, imperium dabant. Nec velle, nec nolle quicquam diu poterant, poenitebatque modo consilii, modo poenitentiae ipsius. Ad ultimum tamen in stirpem regiam inclinavere studiis. Cesserat ex contione Arrhidaeus, prin- 13
cipum auctoritate conterritus; et abeunte illo conticuerat magis, quam languerat, militaris favor. Itaque revocatus vestem fratris, eam ipsam, quae in sella posita fuerat, induitur. Et Meleager thorace sumpto capit arma, novi 14
regis satelles. Sequitur phalanx, hastis clipeos quatiens,

dius *irrupit in regiam* ediderant, poeticam syntaxin, qua modeste utitur Curtius, non ferentes.

suffragari reipublicae cet.] Locus difficilem habet explicationem, sed quam sic fere procedere arbitror, quandoquidem in codicibus nostris nihil prorsus varietatis est quae ad rem pertineat: se quoque laudare ac probare rempublicam, beatam eam existimare, quod ad novum regem attineret, qui adhuc in utero matris lateret; experirentur, quid ipsis prodesset rex nondum adultus, modo suae suorumque curae, non potestati Perdiccae et Leonnati, crederent et committerent Arrhidaeum, Philippi sanguinem, et duorum regum unius filium, alterius fratrem. Priorum interpretum nemo non de corrigendo loco cogitavit, sed eorum conatibus nihil novi infelicius, quapropter ab ipsis petant qui velint, me transscribere et refutare, quae temere coniecta sunt, piget.

§. 11. *utique si*] Nescio quo pertineat quod in omnibus mss. et primum editis legitur *utique et si*. Sustulit importunam particulam Aldus.

§. 12. *quem spreverant*] Sic emendavit Acidalius cum legeretur in Ald. Iuniana *quam speraverat*, in principibus et Modiana *quam speraverant*, verissime, nisi loci vera sententia me fugit. Describit auctor vulgi inconstantiam: universi modo Perdiccam regem esse inserant, tum pauci idem sentiebant, plerique initio Arrhidaeum *spreverant* tanquam regni incapacem, tum magna pars ei favebat. Quid Philippus *speraverit* nihil ad rem pertinet, ac re vera nihil speraverat, qui ab aliis in medium quasi protrusus esset. Praeterea plerique libri *speraverant* exhibent, si id quoque aliquid ad Acidalii emendationem commendandam conferre censes.

§. 14. *novi regis satelles. Sequitur*] Restituimus locum sicut in veteribus mss. et edd. principibus legitur. Cuius interpolandi occasionem dederat quod in editione principe, interpunctione post *sequitur* posita, nomen *phalanx* suo verbo carebat. Itaque Aldus *minabatur* in fine addidit et *expleturam* correxit. Exegerat iam olim Modius vulgarem editorum librorum scripturam ad codices mss., sed emendandi studio abreptus et singulari opinione de brevitate orationis indirectae ductus (cf. ad IX, 29, 23) etiam *gaudebant* contra fidem codicibus mss. debitam delevit. Denique *assuetos esse* mss. at editi praeter Mod. *assuetos se*.

expletura se sanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipsos pertinens regnum. In eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant; hereditarium imperium stirpem regiam vindicaturam; assuetos esse nomen ipsum colere venerarique, nec quemquam id capere, nisi genitum ut regnaret.

Igitur Perdicca territus, conclave, in quo Alexandri24 corpus iacebat, obserari iubet. Sexcenti cum ipso erant, spectatae virtutis: Ptolemaeus quoque se adiunxerat ei, puerorumque regia cohors. Ceterum haud difficulter a tot milibus armatorum claustra perfracta sunt. Et rex quoque irruperat stipatus satellitum turba, quorum princeps Meleager. Iratusque Perdicca hos, qui Alexandri corpus tueri vellent, sevocat: sed qui irruperant eminus tela in ipsum iaciebant. Multisque vulneratis, tandem seniores demptis galeis, quo facilius nosci possent, precari qui cum Perdicca erant coepere, ut absisterent bello, regique et pluribus cederent. Primus Perdicca arma deposuit; ceterique idem fecere. Meleagro deinde suadente, ne a corpore Alexandri discederent, insidiis locum quaeri rati, diversa regiae parte ad Euphraten fugam intendunt. Equitatus, qui ex nobilissimis iuvenum constabat, Perdiccam et Leonnatum frequens sequebatur; placebatque excedere urbe, et tendere in campis. Sed Perdicca ne pedites quidem secuturos ipsum desperabat: itaque ne abducendo equites abrupisse a cetero exercitu videretur, in urbe subsistit.

Cap. 24, §. 16. *obserari iubet*] Editi *asservari*, scripti *observari*, utrumque parum Latine. Itaque Palmerii coniecturam, quam item Modius receperat, probavi, quoniam paulo post *claustrorum* mentio fit, nulla defendentium qui pro foribus starent.

§. 17. *quorum princeps Meleager*] Additur vulgo *erat*, quod et potest in his explicationibus omitti, et abest a mss. nostris quidem omnibus et Snakenburgii Leid. Voss. 2. (Est igitur in Voss. 1, si credere libet.)

§. 18. *ut absisterent bello* mss. ad unum omnes, editi praeter Mod. *abstinerent*.

§. 20. *tendere in campis*] Sic plerique mss., editiones fere *in campos*, quod et inventum est in Leid. Bern. A Flor. GH. Sed perspicuum est unice veram esse mss. lectionem, nam de itinere supervacuum est dicere, postquam id altero verbo significavit.

§. 21. *in urbe subsistit*] Sic praesenti tempore ediderunt veteres nosque repperimus in mss. nostris omnibus praeter Flor. CI. Snakenburgius nihil de suis libris, fortasse oblitus, notavit.

25 At Meleager regem monere non destitit, ius imperii VIII
Perdiccae morte sanciendum esse: ni occupetur impotens
animus, res novaturum: meminisse eum quid de rege me-
ruisset, neminem autem ei satis fidum esse, quem metuat.
Rex patiebatur magis, quam assentiebatur. Itaque Mele- 2
ager silentium pro imperio habuit, misitque regis nomine,
qui Perdiccam accerserent. Iisdem mandatum, ut occide- 3
rent, si venire dubitaret. Pérdicca, nuntiato satellitum ad-
ventu, sexdecim omnino pueris regiae cohortis comitatus
in limine domus suae constitit, castigatosque, et Meleagri
mancipia identidem appellans, sic animi vultusque constan-
tia terruit, ut vix mentis compotes fugerent. Perdicca 4
pueros equos iussit conscendere, et cum paucis amicorum
ad Leonnatum pervenit, iam firmiore praesidio vim propul-
saturus, si quis inferret. Postera die indigna res Macedo- 5
nibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum,
et Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant. At- 6
que ille seditione provisa, cum regem adisset, interrogare

Cap. 25, §. 1. *ius imperii*] Plerique codd. *ius imperium*, Flor. EFI *ius imperiumque*, unus Flor. G *ius imperii*, quod iam princeps editor dedit, ac necesse est. Sic infra c. 30, 4 *imperii ius obtinere*. Item post plerique libri *ne occup.*, tum pro *res novaturum* integriores *res novatorum*, interpolati *rerum novarum:* sic igitur etiam editiones veteres, donec Modius et *ni* et *novaturum* emendavit.

§. 3. *sexdecim*] E Flor. nihil ab hac scriptura discrepans notatur, nisi quod in F ut etiam in Pal. 1 *quindecim* legitur; at Bern. A et Leid. Voss. 1 *sedecim* habent, ut dubitem an qui Florentinos libros contulit rem tamquam nullius momenti omiserit. Utrumque probum videtur, sed *sedecim* Priscianus pag. 1351 et fere libri accurate editi exhibent. H. l. tamen una Iuniana *sedecim*.

compotes fugerent] Modius *fugerint* edidit, quod est in Flor. AG Bern. A nec tamen satis placet.

§. 4. *pueros equos iussit conscendere*] Miraberis Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 *pueris* scripturam veterum editionum ante Modium confirmare, sed vide ad lib. v, 20, 8.

§. 5. *Postera die* omnes ad unum mss., editores Aldum secuti *postero* eodem consensu probarunt. Sed *postera die* etiam IV, 14 pr. et IV, 24, 20.

§. 6. *Atque ille*] Meleagrum dici intelligis, sed ei rei obstare videtur quod post legitur *Meleagri instinctu* et non *debere tumultuari eos*. Hoc igitur sic interpretandum ut Meleager coram militibus regem interrogarit, quam ob causam sequitur etiam *contione dimissa*. Quod autem *Meleagri* nomen ponit auctor, id perspicuitati datum est, ne, cum *ipsius* dixisset, ad ipsum referretur; certe tum addendum fuisset *ipsius*, qui *interrogaret*. Temere igitur Modius egit qui *ipsius* corrigeret pro eo quod est *Meleagri*, temere etiam illi qui pluralem numerum efficerent *Atque illi — adissent — coepere*, (quamquam haec quidem ratio iam olim coepta est in Flor. G qui *adissent* et *coeperunt* habet) quam correctionem nova coniectura ut *seditione professa* scriberetur pro *provisa* adiuvare temptavit Acidalius.

eum coepit, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset. Ille Meleagri instinctu se iussisse respondit: ceterum non debere tumultuari eos, Perdiccam enim vivere.

7 Igitur contione dimissa Meleager, equitum maxime de-26
fectione perterritus, inopsque consilii, (quippe in ipsum periculum reciderat, quod inimico paulo ante intenderat,) triduum fere consumpsit incerta consilia volvendo. Et pri-
8 stina quidem regiae species manebat: nam et legati gentium regem adibant, et copiarum duces aderant, et vestibulum
9 satellites armatique compleverant. Sed ingens sua sponte maestitia ultimae desperationis index erat, suspectique invicem non adire propius, non colloqui audebant, secretas cogitationes intra se quoque volvente, et ex comparatione
0 regis novi desiderium excitabatur amissi. Ubi ille esset, cuius imperium, cuius auspicium secuti erant, requirebant. Destitutos se inter infestas indomitasque gentes, expetituras tot suarum cladium poenas, quandocunque oblata esset
1 occasio. His cogitationibus animos exedebant, cum annuntiatur, equites, qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babylona campis, frumentum, quod in urbem vehebatur,

Cap. 26, §. 9. *intra se quoque volvente*] Locum hunc postquam Aldus constituit sic vulgo edebant: *secretas cogitationes intra se quoque volventes*. Et quod ille lectionem edd. princ. et codicum plurimorum *secretae cogitationis* correxit, laudo, adstipulantur nunc etiam tres Flor. DGI, reliquit autem aliquid Acidalii sagacitati. Nam *quoque* prorsus inutile est, nec habet quo referatur. Itaque Acidalius aut *quisque* aut *volvente* corrigendum censuit. Ego hoc alterum facilius et toti orationi accommodatius existimavi.

et ex comparatione] *et comparatione* Flor. EFH Bern. B, non male, modo fide digniores essent auctores.

§. 10. *expetituras tot suarum cladium*] Ipsi integerrimi codd. Bern. A Flor. AB Leid. Voss. 1 solita permutatione *expectaturos* sive *expectaturas*. Sed omnes ordinem verbb. mutant, qui vulgo fuerat *cladium suarum*, Flor. G *suarum iniuriarum*. Quod sequitur *quandocunque*, Snak. in Leid. Voss. 1. 2 et Flor. (Heins.) tradit esse *quandoque*, mihique idem notatur ex Bern. A. Verum de Flor. nostris non habent *quandoque* h. l. nisi CF, et *quando* Flor. E, e ceteris nihil a vulg. diversum notatur. Nec variat Modiana editio.

§. 11. *circa Babylona*] Sic Flor. A Leid., ceteri variant: Flor. B *babilone*, Voss. 1 *babilloniae*, plerique et edd. veteres *babiloniam*, nec nisi Flor. DI quod inde a Modio vulgo editur *Babylonem*. Quae cum ita sint secutus sum quod corruptelae maxime expositum, nec tamen a Curtio alienum videretur. Vide ad III, 4, 2.

in urbem vehebatur] Editi *invehebatur*, sed manuscripti omnes simplex habent, Flor. uno C excepto. Et verum etiam hanc ob causam videtur, quod frumentum in urbem iam *invehi* coeptum vix in potestatem equitum obsidentium venire potuerit. Tum vulg. *gratiam*

retinuisse. Itaque inopia primum, deinde fames esse coe- 12
pit; et qui in urbe erant aut reconciliandam cum Perdicca
gratiam, aut armis certandum esse censebant. Forte ita 13
acciderat, ut qui in agris erant, populationem villarum vi-
corumque veriti, confugerent in urbem, oppidani, cum ipsos
alimenta deficerent, urbe excederent, et utrique generi tu-
tior aliena sedes, quam sua, videretur.

27 Quorum consternationem Macedones veriti, in regiam 14
coëunt, quaeque ipsorum sententia esset, exponunt. Pla-
cebat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia
armisque ponendis. Igitur a rege legatur Pasas Thessalus, 15
et Amissus Megalopolitanus, et Perilaus: qui cum mandata
regis edidissent, non aliter posituros arma equites, quam
si rex discordiae auctores dedidisset, tulere responsum.
His renuntiatis sua sponte arma milites capiunt. Quorum 16
tumultu e regia Philippus excitus, *Nihil*, inquit, *seditione
est opus. Nam inter se certantium praemia qui quieverint
occupabunt. Simul mementote rem esse cum civibus, quibus* 17
*spem gratiae cito abrumpere ad bellum civile properantium
est. Altera legatione an mitigari possint, experiamur; et credo,* 18
*nondum regis corpore sepulto, ad praestanda ei iusta omnes
esse coituros. Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo,* 19
*quam exercere civium sanguine; et si nulla alia concordiae
spes est, oro quaesoque, eligite potiorem.* Obortis deinde la- 20
crimis, diadema detrahit capiti, dextram, qua id tenebat,

cum Perdicca, sed nostro ordine codd. omnes et edit. Modiana.

§. 13. *urbe excederent, et utrique*] Verbum *excederent* in mss. quidem quantum intelligo omnibus deest, sed in editis iam a principe comparet. Sed quamvis sit ab editore adiectum, necessarium esse nemo non videt. Ceterum *urbi et utique* Flor. EFHI Pal. 1 Bern. B Voss. 2.

Cap. 27, §. 14. *ad equites mitti de finienda*] Sic recte editum est, at mss. variant *et equites mitti et de finienda* optimi, Flor. CG *et eq. mitti pro diffinienda*, Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 *ad eq. mitti pro diffinienda.*

§. 15. *legatur Pasas — Amissus*] *Legantur* Flor. CF, *Pasus* Bern. B, *Amisus* Flor. H Bern. B. *Pasas* et *Amissus* virorum nomina ignoro num alibi legantur, ni *Pasas* sit *Πάσης* aut *Πασέας*. Iunius dedit *Amissus* de coniectura, opinor, quem Modius et reliqui secuti sunt. *Megalopolitanus* h. l. in deterioribus mss. est, sed *Megalipolitanus*, quod est in Leid. Voss. 1. 2 Bern. A Flor. ABCI ferri nequit, ni scribatur *Megalepolitanus*, vide ad VI, 3, 20.

§. 16. *arma milites*] Altero vulgatorum librorum ordine *milites arma* pauci codd. Flor. DGI. Post *a regia* pro *e regia* Bern. A Flor. ABI Voss. 1, *est regis* Flor. CF.

§. 20. *dextram*] *dexteram* Bern. AB Flor. CFGH, *dextera* lor. E.

protendens, ut si quis se digniorem profiteretur, acciperet.
21 Ingentem spem indolis, ante eum diem fratris claritate suppressam, ea moderata excitavit oratio. Itaque cuncti in-
22 stare coeperunt, ut, quae agitasset, exequi vellet. Eosdem rursus legat petituros, ut Meleagrum tertium ducem acciperent. Haud aegre id impetratum est. Nam et abducere Meleagrum Perdicca a rege cupiebat, et unum duobus im-
23 parem futurum esse censebat. Igitur Meleagro cum phalange obviam egresso, Perdicca equitum turmas antecedens occurrit. Utrumque agmen, mutua salutatione facta, coit, in perpetuum, ut arbitrabantur, concordia et pace firmata.

IX. Sed iam fatis admovebantur Macedonum genti bella28 civilia. Nam et insociabile est regnum, et a pluribus ex-
2 petebatur. Primum ergo collegere vires, deinde disperserunt: et cum pluribus corpus, quam capiebat, onerassent, cetera membra deficere coeperunt: quodque imperium sub
3 uno stare potuisset, dum a pluribus sustinetur, ruit. Proinde iure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, qui noctis, quam paene supremam habui-
4 mus, novum sidus illuxit. Huius hercule, non solis ortus,

§. 21. *suppressam ea*] Flor. A Bern. A Leid. *suppressae et a* Voss. 1 *suppresse et a*, Flor. BD *suppressa ea*, mendose omnes propter literam *m* lineola notatam. Sed Flor. G *suppressam eius moderata*, non male, si fidere liceret. Sed idem solus *quae agitasset rex exequi vellet. Rursus eosdem legat* cet. Tum pro eo quod est *petituros* mendose in terminatione verbi *petiturus* est in Leid. Voss. 1 Flor. ABC (ex Bern. A non enotatum est, sed verisimile est in hoc quoque esse.)

§. 22. *Meleagrum tertium ducem*] Nimirum cum Perdicca et Leonnato, qui tutores Alexandri nondum nati constituti erant c. 33: *ducem* igitur intelligit omnium copiarum, totius exercitus.

Cap. 28, §. 2. *collegere vires*] Leid. Voss. 1 Bern. A pr. m. (superscr. *collisere*) Flor. A *conlisere*, membranae quaedam ut ait Modius in nota *collisere*, Flor. B *collicere*, Flor. C *colisere*. Sed recte inde a principio huius historiae typis describendae ex reliquis mss. editum est *collegere*. Item mendose paulo post pro eo quod est *quam capiebat* Leid. Voss. 1 Pithoeanus Bong. 2 (dum siletur de Bernensibus) Flor. ABC *quam capiebant*, Flor. DI *quod apiebant*. Remotis his librariorum erroribus, intellige Macedonum gentem sub unius Alexandri robusto imperio *vires collegisse*, deinde cum plura capita essent, dispersis viribus, illud unum imperium et imminutum esse et divisum. *Corpus* primo dicitur compages omnium membrorum, quae summae rei publicae respondet, deinde cum ei opponuntur *cetera membra*, angustiore sensu, ut recte censuit Tellierius, habetur pro pectore et ventre, sive separatis membris extremis, pro trunco corporis.

§. 3. *qui noctis — novum sidus illuxit*] Editi *cui noctis* quod explicari nequit, nam ipse princeps cum sidere comparatur. Itaque *qui* corrigendum, sive recipiendum potius ex Flor. EFH,

lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces! 5
quot condidit gladios! quantam tempestatem subita serenitate discussit! Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia, excipiet huius saeculi tem- 6
pora eiusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas. Ceterum, ut ad ordinem, a quo me contemplatio 7
publicae felicitatis averterat, redeam, Perdicca unicam spem salutis suae in Meleagri morte deponebat: vanum eundem et infidum, celeriterque res novaturum, et sibi maxime infestum occupandum esse. Sed alta dissimulatione consilium 8
premebat, ut opprimeret incautum. Ergo clam quosdam ex copiis, quibus praeerat, subornavit, ut, quasi ignoraret ipse, conquererentur palam, Meleagrum aequatum esse Perdiccae. Quorum sermone Meleager ad se relato, furens 9
ira Perdiccae quae comperisset exponit. Ille, velut nova re exterritus, admirari, queri, dolentisque speciem ostentare ei coepit; ad ultimum convenit, ut comprehenderentur tam seditiosae vocis auctores. Agit Meleager gratias, ample- 10
xusque Perdiccam fidem eius in se ac benivolentiam collaudat. Tum communi consilio rationem opprimendi noxios 11

item Niebuhrio auctore (in Kleine Schriften p. 309) tribus Vaticanis. Hoc et olim voluerat Heinsius, et nuper Niebuhrius, sed ambo praeterea *nocti: qui nocti — novum sidus illuxit*, sicut Suetonius scripsit Caes. c. 81 *ea nocte, cui illuxit sidus caedis*. Sed facile tamen etiam genitivus defenditur, qui eundem sensum habet, ac si positum esset qui in nocte, quam paene supremam habuimus, tamquam novum sidus quoddam illuxit eamque discussit. Eadem ratione eo verbo usus est Cicero de leg. agr. I, c. 8 *cum populo Romano vox et auctoritas consulis in tantis tenebris illuxerit*. Neque eam correctionem, ut *qui* pro *cui* scribatur, quisquam difficilem iudicabit. Collegimus enim eam maxime ob causam tot scribarum aberrationes, ut appareret etiam optimos libros praesertim in his extremis libris incuriose scriptos esse et imprimis in terminationibus vocum mendose. Sic *cuius noctis* Flor. DI et Vat. duo apud Niebuhrium. Ceterum quam frequenter usi sint atque etiam abusi scriptores illius et posterioris aetatis imagine noctis et solis caliginem discutientis vide apud Freinshemium.

§. 4. *reddidit mundo*] *reddit* Flor. CH Bern. B. Deinde *suo sine capite* Flor. BCEH Bern. B, *sine capite* (omisso *suo*) Flor. DFI. Tum *discordia trepidaret* (omisso verbo *membra*) Flor. EFH Bern. B qui fere coniunctim eunt. *Trepidaret* etiam ex Pal. 1 enotatur.

§. 7. *in Mel. morte deponebat*, dictum pro *ponebat* cum significatione certae animi persuasionis, deponimus enim ubi tutum putamus. Sed simili boni scriptoris exemplo careo, nec reprehenderim Freinshemium *ponebat*, aut Heinsium *reponebat* praeferentes.

§. 9. *ostentare ei coepit*] Sustulit Modius verbum *coepit*, temere prorsus, sed sibi constans, vide ad VII, 15, 2. 20, 6.

ineunt. Placet exercitum patrio more lustrari. Et proba-
2 bilis causa videbatur praeterita discordia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissae canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abiicerent parte, intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx.

13 Itaque eo die, quem huic sacro destinaverant, rex cum 29
equitibus elephantisque constiterat contra pedites, quis Me-
14 leager praeerat. Iam equestre agmen movebatur, et pedites subita formidine ob recentem discordiam, haud sane pacati quicquam expectantes, parumper addubitavere, an in urbem subducerent copias: quippe pro equitibus planities erat. Ceterum veriti, ne temere commilitonum fidem
15 damnarent, substitere, praeparatis ad dimicandum animis, si quis vim inferret. Iam agmina coibant, parvumque inter-
16 vallum erat, quod aciem utramque divideret. Itaque rex cum una ala obequitare peditibus coepit, discordiae auctores, quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccae ad supplicia deposcens: minabaturque omnes turmas cum elephan-
17 tis inducturum se in recusantes. Stupebant improviso malo pedites; nec plus in ipso Meleagro erat aut consilii, aut animi. Tutissimum ex praesentibus videbatur, expectare
18 potius, quam movere fortunam. Tum Perdicca, ut torpentes et obnoxios vidit, CCC fere, qui Meleagrum erumpentem ex contione, quae prima habita est post mortem Alexandri, secuti erant, a ceteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus obiicit; omnesque beluarum pedibus obtriti
19 sunt, nec prohibente Philippo, nec auctore: apparebatque, id modo pro suo vindicaturum, quod approbasset eventus.

§. 12. *ab utraque abiicerent parte*] Vulgo *abiicerentur*, sed *abiicerent* mss. omnes, sive ut ne quid omittam, *abicerent* plerique. Nec necesse est ut reges id fecisse ipsos putes, satis est iussisse. De lustratione hac apud Macedones usitata et quotannis mense Ξανθικοῦ (circa veris initium) celebrata cf. Livium libr. XL, 6 et vide Meursii Graeciam feriat. lib. IV.

Cap. 29, §. 18. CCC *fere*] Diodorus lib. XVIII, c. 4 *triginta* numero fuisse dicit. Et libenter apud Curtium ita corrigerem, sed libri non adiuvant. Tum *obiecit* Flor. CDEGHI Bern. B Voss. 2, nec displicet.

§. 19. *pro suo* verum est, sed *pro se* Flor. DEFGHI Bern. B. Tum *quoad probasset* Flor. C, et traditur *quo* esse in Voss. 1 Flor. (Heins.) Dan. (non Bern. A), est certe in edit. pr. et Mer.

Hoc bellorum civilium Macedonibus et omen et principium fuit. Meleager, sero intellecta fraude Perdiccae, tum qui- 20
dem, quia ipsius corpori vis non afferebatur, in agmine quietus stetit: at mox, damnata spe salutis, cum eius no- 21
mine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum: ac ne loci quidem religione defensus, occiditur.

30 Perdicca, perducto in urbem exercitu, consilium prin- X.
cipum virorum habuit, in quo imperium ita dividi placuit, ut rex quidem summam eius obtineret, satrapes Ptolemaeus Aegypti et Africae gentium quae in dicione erant. Lao- 2
medonti Syria cum Phoenice data est; Philotae Cilicia destinata; Lyciam cum Pamphylia et maiore Phrygia obtinere iussus Antigonus; in Cariam Cassander, Menander in Lydiam missi. Phrygiam minorem Hellesponto adiunctam Leonnati provinciam esse iusserunt. Cappadocia Eumeni 3
cum Paphlagonia cessit. Praeceptum est, ut regionem eam usque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Ariarathe gereret. Solus hic detrectabat imperium. Pithon Mediam, 4
Lysimachus Thraciam appositasque Thraciae gentes obtinere iussi. Qui Indiae, quique Bactris et Sogdianis ceterisque aut Oceani aut Rubri maris accolis praeerant, quibus quisque finibus habuisset, imperii etiam ius obtinerent, decre-

§. 21. *at mox*] Codd. nostri omnes et Leid. Voss. 1 *et mox*, sed quoniam *quidem* praecessit, necessariam esse adversativam particulam censeo, quam Iunius excogitavit. Unus Voss. 2 omittit *et*. In fine memorabile est *abutentis* ex vetere scribendi ratione in plerisque libris servari.

Cap. 30, §. 1. *satrapes Ptol. Aegypti*, subintellige *imperium obtineret*. Exinde orationem mutat, et suum cuique partitioni verbum addit.

§. 2, *Laomedonti*] *Leomedonti* Leid. Voss. 1. 2 Bern. A, sed nullus Florentinorum. Posthac in potestatem et ipse et eius provincia venit Ptolemaei, Diodor. XVIII, 43.

in Cariam Cassander] Nihil in hoc nomine varietatis ex libris Curtianis affertur: verisimile tamen est *Asandrum* potius fuisse Cariae praefectum. Vide quae collegit Wesselingius ad Diodori libr. XVIII, 39. Sed adhuc aliorum quoque scriptorum textus Cassandrum tuentur.

§. 3. *cum Ariarathe*] Editi adhuc *Arbate*, item mss. plerique, Leid. Voss. 1 *Harbate*, Flor. F *Arbage*, Flor. EGHI Bern. B Voss. 2 *Arbace*. Sed regulum Cappadocum *Ariarathen* appellatum esse reliquorum omnium scriptorum auctoritate constat. Cf. imprimis Diodor. XVII, 16 ubi de Ariarathis supplicio narratur.

detrectabat] *detractabat* hoc quidem loco plerique mss. Leid. Voss. 1. 2 Pal. 1 Bern. A Flor. praeter AB omnes.

§. 4. *imperii etiam ius obtinerent*] Plurali numero edidi e Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. omnibus praeter A. Ne-

tum est; Perdicca ut cum rege esset, copiisque praeesset,
5 quae regem sequebantur. Credidere quidam testamento
Alexandri distributas esse provincias; sed famam eius rei,
quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse com-
6 perimus. Et quidem suas quisque opes, divisis imperii
partibus, tuebantur: quas ipsi fundaverant, si unquam ad-
7 versus immodicas cupiditates terminus staret. Quippe paulo
ante regis ministri, specie imperii alieni procurandi singuli
ingentia invaserant regna, sublatis certaminum causis, cum
et omnes eiusdem gentis essent, et a ceteris sui quisque
8 imperii regione discreti. Sed difficile erat eo contentos
esse, quod obtulerat occasio: quippe sordent prima quae-
que, cum maiora sperantur. Itaque omnibus expeditius
videbatur augere regna, quam fuisset accipere.

9 Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in31
solio, curis omnium ad formandum publicum statum a tam
10 sollemni munere aversis. ´Et non aliis quam Mesopotamiae
regione fervidior aèstus existit, adeo ut pleraque animalia,

que enim verbum pendet a pronomine *quisque*, sed a praegressis *qui praeerant*. *Imperii ius* ut supra cap. 25, 1 sic h. l. librarios turbavit, nam *imperii et vis* Flor. B, *imperii et ius* Flor. C, *imperii et his* Pal. 1, *imperii eius* Flor. EH Bern. B, *imperium his* F, denique *imperium* nihil aliud G et editio Modiana, omisitque etiam Bern. A pr. m. verba *etiam ius* adscripsitque man. rec. *et ius*.

decretum est; Perdicca ut] Vulgo ita interpungitur ut a verbo *decretum est* nova oratio incipiat, quam ob causam item *ut Perdicca* mutato ordine repraesentatur. Nos cum in Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. BCDG *Perdicca ut* invenissemus, etiam interpunctionem eam restituimus, quae est in cod. Flor. B et edit. Modiana. Et si accuratius rem consideraveris, non videtur verbum aliquod ad illam partem imperii divisi deesse posse, cum in ceteris sit, et ipsum verbum decernendi magis illuc pertinet quam ad Perdiccam, qui tamquam princeps *σωματοφυλάκων* regis comitandi munus haberet.

§. 6. *suas quisque opes — tuebantur*] An *tuebatur?* quod legitur in Flor. EFGH. *quas ipsi fundaverant*] *Quas* notat Snak. non esse in Leid. Voss. 1 nec in Flor. (Heinsii): mihi nihil de meis Flor. compertum est, sed omittitur verbum a pr. m. in Bern. A. Patet autem non posse abesse. *Ipsi*, quod dicit, oppositum est Alexandri supremae voluntati: constituta erat res, singulaque imperia suis quodque finibus conclusum ipsorum ducum consilio distributa erant, ac manere potuissent, si praefecti suis sese finibus tenuissent.

§. 8. *prima quaeque*] Intellige quantacunque sunt, etiamsi amplissima et primam spem excedentia. Moneo propter Modium, qui de coniectura sic sibi scribendum putavit: *prima, cum maiora quaeque*.

Cap. 31, §. 10. *non aliis quam Mesopotamiae regione fervidior*] Locutio composita ad frequentissimum usum particularum *non magis quam*, ut idem fere sit ac *Mes. regione fervidior quam aliis regionibus*. Et ablativus absolute positus est pro *in regione*, ne quis de corrigendo loco cogitet, cui prodesset quod in Flor. AEFHI et utroque Bernensi

quae in nudo solo deprehendit, extinguat; tantus est vapor solis et coeli, quo cuncta velut igne torrentur. Fontes 11
aquarum et rari sunt, et incolentium fraude celantur; ipsis usus patet, ignotus est advenis. Ut tandem curare cor- 12
pus exanimum amicis vacavit, nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum videre qui intraverant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. Itaque 13
Aegyptii Chaldaeique, iussi corpus suo more curare, primo non sunt ausi admovere velut spiranti manus: deinde precati, ut ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgavere corpus; repletumque est odoribus aureum solium, et capiti adiecta fortunae eius insignia. Veneno necatum 14
esse credidere plerique; filium Antipatri inter ministros, Iollam nomine, patris iussu dedisse. Saepe certe audita erat vox Alexandri, Antipatrum regium affectare fastigium, maioremque esse praefecti opibus, ac titulo Spartanae victoriae inflatum, omnia a se data asserentem sibi. Cre- 15
debant etiam, Craterum cum veterum militum manu ad interficiendum eum missum. Vim autem veneni, quod in 16
Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat, ungulam iumenti dumtaxat patientem esse suci.

est *regioni*, aut quod in marg. Flor. D pro *aliis* est *alibi*.

§. 11. *est advenis*] Post haec verba in multis codd. Leid. Voss. 1 Flor. AG tamquam auctoris verba leguntur *traditum magis quam creditum refert*, quae eadem verba in margine Bern. A adscripta sunt manu recentiore. Non dubito quin ad ea, quae paulo post de Alexandri corpore putredinis experti traduntur, pertineant.

§. 13. *attrectare eum*] Raderus non inepte coniecit legendum esse *deum*. Veruntamen cum in mss. nullum eius verbi vestigium sit, praestat cogitare quam exprimere.

aureum solium] Diod. lib. XVIII, 26 *πρῶτον μὲν γὰρ τῷ σώματι κατεσκευάσθη χρυσοῦν σφυρήλατον ἁρμόζον, καὶ τοῦτ' ἀνὰ μέσον ἐπλήρωσαν ἀρωμάτων τῶν ἅμα δυναμένων τὴν εὐωδίαν καὶ τὴν διαμονὴν παρέχεσθαι τῷ σώματι, ἐπάνω δὲ τῆς θήκης ἐπετίθετο καλυπτὴρ χρυσοῦς, ἁρμόζων ἀκριβῶς καὶ περιλαμβάνων τὴν ἀνωτάτω περιφέρειαν.* Aureum autem solium rapuit, vitreum substituens, Ptolemaeus *ὁ Κόκκης καὶ Παρεισακτος ἐπικληθείς*, qui ex Syria advenerat et paulo post Aegyptum relinquere coactus est. Strabo lib. XVII, p. 794.

§. 14. *credidere plerique*] Flor. CEFGH Bern. B et quod miror Leidensis *Veneno necatum esse dixerunt, credidere plerique*. Varietatem scripturae de margine in textum venisse puto.

§. 15. *cum veterum militum manu*] Vide supra ad c. 8.

§. 16. *in Macedonia gignitur*] Immo prope Nonacrin in Arcadia Stygium hoc venenum ex petra destillare auctores sunt Plutarchus in Alex. c. 77 et Pausanias in Arcadicis 18.

ungulam — patientem esse suci] Sic mss. nisi quod in Flor. AB Bern. A *ungula* omissa lineola legitur, (in Flor. C

17 Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat. Hoc per Cassandrum allatum, traditumque fratri Iollae, et
18 ab eo supremae regis potioni inditum. Haec, utcunque sunt credita, eorum, quos rumor asperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniae Antipater et Graeciam
19 quoque invasit: soboles deinde excepit, interfectis omnibus, quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contige-
20 rant. Ceterum corpus eius a Ptolemaeo, cui Aegyptus cesserat, Memphim, et inde paucis post annis Alexandriam translatum est, omnisque memoriae ac nomini honos habetur.

adeo *in gloria*) additurque *constat* post *esse* in iisdem et Bern. B, quae videtur causa fuisse ut in Flor. DE verba inter *talem esse constat* et *patientem esse constat* interiecta omissa sint. Omnes tamen extremam huius commatis vocem, quae est *suci*, cum insequentis commatis prima coniungunt, aut simpliciter aut ita ut monstrum verbi repraesentent. Flor. A *Sutistigam*, Flor. BEH Bern. B *sutistigem*, Flor. D *sugistitem*, Flor. F *sustistigen*, G *suzisticen*, I *sugisticem*. Sed cum origo harum corruptelarum pateat, non moror amplius. Principes edd. (Vind. Mer.) *ungula iumenti duntaxat patiens esse constat. Sucistygem appellant*, ex quo Aldus fecit *Ungulam — patientem esse constat. Stygos hydor appellant*, Iunius denique cum Modio *ungulae — patiens esse constat. Stygem.* Ita cum accepisset Acidalius, suo quodam iure *esse constat* eiiciendum censuit, in eoque eum reliqui omnes secuti sunt. *Constat* sine dubio e superioribus hic repetitum est, nam quamvis eaedem voces interdum exiguo spatio interiecto referantur, hoc tamen loco scriptoris elegantia ut aliorum codicum auctoritati obediatur omittentium postulat. Cetera intacta relinquenda fuerant, sed Acidalio ignosco variantibus codicum lectionibus destituto.

§. 17. *traditumque*] In hoc verbo desinit Flor. A ob discissum folium, Leid. ut videtur in voce *patientem* eandem ob causam, post *purgavere*, quod paulo ante legebatur, Voss. 1 avulsa extrema pagella. Uterque Bern. perstat usque ad finem.

§. 18. *utcunque sunt credita*] Sic plerique mss. et edd. principes. Aldus *tradita* edere coepit, quod sane est in Flor. G, sed nihilo melius quam alterum. Verum Flor. CH Bern. B Voss. 2 (omisso *sunt*) *utcunque credita*.

§. 20. *Memphim*] *Memphin* unus Flor. G, tum *Alexandream* Bern. A Flor. E, *honos habitus* (pro *habetur*) Flor. D, hoc certe falso, siquidem etiam sub Romano imperio Alexandri conditorium omni honore cultum est, vide Sueton. in Augusto c. 18. Herodian. hist. IV, 8.

APPENDIX

VARIANTIUM LECTIONUM.

Lib. III, 1. Inscriptio libri nulla est in Flor. DF Bern. B et Voss 2. Flor. C *Quinti Curtii Ruffi Hystoriarum Alexandri Liber tertius incipit feliciter.* Flor. E *Quinti Curtii Rufi Historiarum Alexandri Magni Macedonis Liber Tertius incipit.* Flor. I *Quinti Curtii Rufi V. C. Historiarum Alexandri magni Macedonis Liber tertius incipit feliciter.* Flor. G *Q. Curtii Ruffi Viri Ro. De Gestis Alexandri Magni Liber Tertius.* Flor. H *Q. C. Ruffi Historici De Gest. Alexandri Regis Macedonum fragmentum Liber II incipit.* Pal. 1 *Q. Curti Rufi Historiarum Alex. Macedonis fragmentum primi libri incipit.* Pal. 2 *Liber Quinti Curtii de rebus Alexandri Macedonis incipit foeliciter*, et sic etiam in mss. Leid. et Voss 1 tradit esse Snaenburgius. Edit. Vindelini Spir. *Quinti Curtii Ruffi historiarum Alexandri Magis Macedonum incipit foeliciter Liber I.*

Cap. 1, §. 1. *Peloponneso*] *Peloponesso* Flor. C et E a pr. m. DFI. *Elooponenso* Flor. H a pr. m. *Peloponenso* Bern. B et a pr. m. A. *Pelomnenso* Pal. 2 Voss. 1. 2. *Peloponeso* Pal. 3. *Cleandro*] *Oleandro* Flor. et H Bern B. Bong. *Lyciae*] *licie* Flor B Voss. 2. *liciae* Flor. CDI al. 3 Voss. 1. *litie* Flor. F. *Pamphyliaeque*] *Pamphiliaeque* Pall. Flor. omnes praeter E qui *Phamphilieque. Pamphilieque* Bern. B. *Pamphuliae* Voss. 1. *Celaenas*] *Celenas* Pall. Voss. 2 Bern. ambo et omnes Flor. praeter H, in quo *Celaenas*, et F in quo *Celanas*, sed *nas* ex correctione alterius manus. *Celenas* Voss. 1.

§. 2. *inclitus*] Sic Flor. omnes praeter C in quo *y* est ex correctione manus alterius. Bern. A *inclytus*, B *inclitus.*

§. 3. *circumiectos*] *circumvectos* Flor. H Bern. B. *rigat*] *irrigat* Voss. *et suas dumtaxat*] *et* omitt. in Flor. C. *n* littera verbum *dumtaxat* scritur in Bern. B et Flor. BC. Sed III, 30, 2. IV, 42, 32 *dumtaxat* (*m*) iam Flor. B et A.

§. 4. *nymphas*] *nimphas* Flor. BC. *intra*] *inter* Flor. CDE (superscr. altera manu *intra*) FHI Bern. B

§. 5. *Lycum*] *licum* Flor. B (qui semper sic in similibus verbis) CDI Bern A Voss. 1. 2.

§. 6. *a suis*] *ab suis* Flor C Bern A.

§. 7. *multum*] *multo* Leid. *nuntiare Alex.*] Flor. G. *Alex. nuntiare. aestimatione*] *estimatione* Flor. FI, *extimatione* Flor. EG Bern. B Voss. 2, *aextimatione* Flor. H, *existimatione* Flor. B. *inexpugnabiles*] Leid. *inexpugnabilis* nullus Flor.

§. 8. *artiora*] Sic (non *arctiora*) Bern A Flor. CFG. *viderunt*] *viderent* Flor. C, *viderunt* et ab ead. m. supra script. *viderent* Flor. D. *sexaginta*] *quadraginta* Bern. B et Flor. H (quod apud Freinsh. ex Bong. 1 notatur). *superveniunt*] *supervenerunt* Flor. FI. *deinde*] *inde* Bern. B. *inducias*] *indutias* Flor. DEFGI, *inductias* Flor. H.

§. 9. *deinde*] *inde* Leid. *iussurum*] *iustum* Flor. DEFH Bern. B Voss. 2 (in margine *iussurum*.)

Cap. 2, §. 10. *Dareo*] *Dareus* Flor. B, *adareo* Bern A. *nondum*] *nundum* Flor. B et C.

§. 11. *exercitus*] *totus* additur in Flor. B. *urbibus*] *viribus* Flor. DE Pal. 3, *urbibus* et in marg. ab ead. manu *al. viribus* Flor. F.

§. 12. *regiam*] *civitatem regiam* ex olim collatis Pal 1. 2 Voss. 2. *Gordium*] *egradium* Flor. DEFHI Bern. B Voss. 2, *cordium* Bern. A Leid. *Cilicio*] *Cilico* Pall. Voss. 2 Flor. omnes Bern. B et e rasura (cum fuisset *Cilicio*) Bern. A.

§. 13. *artas*] *arctas* Flor. omnes praeter G, in quo est *artas*, sicut in ambobus Bern.

§. 14. *Gordium*] *Cordium* Bern. A Leid. Voss. 1, *Eordium* Bern. B. *Midae patrem*] Sic Flor. et Bern., omittit *Midae* edit. princeps.

§. 15. *iugum astrictum compluribus*] *vinculum* edit. princ. Voss. 2 Flor. H Bern. B et in marg. alia manu *al. vinculum* Flor. G. *cum pluribus*] Flor. CDEFHI Bern B. Pal. 1.

§. 16. *editam*] *editum* Leid. Voss. 1 Flor. BC Bern. A.

§. 18. *solvantur*] *solvatur* edit. Freinsh. et Flor. BC (si fides silentio) *elusit*] *illusit* Bern. B.

§. 19. *Hegelochum*] *Haegelochum* Bern. A Leid. Voss. 1, *Hegilogum* Pal. 2, *Hegelocum* Flor. I, *Hegelogum* Flor. CDH Bern. B Voss. 2, *Hegelotum* Flor. EF Pal. 1. *Coumque*] *Choumque* Bern. uterque Voss. 1. 2 omnesque Florentini praeter B in quo est *thoumque*, *Coonque* Leid.

Cap. 3, §. 20. *quingenta attributa*] *quinquaginta* Flor. BG, *tribuit* Flor. DEFHI Pal. 1. 2 edit. Vind. *attribuit* Voss. 2. *sexcenta missa*] *ducentas missas* Flor. B, *sexcentas missas* Bern. B Flor. CH; *missas* Bern. A. *imperatae*] *imperat* Flor. BDFHI Bern. B, *imperat aeque* Voss. 1 Bern. A Flor. C, *imperat quaeque* (sic) Flor. E, *impetratae* sed *ae* ex. corr. et *t* expunct. Flor. G.

§. 21. *intenderat*] *intenderet* Bern. AB Flor. BCEGH Pal. 1. 2 Voss. 1, *intenderent* Flor. C, *intendere* Flor. FI.

§. 22. *credunt*] *putant* Voss. 2.

§. 23. *ne Persis quidem*] *ne* abest a Flor. B, *quidem Persis* traditur legi in Pal. 2 Leid. Voss. 2.

Cap. 4, §. 1. *cuncta damnabat*] *dampnabat* Pal. 1 Flor. B et sic ubique legi in Leid. Voss. 1 notat Snakenb., *dampnabat cuncta* Flor. F. *abfuisse*] *affuisse* Flor. DEFI, *afuisse* Bern. A.

§. 2. *maiore*] *maiori* Flor. DEFI. *capesserent*] *capescerent* Flor. G. *conspectum*] *conspectu* Flor. D Pal. 1 Voss. 2. *circumdato*] *circundato* Flor. CEFG Bern. B. *decem milium armatorum*] *decem armatorum* Leid. Voss. 1 omisso verbo *milium*. *iniit*] *init* Flor. CEG Bern. A Leid.

§. 4. *in quis*] Mirum de nostris libris unum Flor. B habere *quibus*. *decem equitum, quinq. milia ped.*] *decem equitum M. quinq. ped.* Flor. C, *decem milia equitum quinq. milia ped.* Flor. G, *decem equitum quinq. peditum hab.* Bern. A et B.

§. 6. *quadrag. milia miserant*] Abest *milia* a Bern. A et B Flor. uno C sed etiam Leid. *septem milibus equitum*] *septem milium equitum* Flor. D Pal. 1, omittit *milibus* Leid.

§. 7. *Derbices quadraginta*] De v. *Derbices* vid. comment. Sed *quadragena* Flor. BCG Leid. Voss. 1. 2 scilicet quod numerale multiplicativum praecesserat. *igni*] Sic nostri codd. omnes, unus Flor. E *igne* habet supra lineam alia manu adscriptum.

§. 9. *Sogdianos*] *Socdianos* Leid. Voss. 1 Flor. BCDF Bern. A, *Sochianos* Voss. 2. *rubri maris*] *maris rubri* Bern. B.

Cap. 5, §. 10. *cuius tum*] Omittunt *tum* Bern. B Flor. BDEFHI Pal. 1. 2 Voss. 2 edit. princ. item Iunii. *Charidemum*] *Caudemum* Bern. B Flor. H. *percontari*] *percunctari* Bern. B Flor. BCFH, *perconctari* Flor. D.

§. 11. *et suae*] Omittunt *et* Bern. B et Flor. H.

§. 12. *excita*] *excitata* Flor. DEFI Pal. 1. *subiecere animis concipere non possunt*] *subicere* Flor. DEI Pal. 1, *subiicere* Flor. G, *subieceret* Flor. C, *subiacere* Flor. H Bern. B, *subgicet* Pal. 3; omittunt *non* Flor. CDEFHI Bern. B Pal. 1.

§. 13. *conferta*] *confercta* Pal. 3. *phalangem*] *phalangen* Flor. DFI. *armis arma*] *arma armis* Bern. B. *monentis intenti*] *morientis interriti* Bern. B et Flor. H, *moventis* Flor. G et in marg. tamquam aliorum D.

§. 14. *circumire*] *circuire* Flor. CG, *circunire* Flor. E Bern. B. *in cornu*] Nullus nostrorum codd. mss. *in cornua* habet (sicut ex Voss. 2 et Pall. omnibus notatur), sed interpungitur post *discurrere* in Flor. DEFGHI item in edit. principe.

§. 15. *magistra*] *magistri* Flor. H et Bern. B. *humus*] *humo* Flor. H. *artiora*] Sic h. l. Bern. A Flor. CFG, reliqui *arctiora*.

§. 16. *Acarnanes*] *Acharnanes* Flor. DE Voss. 2, *Arcananes* Flor. I, *Hacarnanes* Flor. H, *Archananes* Flor. F. *Aetolique*] *etholique* Flor. BCEFGI Voss. 2, *aetholique* Bern. AB Flor. H. *invicta*] *iuncta* Flor. DE (alt. man. *invicta*) Pal. 1. *bello*] *belli* Flor. I Bern. B. *repellentur*] *repelluntur* Flor. FGHI Bern. B a pr. man. *mitte*] *mittit* Bern. B.

§. 18. *expetet*] *expectet* Bern. B Flor. CEGH (sed plerique Flor. vitio animadverso correcti). *tam subito*] Omittitur *tam* in edit. princ. et cod. Leid. sed inventum est in omnibus nostris.

§. 19. *subiit*] *subit* Bern. A Flor. DEFI Pal. 1 edit. princ. *subit poen.* (hoc ordine) notatur ex Leid. Voss. 1.

Cap. 6, §. 1. *Thymodes*] *Thimodes* Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. DFI, *Thimocles* Voss. 2, *Timodes* Bern. B Flor. CG ed. princ., *Timades* Flor. H. *impiger*] *inpiger* Bern. A. *in quis*] *in quibus* unus nostrorum

libr. Flor. B. *Pharnabazo*] *Farnabazo* constanter libri nostri, item h. l. Leid. Voss 1. *tradit*] *tradidit* Bern. B Flor. H.

§. 2. *anxium de*] Nihil omnino ab hac scriptura diversum e libris nostris notatur, cum Heinsio placuerit *anxium dein instantibus curis* et ex Pal. 1. 2 enotetur *dei* pro *de*. *accersit*] *arcessit* Pal. 1 Flor. D et E a pr. m. *accerssit* Flor. F, reliqui omnes *accersit*, quod editur.

§. 3. *collucere*] *conlucere* Flor. B Bern. A, *collucere* reliqui nostri. *Babylona*] *Babyloniam (Babiloniam, Babilloniam)* Flor. omnes et Bern. B Voss. 2, *babylonam* Bern. A Leid. Voss. 1.

§. 4. *ad haec*] *ad hoc* Flor. C. *distrinxerant*] *distraxerant* Bern. B Flor. DEFHI Voss. 2, *distraxerunt* Pal. 1. 2, *distinxerant* Flor. G.

§. 5. *illustria*] *industria* Pal. 2 Voss. 1 Bern. AB Flor. omnes praeter E qui in textu habet *interusta* (sicut Pal. 1), in marg. *illustria*. *portendere*] *protendere* Bern. B Flor. G.

§. 6. *omina*] *oña* Voss. 1 Bern. A (sed manus recent. in marg. *omina*) *oñia* Flor. G, *omna* (superscr. a manu alt. *i*) Flor. C, *omnia* Flor. EHI Pal. 1. 2 edit. pr. *formam*] *fortunam* Pal 2 et ante correctionem Flor. F. *Chaldaeos*] *chaldeos* Bern. A Flor. DE, *caldeos* Bern. B Flor. CFG, *caldaeos* Flor. H.

§. 7. *specie*] *spe* Bern. B Flor. DEFHI Pal 1. *somnum*] *somnium* Bern. B Flor. DEG, *sompnium* Flor. FI. *Euphraten*] Sic Leid. Bern. A Flor. BCDGI, *euphratem (eufratem)* reliqui. *moveri*] *movere* omnes Flor. et Bern. B Voss. 2 edit. pr.

Cap. 7, §. 8. *procedere*] *procedente* Voss. 2 Pal. 1. 2 Bern. B et Flor. omnes praeter B et G a pr. manu (correctione factum est *procedente*). *illustri*] *inlustri* Bern. A Flor. H. *posset*] *possit* plerique Flor. (praeter F et I) item ambo Bern. et Pal. 1. 2. *crystallo*] *cristallo* tres Snakenburgii et omnes nostri praeter Flor. BDEHI.

§. 9. *vocabant*] *vocant* Bern. A. *canebant*] *cantabant* Bern. B et Flor. H.

§. 10. *Magos*] omittitur in Bern. B et Flor. H. *iuvenes sequebantur*] Verbum *sequebantur* in Flor. DE non post *iuvenes*, sed post *numero* collocatur.

§. 11. *Iovi*] *Iovis* Bern. B. *a.bae*] *albentes* Flor. BG. *regentes*] *tegentes* Bern. B et Flor. H.

§. 13. *vocant*] omittitur in Flor. H Bern. B.

§. 14. *appellant*] *appellabant* Leid. nullus meorum.

§. 16. *internitentes*] *intervenientes* Flor. H Bern. B.

Cap. 8, §. 17. *cultus*] *At* (ab al. m.) *cultus* Flor. C. *luxuria*] *luxoria* Bern. A Leid. Voss. 1 (e Flor. nihil notatur). *intextum*] *intertextum* Flor. G. Tum *erat*] *erant* Bern. B. *paliam*] *palam* Flor. F Bern. A. *velul*] *velud* Bern. A a pr. m. Flor. B.

§. 19. *Cidar. Persae vocabant*] *Cidarim Persae tegmen capitis vocabant insigne hoc* Flor. C. *circumibat*] *circuibat* Flor. BCG, *circunibat* Flor. E, *circundabat* Bern. B.

§. 20. *argento exornatas*] *ex argento exorn.* Flor. B, *a. ornatas* Flor. FI, *a. adornatas* Flor. EG.

§. 21. *dextra*] Sic omnes codd. mss. et edit. pr.

§. 22. *intervallo*] omitt. Pal. 1 Flor. D et a pr. m. Flor. E. *Sisygambim*] *sisigambim* Flor. CEFG Bern. A, *sisingabim* Bern. B. *coniunx*] Sic omnes Flor. praeter unum D in quo est *coniux*. *vectabatur*] *vectebatur* Flor. C, *vectabantur* Flor. E, *vehebantur* Flor. G.

§. 23. *armamaxas*] *armanaxas* Leid. Voss. 1 Pal. 2 Bern. ambo Flor. BCFHI, *armanazas* Pal. 1 Flor. D, *armanasas* Flor. G, *armanexas* Voss. 2, *amazonas* superscript. ab alt. man. *armanaxas* Flor. E.

§. 24. *et ipsae*] *et ipsi* Bern. A, *et ipse* Bern. B. *sagittariorum*] *sagictariorum* Flor. CFI, *sagiptariorum* Flor. EG Pal. 1.

§. 25. *proximae*] *proxime* Bern. A Flor. D Voss. 1, omittitur in Flor. C. *lixarumque et calonum*] Supra lineam a man. recentiore scriptum est in Bern. A *portitorum aquarum*, tum *portitorum lignorum et huiuscemodi. leviter*] *leniter* Flor. H Bern. B.

§. 26. *auro*] *auro* superscript. ab alt. man. *aurea* Flor. E, *aurea* edit. pr. *aureo* Voss. 2.

§. 28. *in acie*] Bern. B, *in aciae* ut solet *e* et *ae* confundere, *in aciem* quod ed. Ald. habet, nullus cod. noster. *Dareus tantae mult.*] *Darius autem mult.* Bern. B Flor. H item C sed superscripto a m. rec. *tantae*.

Cap. 9, §. 1. *Abistamene*] *ab histamene* Flor. B Bern. A, *ab istamene* reliqui Flor. et Bern. B Voss. 2, *Abbistamene* Voss. 1, *Absistamene* Leid. *Ciliciam*] *eciam* Bern. A, *etiam* Bern. B Flor. CH Voss. 1, *liciam* Flor. DEI Pal. 1. 2, *litiam* Flor. F, *lytiam* edit. pr. *pervenerat*] om. in Flor. D Pal. 1. 2.

§. 2. *stadia*] *stadiis* Leid. *ab aditu*] *ab eo aditu* Voss. 2 nullus nostrorum. *Ciliciam*] *Cyliciam* ambo Bern. Voss. 1, *cilitiam* Flor. C. *Pylas*] *pilas* Voss. 1. 2 et omnes nostri codd. praeter Flor. B. *artissimas*] Sic Flor. C G Bern. A, reliqui *arctissimas*.

§. 3. *Ciliciae*] *Cyliciae* Bern. B, *cilitiae* Flor. C, *cilitie* Flor. F. Atque sic constanter. *initio belli*] *in initio belli* Leid. Voss. 1 Pal. 1. 2. *exequi*] Sic omnes nostri (non *exsequi*) solus Flor. B *sequi*. Item annotare iuvat *quicquid* (non *quidquid*) esse in Bern. utroque Flor. CDEFG. *igni*] *igne* unus Flor. H.

§. 4. *angustias aditus*] *angustum aditum* Bern. B Flor. H Pal. 2.

§. 5. *callibus*] *collibus* Flor. E Pal. 1. *ne conspectum*] Sic Modius, *nec conspectum quidem* Leid. Bern. AB Flor. EFHI Pal. 1. 2, *nec aspectum quid.* edit. princ. Ald. al. *ne aspectum quidem* Iun. *obtinere*] Flor. B Bern. A *optinere*.

Cap. 10, §. 6. *litus excurrit*] *littus occurrit* Bern. B Flor. H, *littus* scribitur etiam in Flor. CDFI.

§. 7. *qua max.*] *quam max.* Flor. BDEI.

§. 8. *planitiem*] *planiciem* Bern. AB Flor. BDH. *Pyramus et Cydnus*] Sic Bern. A Flor. BEG Leid. Voss. 1, reliqui *Piromus et Cidnus*, Pal. 2 ed. pr. *Cygnus*, item post. *spatio*] *spacio* Bern. B Flor. BDH. *manantix*] *manantem* Bern. BH Pal. 1. 2 ed. pr. *manentem* supra scripto *a* Flor. E. *Manantis* iam Aldina.

§. 9. *incorruptus idemque frigidissimus*] *incorruptis idemque frigidissi-*

mis. Leid. *amoenitate*] *ame* (*ae*) *nitudine* Bern. B Flor. EFHI Voss. 2, *amoenitudinem* Flor. D.

§. 10. *monstrabantur*] *monstrabatur* Voss. 2. *monumenta*] *monimenta* Bern. B Flor. GII. *Lyrnessi et Thebes Typhonis*] *Lirnesi et tebes thipontis* Bern. A et Flor. BDEFI, *Lirnesi et Thebes Thypontis* Leid., *Linersi et Thebes. tipontis* Flor. C, *Lirnesi et Thebesti. pontis* Voss. 1, *Lernissi et cebesti pontis* Voss. 2, *Lyrnessi*, *Ethebes*, *chyfontis* Flor. G. *Venesi Cebesti pontis* Bern. B Flor. H, *Vrnesi et Cebestipontis* ed. pr. *Lyrnesi et Cebesti*, *specus* Ald. *Lyrnessi et Cebesti: specus* Iuniana. Ut nunc vulgo Modiana.

Cap. 11, §. 11. *quae pylae appellantur*] *p le* Bern. B Flor. DEF, *quod pile* Flor. C, *quod pilae* G a pr. m. supra scripto alt. m. *quae. Quod* notatur etiam ex Leid. Voss. 1.

Cap. 12, §. 1. *exceperat*] *excoeperat* Bern. A a pr. man. correctum deleto *o*, *caeperat* Bern. B Flor. CH, *ceperat* Flor. DEFI.

§. 2. *invitavit*] *incitavit* Bern. B Flor. CHI. *ratus*] *raptus* Bern. A, sed *p* man. rec. deletum. (Annoto ut hunc librum eundem esse percipias qui in collectione var. lect. Danielis appellatur.)

§. 3. *ingressi*] *ingresso* Leid.

§. 4. *expiranti*] Annotandum videtur vulgarem scribendi rationem *exspiranti* h. l. in uno Flor. B esse. Mox *solicitudo* complures Flor. sed nec B nec Bern. A. *Extinctum* (non *exst.*) ad unum omnes.

§. 8. *rursus in ipsum*] *rursum* Bern. B Voss. 2, *rursus mihi ipsum* Flor. E corr. *rursus ipsum* Flor. F, *russus* fuerat a prima manu in Bern. A, quod idem de libro Dan. notatur. *a se*] *ab se* Bern. B Flor. GH. *immemores*] Bern. A Flor. H *inmemores*. Et solet fere sic Bern. A qui paulo ante etiam rasura fecit *conmilitones* pro eo quod fuit *commilitones*.

Cap. 13, §. 9. *allevabatque*] *adlevabat* Bern. A, nullus Flor. *adl. laxataque*] *lataque* Leid. solus.

§. 10. *extingui se*] *extinctum esse* Flor. C.

§. 11. *hostilium*] *hostium* Flor. DE Pal. 1.

§. 12. *litteras*] Sic scribitur in utroque Bern. et Flor. EFGHI, *literas* in Flor. BCD. *nequicquam*] Sic Bern. B Pal. 1 et Flor. omnes, praeter B in quo est *nequidquam*, Bern. A Leid. Voss. 1 *nequiquam*.

§. 13. *opis*] omittitur in Bern. A sed suppletur a manu alt., quod idem de libro Dan. notatur.

§. 14. *temeritas*] Bern. B Flor. H *tenuitas*.

§. 15. *inexperta*] Bern. B Flor. H *etiam experta*. *ipsis*] *illis* Flor. B, *ipsi* Flor. G.

§. 16. *pronuntiari*] *provinciam* Flor. D et a pr. m. E. [mendum e mendosa scriptura *pronunciari*, quae est in Bern. B Flor. H.]

Cap. 14, §. 1. *nobiles*] *nobilis* Leid. *secutus*] Sic in nostris codd. ad unum omnibus scribitur, non *sequutus*.

§. 2. *tantamque*] *tantam* Flor. DE (sed correct.) FI Pal. 1 et edit. pr., *tamquam* Bern. B Flor. CH Voss. 2. Iam Aldina dedit *tantamque*. Freinshemius maluit *totamque*, nimirum quod levatus quidem morbus iam antea visus erat, tum vero de tollendo penitus agebatur. Verum levare morbum non solum ubi minuitur dicitur, sed etiam cum tollitur. *medicata*]

meditata Bern. B et plerique Flor. cum edit. pr., iam in Aldina correctum.

§. 3. *arma*] Bern. B Flor. H *At illi.*

§. 4. *litteras*] *literas* Flor. BC (reliqui omnes et Bern. *litteras*). *quicquid*] *quidquid* Flor. BD (reliqui omnes et Bernenses constanter *quicquid*).

§. 7. *versato*] *mutato seu versato* Flor. B. *anuli*] Sic (non *annuli*) omnes Flor. et Bern. Praepositionem *in* in verbo *impresso* non mutant Leid. Voss. 1 Bern. A, sed *im* Flor. B qui tamen mox cum Bern. A *inluxit. cui incumbebat*] *cui rex incumb.* Flor. B, *cui incubabat* Flor. G.

Cap. 15, §. 8. *et ille*] Omittuntur haec v. in Bern. B Flor. DEFHI Pal. 1.

§. 10. *proiectisque*] Bern. B Flor. H *proiectis.*

§. 11. *sollicitudine*] *sollicitatione* Flor. H *quem mihi soll. tempestiva* edit. pr. sed correxit iam Aldinus editor.

§. 12. *Itaque*] *Ita* Flor. H. *profecto*] *profectum* Bern. A Flor. B Leid. Voss. 1. *sed certiore*] *secretiore* Flor. C. *voluisses*] *noluisses* Flor. H et edit. pr. (correxit iam Ald.)

Cap. 16, §. 13. *tanta*] *tanti* Bern. B Flor. H. *medicamenti*] Sic etiam Leid., e Voss. 1. 2 Snakenburg. nihil a sua scriptura *medicaminis* diversum enotat, errore puto.

§. 14. *arte*] Sic Bern. A. Flor. BCFGI. *nunc cibi nunc vini*] *nunc vini nunc cibi* Flor. EFI Pal. 1.

§. 15. *destitit*] *desistit* Flor. FH:

§. 16. *se diff.*] *se* omittitur in Pal. 1 Flor. D, in E exciderat sed adiectum est. *expectatione*] *exspectatione* Flor. B Bern. A soli de meis, *exspectationem* Leid.

§. 17. *dextram*] *dexteram* Flor. GH et edit. pr. (non secutus est Aldus).

§. 18. *nihil*] omittit Leid. *sine*] *sane* Bern. A a prima manu, correct. ab alt. *fortuna*] *fortunae* Leid. Voss. 1 Bern. A, *fortune* Flor. BC.

§. 20. *venerandus*] *verecundus* Flor. C Leid. Voss. 1 Bern. A (ita ut litterae *cu* manu rec. punctis notentur quasi delendae, quo efficeretur *verendus*).

Cap. 17, §. 1. *Euphraten*] *eufraten* Bern. A Flor. B, *eufratem* Bern. B Flor. CDFHI, *euphratem* Flor. EG. *tamen*] *cum* Bern. B Flor. H, *eum* Voss. 2, *tantum* Ald. edit.

§. 2. *Solos*] *Solus* Flor. C, *Solis* Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1 Voss. 2 ed. princ. Ald. *Solas* Voss. 1 Leid. in margine *Salonas.*

§. 4. *affertur*] *adfertur* Leid. Voss. 1 nullus Flor. aut Bern. *Myndios*] *Mindios* Flor. DEFGI Voss. 2, *Nundios* Flor. CH Bern. B. *Caunios*] *Cannios* Flor. FI, *Cauunios* Flor. H, *Cauinios* Bern. B, *Caunos* Flor. G, *Caunnios* Voss. 2. *facta dicionis*] *facta esse dicionis* Flor. C, *dictionis* Flor. CD (ante corr.) E (corr.) H.

§. 5. *edito*] *edicto* Bern. B Flor. H.

§. 8. *consilio*] omitt. Leid. et Bern. A in quo suppletur a man. rec. (sicut de libro Dan. notatur).

§. 9. *circumiri*] *circuire* Flor. CG edit. pr. (non Ald.) *subinde*] *inde* Voss. 1 Bern. B, *deinde recentes inde* Flor. H. *laxius*] *latius* Flor. G et ex correct. cum fuisset *laxius* Flor. B, *lassius* Voss. 2 ut idem infra 21, 18.

§. 10. *saltus*] *et saltus* Bern. B.

Cap. 18, §. 11. *donisque*] Omittitur *que* in Flor. H Bern. B Voss. 2.

§. 12. *moribus suis*] *moribus eius* Bern. B. *ei*] omittitur in Bern. B Flor. H.

§. 13. *temptavit*] Sic Bern A Flor. BC Leid. Voss. 1. *vid. urgeri*] *urgeri videret* Flor. C. *suspicionem*] *suspitionem* Flor. CDFGI Bern B (non Flor. H).

§. 15. *suppressisse*] *sumpsisse* Bern. B Flor. H.

Cap. 19, §. 1. *Thymodes a Pharnabazo*] *Thimodes* plerique mss., *timodes* Flor. EF, *ethimodes* Flor H Bern. B, *etimodes* ed. pr. *Thymondas* edit. Mod. *et Thimocles* Voss. 2. *farnabazo* plerique, *Barnabazo* Bern A Flor. C, *ab Arnabazo* Leid. Voss. 1, *ab Arhabazo* Voss. 2 *arliabazo*, Flor. H Bern. B. *unica*] Additur *Alexandri* in Bern. B. Flor. CDEFHI Pal. 1.

§. 2. *at ille*] *acciperet* Flor. B. *pateretur*] *putaretur* Bern A a pr. m. sed corr. ab altera (Dan. in vet. var. coll.) *ut retro abiret spaciososque*] *spaciosos ut* (omissis verbis *ut retro abiret*) Flor. CDEFHI. Bern. B Pal. 1, *innum. cop.*] Sic esse in Voss. 2 notat Snakenburg. silet de Leid. Voss. 1.

§. 3. *purp. eius*] *purp. suis* Bern. B nullus Flor.

§. 4. *circumdatos eos*] *circundatos esse* Flor. CE, *trucidatos esse* Flor. H Bern. B.

§. 6. *ad se advocari in consilium*] *ad se adv. in cons. iubet* Flor. CDFI, *ad se advocari consilium iubet* Flor? H, *ad se vocari consilium iubet* Bern. B edit. pr. sed iam Ald. adjecit *in*, eaque facta est vulgata lectio (*iubet* adjicit etiam Voss. 2). *dicere*] *facere* Bern B Flor. CH.

§. 7. *nuntiare*] *nuntiari* Flor. D (sup. scr. *al. re*) FHI Bern. B (horum autem plurimi *c* littera). *pergat*] *pergit* Flor. H Bern B Voss. 2. *dubie*] *dubium* Bern. B Flor. H, *dubio* Flor. B, *dubiae* Leid. Voss. 1. *traditurum*] *redditurum* Flor. CH Bern. B.

§. 8. *hiems instaret*] *hiemps* Bern. A, *hyemps* Flor. G; *staret* Flor. E. *atque hoste*] *atque ab hoste* Flor. C Voss. 2.

§. 9. *ne*] *nec* Flor. DEFHI Bern. B Pal. 1. *obtulerint*] *obtulerunt* Flor. H edit. pr. Ald.

§. 10. *hercule*] *herculem* Bern. B Flor. H.

§. 11. *valetudinis*] *valitudinis* Bern. uterque Leid. Voss. 1. 2. *detractare certamen*] *detractare certamini* Bern. A a pr. m.

§. 12. *agmen*] *agmine* Leid. *agminae* Bern B.

Cap. 20. §. 14. *Isso*] *Isson* omnes codd. praeter Flor. D, etiam edit. pr. sed correxit Aldus. *persequi*] *insequi* Bern B Flor. DHI, *prosequi* Flor. G.

§. 15. *quos omnes*] *quos autem omnes* Bern. B Flor. H, *omnis* Bern. A Leid. Voss. 1. 2 nullus Florentinus. *circumduci*] *circumcidi* Flor. C, *circunduci* Bern. B Flor. EF.

§. 16. *Pinarum*] *spinarum* Bern. B Flor. DEH Pal. 1.

Cap. 21. §. 16. *amputaverat*] *amputaverant* Flor. DEFI, *amputaverunt* Pal. 1. *cursu posset*] *posset cursu* Flor. H Bern. B, *possent* edit. pr.

§. 17. *praebuisset*] *tribuisset* Bern. B Flor. DEFHI Voss. 2.

§. 18. *collucere*] *conlucere* solus Bern. A, nihil Snakenb. de codd. suis sed edidit *conlucere*.

§. 20. *aspirante*] Sic omnes codd. nostri, solus Bern. A. *adspirante.*

§. 21. *rursus*] *russus* Bern. A (Dan.).

§. 22. *fecit*] *facit* Flor. H Bern. B.

§. 23. *pervenerunt*] *pervenerant* Flor. H Bern. B, *perveniunt* Voss. 2.

§. 24. *iubet*] *iussit* Flor. H Bern. B.

Cap. 22. §. 27. *circumiturus*] *circuiturus* Bern. B et Flor. omnes praeter B et (quod mirere) H, item edit. princ. Ald. aliae etiam Mod. *dextrum*] Sic omnes codd. et ed. princ. *dexterum* Ald. Mod. *urgeret*] *urgueret* Bern. A a pr. m. nullus Flor. Snakenb. nihil de suis codd. sed edidit *urgueret.*

§. 28. *Pinarum*] *spinarum* Flor. E Pal. 1, *praemarum* Bern. B Flor. H. *obiicere*] *obicere* Bern. A Flor. BCDEFI et (ubique, ut notat Snakenb.) Leid. Voss. 1. *praestare*] *patrare* Bern. B Flor. H. *retrocedere*] *intercedere* Bern. B Flor. H, *introducere* Voss. 2.

§. 30. *quia ubi partes labant summa turbatur*] Absunt haec verba a Pal. 1. Flor. DEF sed adscripta sunt in marg. E. Unum vocabulum *partes* deest in Flor. B.

Cap. 23. §. 1. *Nabarzanes*] *nabarzanas* Leid. Voss. 1 Bern. uterque Flor. H, *nabazarnas* Flor. B, *narbazanas* Flor. C. *dextrum*] *dextro* Flor. B, *dexterum* nullus, nec edit. pr. sed Aldus et rel. etiam Mod. Omnino ubique Aldus *dexterum* de suo dedit.

§. 2. *Thymodes*] *Thimodes*, *Timodes* ut supra.

§. 3. *Aristomedes*] *Aristomedis* Bern. A Leid. Voss. 1. *milia*] omitt. in Bern. B.

§. 4. *quadraginta*] *LX* edit. princ. Mox *sequebatur* Ald.

§. 5. *dispositi*] *dispositis* Leid.

§. 6. *impleverant*] *imploraverant* Flor. E, *impleverunt* Bern. B Voss. 2 Flor. FHI. *alium*] *aliarum* Flor. CG. *acceperant*] *acceperunt* Bern. B Flor. DFHI.

